K. 99. 9.

PROTHEUS HISTORICUS:
SIVE
HISTORIÆ UNIVERSALIS
SACRÆ ET PROFANÆ,

Rerum tam bello quàm pace, terrâ maríque per Orbem, præcipuè Europam, Imperium Romanum, Germaniam, Galliam, Hispaniam, Italiam, Hungariam, Angliam, Poloniam, Sueciam, Daniam, Moscoviam, Belgium, Sabaudiam, Transylvaniam, Turciam &c.

Ab Anno 1660. à sancita ad Pyrenæos pace ad hæc usque tempora 1719. Pacis Rastadii & Badæ pacta, & ultra gestarum,

DECAS QUINTA ET SEXTA.

Ex probatissimis Authoribus, Actis publicis & Comitialibus, intermixtis hinc inde antiquis historiis, & eruditioni accommodatis variorum Authorum sententiis, sincerâ fide & relatione, nec minore studio & diligentiâ accuratè ac nervosè, stylo hystorico, lectu & scitu dignæ, ac curiosæ;

Per varias Regionum, Urbium, præliorum, obsidionum, aliorumque Tractatuum & fœderum descriptiones cum suis circumstantiis compositæ & collectæ, Jurisque publici studiosis apprimè utiles ac necessariæ: ac singula quæq; suis Diei, Mensi, & Anno, quantum fieri potuit attributa.

Per JOANNEM JACOBUM KETTELER S. G. V.

PARS TERTIA

Ab Anno 1700. usque 1718. &c.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus SEBASTIANI KETTELER prope S. Paulum, sub signo Galli. MDCCXXIII.

DECADIS QUINTÆ,

Annus 1700.

366. ANnus sanctus novi hujus sæculi millesimi septingentesimi, orbi Christiano Jubilæus Romæ, ingenti hominum accursu & devotione est apertus; plurimi namque Principes, & magnus ipse Florentiæ Dux Cosmus III. singulari pietatis sensu & exemplo Apostolorum, & aliorum Sanctorum limina visitavit, largasque in pauperes, & mendicantes Ordines eleemosynas erogavit. Ibidem Romæ tunc divulgabatur, Jubilæum hoc à Pontifice propter opprimendam, vel oppressam, ut vulgabatur, imprimis in Anglia Romanam Catholicam fidem institutum; quod verosimilius alii, & Angli quidam ibidem tunc præsentes negabant; aliam oppressionis causam [Jacobi fortè Regis Catholici regno restituendi] asserentes; hoc indubitatum, fuisse Jubilæum Romanum, quod Romæ singulis primùm sæculis, seu centesimo quovis anno celebrabatur; quod deinde Clemens VI. Extravag. *Unigenitus* decrevit, ut quinquagesimo quovis anno id fieret; postea Urbanus VI. constituit, ut ob memoriam annorum 33. quibus Christus Dominus in terris vixit,

Jubilæũ universale.

xi^r, & *non venit vocare justos , sed peccatores. Matth.* 9. 13. celebraretur quovis anno 33. denique quo plures tantæ remissionis & Indulgentiarum thesauri fierent participes , Paulus II. anno 1470. Bulla *Ineffabilis providentiæ*, statuit, ut imposterum anno quolibet 25. perageretur ; atque ita deinceps, & anno hoc sæculari est peractum. *Bellegambe de Jubil. part.* 1. *sect.* 1. *q.* 3. *fol.* 31. Romanæ igitur Ecclesiæ more in vigilia Nativitatis Christi, januarum , quas sanctas vocant , reseratio facta est in quatuor primariis Romæ Basilicis Ss. Petri, & Pauli, & Mariæ Majoris, & Lateranensi. Toto devotionis zelo anhelabat Innocentius Pontifex in primario D. Petri templo sacris operari, & omnium gentium peregrinis [quos pietas evocarat in Urbem] ad pii ingressûs ceremonias præire; sed infirmiori præpeditus valetudine rem permisit Cardinali Bullioneo, sacri Collegii Vice-Decano, hoc etiam præpedito, ne idem præstaret decrepitæ senectutis incommodis, Cardinali Cibo, ad quem utpote seniorem spectabat. Res omni majori, qua decuit & apparatûs pompâ, & hymnorum pietate perfecta est in eodem tempore in quatuor basilicis , ut affluenti satisfieret multitudini, dum illa in multiplices ablegata turmas piæ facilior curiositati aditus patet, & inevitabili alioquin parcitur confusioni. Cosmus III. autem magnus Hetruriæ Dux omissâ famulitii pompâ, omni comitatis & religionis officio à Pontifice exceptus est, concesso ei, licet uxorato, Canonici S. Petri titulo, ut privilegio & habitu sacerdotis, ejus Basilicæ Reliquias ipse

proxi-

proximus adoraret, quin & populo ſpectandas exhiberet. Militiæ ſacræ, quæ S. Stephani Romani Pontificis nomine & cruce diſtinguitur, ſupremus Magiſter, devotionis & ſui in urbem adventûs fructum retulit Dux in patriam, eâ templum ornaturus Cathedram marmoream, in qua hic ſanctus Pontifex Valeriani & Galieni Cæſarum juſſu capite minutus eſt, negotiis aliis aut infectis, aut intentatis, pro quibus in urbem adventaſſe dictabatur.

367. Mirabatur tunc temporis non ſolùm Lutetia Pariſiorum; ſed & Roma & Italia ſtupebant Cardinalem Bullſioneum ſui Regis Galliæ gratiâ excidiſſe, cæterà innoxium, niſi quòd Regis concubina Maintenon Epiſcopo Cameracenſi offenſa, apud Regem effecerit, ut ejuſdem editus recens liber non à Sorbona tantùm, & aliis Galliæ collegiis & facultatibus; ſed etiam à Sede Apoſtolica non per formalem quidem Bullam (quod Cardin. Bovilloneus, Epiſcopi Camerac. fautor impediviſſe dicebatur) ſed per ſimplex tantùm Breve Apoſtolicum damnaretur. Quo Rex admodùm irritatus illum ex Italia Româ in Galliam revocans, juſſerit in Abbatiis ſuis reſidere, & contra Cardinalem renitentem, aut moram potius facientem fiſcalem actionem in parlamento inſtituere; parlamento rem non ſui, ſed alterius eſſe fori excuſante ac renuente, conſilium regium Cardinalem poſt ternam citationem immorigerum inobedientiæ & rebellionis in regiam majeſtatem condemnat, patriâ proſcribit; omnibuſque in Gallia Abbatiis, dignitatibus, juribus, bonis, reditibus, ſu-

Bullioneum Cardin. Rex Galliæ proſcribit.

premi eleëmosynarii officio &c. privat, & fisco adjudicat. Hanc sententiam Rex per suum ad aulam Pontificiam legatum Ducem de Menaco Cardinali Bullioneo, nisi relictâ Româ ad suam in Gallia rediret Abbatiam Clunes proponenti respondit Cardinalis, se Regis imperio pariturum, quamprimum in proximo à Papa indicendo consistorio Collegii Cardinalium Decanus inaugurandus fuerit declaratus. Cui mox legatus prædictam insinuans sententiam à Cardinale repetit signum Ordinis S. Spiritûs, scripta & documenta gesti sui hactenus ministerii & eleemosynarii, jubetque gallicum aulæ suæ præfixum insigne deponere. Cardinalis suam protestatus breviter innocentiam reposuit Ordinem S. Spiritûs, cæteraque ex ipsis Regis manibus accepta, eisdem etiam extraditurum, ut paulò pòst oblato suo Regi servitio & favore, si quem in conclavi eligendi Pontificis præstare posset, remisit, immeritam Regis offensam patienter & constanter perferens, cui plurimi condolentes, ad sui statûs dignitatem conservandam media obtulêre. Et quamvis gallicus Cardinalis Fourbinus Pontifici Innocentio XII. suaderet Cardinalem Barbarinum Bovilloneo præferendum; Card. tamen Negronus hunc omnium Cardinalium seniorem, [cui ex jure, & antiqua consuetudine deberetur] ob singularia ejus merita, sine conscientiæ læsione præterire non posse suadendo pervicit, atque ita Bovilloneus rejectis gallorum oppositionibus renuntiatus est Collegii Cardinalium Decanus, & ab omnibus Cardinalibus, præterquam gallicis Estrejo, Fourbino, & Ar-

Arquino est congratulatus, & meritissimè, quia, ut *Vincentius Contenson in sua theol. tom.* 1. *lib.* 7. *dissert.* 5. *in append. reflex.* scribit : Hic Abbas d' Albret dictus postea Card. Bovilloneus, doctissimus, thesibus solemnissimis universam ecclesiasticam historiam mirè quidem complexus est, sed ad miraculum propugnavit; & quod auget admirationem, perdifficiles, lubricas, implexasque quæstiones, quibus totius antiquitatis se callentissimum demonstravit vir ætate juvenis, superque sene intelligens peritissimè , & juxta modestissimè exposuit : quia non nesciebat historiam esse vitæ magistram & lucem veritatis, ut ait *Melch. Canus lib.* 2. *de locis.* At quia opulentis gallicarum Abbatiarum à Rege exutus reditibus , necdum Ostiensis & Velitrensis Episcopatuum proventibus , decanatui huic competentibus, poterat gaudere, in majestate indigo Poloniæ Regina vidua de Arquin amplam æris summam suppeditat, uti & Cardinales Negronus & Ottobonus aulæ suæ inhabitationem offerunt ; ille autem exiguum ad vitæ tempus conclave in Patrum Societatis Jesu Novitiatu annuo 100. imperialium locagio conducit. Pontifex deinde & Cardinalium collegium communi consilio pro Bovillonei prætensæ inobdientiæ excusatione, defensione & reconciliatione apostolicum ad Ludovicum XIV. Regem Breve expediverunt, ut satisfactionis remedium Rex ipse præscriberet, ne ulterior inter Sedem Apostolicam Regemque exoriretur discordia , quod quamprimum gallica Cardinalium competit factio, omni studio impedire contendit, & Ponti-

ficis morbo dilatum, ab eodem non est subscriptum & intermissum; Rexque Cardinalem Coaslinum supremum regni eleemosynarium, & secundarium ejus loco Episcopum Metensem constituit. Incredibilis ferè hæc fuit Regis licentia, dicam an temeritas, ausa sacri Collegii Decanum innocuum suæ pellicis incitamento, aut potius furore, Roma relegare in Galliam. Quis non obstupescat tale parisinæ aulæ ministerium? at fœminarum sexus, inquit Tacitus *l. 3. annal.* si licentia adsit, sævus, ambitiosus, potestatisque avidus est. & *l. 15. annal.* plerumque mulierum consilium deterius. Invalescente autem Pontificis morbo, 27. Septembris hora decima noctis Innocentius XII. Neapolitanus, illustri familiâ Pignatellus spiritum emisit, inclinatæ ætatis anno 86. Apostolici regiminis nono & aliquot diebus, in cujus cubiculo imperialium millio pauperum & indigorum necessitatibus erogandus, est inventus. In erecto castro doloris præclara ejus gesta glorificabantur: nempe Ss. viatici cultus amplificatus, religio in Æthiopia & America propagata, ecclesiasticum ærarium notabiliter (millione) auctum, Innocentiana in citatorio curia litigantium commoditati ædificata, binis teloniis vectigalium pretium pauperibus erogatum, brephotropheum puerorum miserabilium institutioni, portus Antzius navigantium securitati extructus, dignitates solo meritorum suffragio distributæ, annonæ census liberaliter diminutus &c. vacante sic ab hac die usque ad 18. Octobr. Sede Apostolicâ, Card. Bullioneus Cardinalium Decanus cantatâ

Mors Innocentii XII.

tâ per se S. Spiritûs Missâ conclave cum 30. Cardinalibus ingressus, communibus omnium votis 23. Novembris in festo S. Clementis electus est Pontifex Joannes Franciscus Albanus Urbinas, ætatis anno 51. vir magnæ auctoritatis, sapientiæ, & humanitatis, quas luculentis argumentis per multiplices aulæ dignitates & officia exercitus sibi pepererat, Clementis XI. nomen assumpsit sibi, ejus electionis festo, postquam constanti humilitate per triduum electioni suæ resistens, instantibus omnium suffragiis & precibus coactus est cedere: gallicarum partium nimium contra Cæsarem studiosus; Cæsareis propterea armis ad non exiguas postmodum redactus est angustias, qui quòd solùm Presbyter esset, & necdum Episcopus (quod à centum & 8. annis fuit inauditum, à quibus semper Cardinalis Episcopus fuit in Papam electus) prædictus senior Cardinalis Ostiensis & Decanus Bullioneus illum in festo S. Andreæ consecravit Episcopum, octavâ Decembr. in festo Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V. in Vaticano solemniter coronatus.

Succes-sit Cle-mens XI. à Bullio-neo con-secratus.

Quantò autem minùs expectatus ob ætatem 51. annorum, quæ tanto oneri immatura videbatur, eo majori applausit ab omnibus, ob plenam scientiæ & pietatis famam acceptus, legem juris perfectè adimplevit: *Episcopus*, scilicet, *dignus est sacerdotio* (Papatu) *si ordinetur invitus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi.* Ait *L. Si quenquam.* 31. ℣. *Nec pretio. C. de epis. & cler.* Porro Summum

A 5 pon-

pontificem (inquit *Joannes Francisc. Lottinus in concl. discursu.*) solo divino nutu creari, eligique, tanquam oculatus testis profiteri & attestari queo. Licuit enim mihi haud semel sacris Cardinalium comitiis interesse, & magnæ illius tractationis aliqua pars fui, intimosque Cardinalium sensus introspexi : eos tamen plerumque contra suam ipsorum voluntatem eum, quem minimè instituerant, pontificem elegisse animadverti, sine ulla vi aut ratione, nisi quòd tunc Cardinales velut extra se positi videntur, dum alter alterum veretur, omnes quo minimè volunt, abeunt; neque tamen sciunt à quo trahantur, vel ducantur. Memini quidem aliquem, quem capitali reliqui odio persequebantur, pontificem ab illis ipsis, qui eum oderant, factum esse. Alium verò omnibus gratum & charum, cujus electio quasi pro certa habebatur, relictum ac spretum. Adeo ut pontificiæ hujus electionis solus Deus sit arbiter, qui vel ad punienda nostra peccata, malum & imprudentem, vel ad declarandam suam bonitatem, bonum ac sapientem Pontificem Christianorum rebus largitur. Notabilis certè fuit Anno 1270. Gregorii X. viri longè piissimi, tunc in peregrinatione Jerosolymitana absentis electio, quando ob pertinacem Cardinalium discordiam per integrum pene triennium Sedes Apostolica vacavit, donec tandem interventu Principum eligeretur præfatus Gregorius, qui paulò pòst in Concilio Lugdunensi efficacissimam condidit summi pontificis eligendi legem : conclusis nempe mortuo pontifice Cardinalibus omnibus ibi tunc

præ-

præsentibus, nec inde egredi permissis, antequam novus ab ipsis pontifex, saltem per conformia duarum partium suffragia fuerit electus. Cui accelerando post inclusionem triduanam quotidie tam in prandio, quàm in cœna ferculo duntaxat unico singulis Cardinalibus, ad quinque dies usque subministrato. Post quinque autem dies nihil nisi panis & aqua cum vino detur eisdem, donec perficiatur electio. Uti latissimè habet *Cap. 3. de elect. in 6.* Cujus tamen rigor utcunque mitigatus per Clementem VI. ut videre est *in lib. 1. Rituum eccles. sect. 1. cap. 2. &c.*

363. Interea temporis amica compositione Polonis pro pignore Elbinga à Brandeburgicis tumultuariè occupata hoc anno redditur; nam Galoszkius Poloniæ legatus Berlini cum Electore sic transegit, ut Elector Brandeburgicus suum Elbingâ militem Kalendis Februarii educat & urbem evacuet; Polonia verò intra trimestre post Comitia Electori trecenta Imperialium millia refundat, & eo usque pignoris eidem loco extradatur Moscovitica magni ex obrizo auro & gemmis pretii corona, aliaque pretiosa pignora; quam Polonicus Ermlandiensis Episcopus 31. Januarii Elbingæ legato Brandeburgico sub Borussorum egressu tradidit, usque ad redemptionem conservandam. Urbe evacuatâ Poloni ad curiam Elbingensem magistratum citantes, maturam urbis traditionem graviter sub mulctæ interminatione exprobrant, magistratûs excusationem rejicientes, usque dum pro conservandis privilegiis magistratus & cives in so-

Controversia Polono-Brandeburg. ob Elbingâ composita.

solutionem prædicti debiti quinquaginta imperialium millia offerrent, mandatumque illis, ut loco ducentorum imposterum 300. peditum, & 30.equitum; necessitatis verò tempore 2000. urbi præsidium imponerent, neve tam facilè urbem extraderent.

Polonus Rigam Livoniæ cingit.

His peractis importunis Lithuanorum clamitationibus percitus Augustus Rex Poloniæ aliquot hominum millia, quos hactenus ad sui securitatem habebat, extra regnum eliminare coactus, Livoniæ partem per Gustavum Adolphum Seciæ Regem à Poloniæ regno armorum vi abstractam, & hucusque ab anno 1660. vi pacis Olivensis possessam recuperaturus, ejusdem metropolim Rigam non exiguì roboris urbem, occupato prius prope hanc Rober munimento, per Flemmingum, & germanum militem cingit obsidione, quam campi mariscallus Comes Dalbergus quinque millium præsidio defendens, elegantissima suburbia Ladestie nuncupata, aliquot millionum damno ignibus devastat, non sine gravi Flemmingi & Polonorum indignatione; quare munimentum Dunamunder-Schantz per Carlowicium & mille quingentos pedites armatâ manu aggressus, insigni, etiam Carlowicii strage rejicitur. 25. Martii autem repetit 2000. impetu traditionem extorquet, & paulo post demisso præfecto Pudbergo cum 474. præsidio Revalium; reperit ibidem 120. bellica tormenta, & non exiguam commeatûs, bellicique apparatûs copiam, quod mutato dein nomine à Rege suo Augustopolim indigitarunt. Nec desides Sueci 9. millium exercitum

citum

citum ex Finlandia colligunt Rigæ opitulaturi, præmissusque cum 3000. Maidelus obnitentem cum Saxonibus & Tartaris Gersdorffium repellit, 15. Maji Duinâ noctu superatâ, infossisque aliquot tormentis in Curlandiam fugientem. Mox polonica ingressus castra cum 5. millibus Lithuanis Poloskius, & Suecica cum aliquot millibus Wellingus, mutuis utrimque tormentorum explosionibus castra interfluente Duina impugnantur: quam Sueci transgredi meditantes, à Polonis impediuntur. Augustus igitur Rex ut privati commodi tolleret suspicionem, inter Polonos evulgatam, solenniter in Regni comitiis protestatus, & diplomate stipulatus est, hanc se provinciam reipublicæ asserturum, modò resp. bellico assistat nervo & apparatu (quod quidam recusasse rempub. expeditionique dissensisse, & semen discordiæ Regem inter & rempub. fuisse asserunt) atque ita ad castra 16. Julii profectus, disposito in aciem exercitu (cujus ipse cum Stenavio sinistram, Curlandiæ Dux Ferdinandus dexteram ducebat alam) superataque Thamsdorffii Duinà dexteram Suecorum alam 30. Julii adortus confundit & adigit in fugam, cæde utrimque fermè æquali, manente penes Polonos victoria. Suecico equitatu Pernaviam sub Generali Welling auffugiente Rex urbis urget obsidionem, & pyrobolis, sed frustra vexat, licet confirmatus novo abs Lubomirskio 4000. Polonorum, & 4000. Cosaccorum subsidio; quale similiter Sueci cum desiderio expectabant magnis gressibus approperans; ideoque Augustus pacem desiderare vide-

de-

debatur, eâ imprimis de causa, quòd Rex Galliæ pacis Olivensis tutor & defensor minacibus Polonum literis ab ulteriore dehortaretur hostilitate, suorum vi armorum alias vindicanda. Reductis igitur ab urbe Riga 40. tormentis murariis & 36. mortariis, à longinquo tantùm urbem cingit, obsidionales accessus complanat, polonicusque exercitus superatâ Duinâ versus Kockenhusum 15. circiter milliaribus supra Rigam contendit impugnaturus: sed Batavorum tandem intercessione Augustus Rigam non solùm omni liberavit obsidione, sed debitum etiam centum milium imperialium regiâ plane generositate liberaliter urbi remisit, occupatoque 7. Octobris ob pulveris nitrati defectum per Curlandiæ Ducem nobili magni momenti Kockenhuso, militem ad hyberna in Kockenhusii potissimum dominium demisit satis amplum; ideoque commeatui colligendo aptissimum; securam præterea per hoc cum Moscovia sibi confœderata adeptus communicationem, & Curlandiæ commercium.

Polonus Rigam deserit, & occupat Kockenhusum.

369. Antequam autem Augustus Poloniæ Rex Rigam impeteret, confœderatus, ut dixi, Petro Moscoviæ Duci (qui Livoniæ etiam partem possidet) convenerant ambo suas à Suecis Livoniæ partes reposcere; sed turcico Czaarius bello hactenus implicatus & impeditus, composita nunc ad annos triginta cum Turcis pace, & obtentis priori anno armatâ manu Asopho, nobili in Taurica parvæ Tartariæ Chersoneso ad ostium Tanais emporio, & ad Boristenem Towano ac Kasikermo, liberoque demum per mare

Moscus Sueco indicit bellum.

mare nigrum commercio, 1. Septembris Sueciæ has ob causas bellum indicit: quod Suecus sub tempore pacis cum Mosco initæ fœdus cum Polono contra Moscos tentaverit: quod amicos & confœderatos suos Poloniæ & Daniæ Reges bello infestet, & illum, Augustum, Holsatiæ tractatibus voluerit exclusum, sibique in nupera 1698. ad tot principum in Europa aulas legatione, licet incognito, Riga, & aliæ Sueciæ urbes debitum non præstiterint honorem; sed à Suecicis è contra mercatoribus ingens in cambiis patiatur detrimentum: his inquam Czaarus stimulatus prætensionibus Ivanogrodum in Ingria ad flumen Narvam in rupe è regione urbis Narvæ ingenti 70000. exercitu 12. Septembris aggressus, sed strage suorum 5000. rejectus, ipsammet Narvam urbem continuis tormentis & pyrobolis sævissimè ad 20. usque Novembris flagellat; Carolus autem XII. Rex Sueciæ collectis tumultuariè Wesenbergæ octo quà peditum, quà equitum millibus, non expectato reliquo illuc properante exercitu raptim per invia ab hoste funditus direpta in urbis festinat succursum; & quia Moscus duos præcipue aditus, Purs & Sillameggum neglexerat, & tertium solummodò Pyhäjäggum 6000. firmaverat, qui aliò potissimùm excurrerant frumentatum, illos vero Rex facilè dissipat, Narvam ad castra aufugientes: die altera 20. Novemb. Lagenâ movens hostium circa meridiem castra vallis, foveis ac sepimentis probe roborata Rex ipse perlustratus binis illa locis horâ 2. pomeridianâ irruit, à dextris versus Rathshoff Gen. Vellinghus, à sini-

Et Narvam cingit.

Suecus à Narva Moscos magnâ strage rejicit.

à sinistris ubi major fore resistentia,& Czaari videbatur statio, Comes Steinbock ; & ipse Rex Carolus, superatis densæ beneficio nivis vallis & sepimentis perrumpentes, Moscos confundunt & repellunt; qui in fuga per pontem Narvæ fl. instratum vitam & salutem quærentes,ejus ob ponderis gravitatem rupturâ mortem in aquis inveniunt, reliqui, quod deesset effugii locus, captivos se tradiderunt, quos inter omnes fermè belli duces & tribuni, ipseque Dux Crosus, cui pridie sui ex castris pro adducendis aliis 25000. discessûs omnem Czaarus præfecturam exercitûs contulerat, qui omnes Narvam in captivitatem abducti ; gregariorum autem 30000. Carolus subjectis ad ejus pedes armis suis libere quo vellent demisit: cesserunt itaque in vincentium Suecorum potestatem tota Russorum castra cum ingenti præda, impedimentis, commeatu & bellico apparatu, nova scil. ænea 145. tormenta bellica, 28. mortaria, 151. signa pedestria & 20. equestria &c.cæsa sunt præterea & submersa 10000. Moscorum, Suecorum vero 2000. Gloriosa ædepol victoria Suecorum genti inaudita,tam pusillo 8000. grege tantam 70000. Moscorum multitudinem superasse, castra expugnasse, ærarium bellicum, 564000. imperialium cepisse, & urbem decem hebdomadarum obsidione liberasse, quæ jam tum se mortis victimam, & hostium deplorabat spolium, die alterâ nulla urbis domus fuerit, quin Russorum prædâ fuerit ditata. *Vid. num.* 381. 439.

Controversia

370. Diu autem inter Daniæ Regem Fridericum,

ricum, & Schleſwico-Holſatiæ Ducem antiqua ſimultatum tela retexta, ob dubios haud ſanè interpretatos pacis Altonæ an. 1689. pactæ articulos, de deſt. & exſtructione Tünningæ hoſtiliter eſt actum; nam compoſitionis tractatus Hamburgi inter legatos priori anno inchoati poſt multas abrumpebantur diſceptationes. Danus enim univerſalem Ducatuum Schleswiæ, Holſatiæ, Glückſtadii & Gottorffii communionem urgebat, & antiquæ unionis & confœderationis renovationem, unde communicationem exercitii juris armorum, & armandiæ intendebat, quam Dux Holſatiæ omninò repudians, liberum juris ſui defendebat exercitium, & deſtructa à Danis ante biennium fortalitia Holmer - Sorcher-Schwabſtäder & Huſamer Schantzen refecturus, multis ſubito collectis materialibus, regis imprimis Sueciæ recens confœderati ope fretus & ſubſidio, eadem fortalitia effectivè reſtaurat. Danus re ad imperialem Ratisponæ conventum de violatis Imperii ſancionibus, ſtantibusque adhuc compoſitionis tractatibus delatâ, tam mari claſſem, quàm terrâ exercitum in Holſatiam expedit: Suecus ne ſubſidio deeſſet ſuo fœderis ſocio, 15. navium bellicarum claſſem, Danis fruſtra obnitentibus, juſtumque exercitum Holſatiæ Duci ſubmittit, qui ſua interim fortalitia ſine intermiſſione reſtaurabat: ſed quia Gallus, Britannus & Batavi fautores Dani, acta Ducis improbabant, quòd illis Altonenſium tractatuum guerantiæ tutoribus præteritis, nec expectatâ mediatorum ſententiâ, juris adhuc controverſi poſſeſſionem propriâ ceperit authorita-

Dano-Schleswicenſ.

te, omnium ſententiâ & conſenſu prædictorum fortalitiorum intermiſſa eſt ædificatio; quod idem etiam à mediatoribus 24. Novemb. eſt decretum & approbatum, à Sueco & Holſato admiſſum, à Dano autem omnino reprobatum, niſi res antiquo reſtituatur prius ſtatui, & fortalitia demoliantur; ideoque legatus Britannicus aliorum nomine pacis illud Altonenſis infractionem pronuntiabat, à ſe meritò vindicandam. Hoc non attento Danus terra marique 20. Martii 16000. exercitu ducales præfecturas Rheinbec, Trittau, Tremsbüttel, Stemhorſt, & ipſam adeo ducalem reſidentiam Schleswig tumultuarie occupat, graves ubique exigit contributiones, & à quolibet aratro (quorum 18000. numerabantur) 5. ad 6. imperiales, dein 25. Martii Fridricopolim, & omnia præfata fortatalitia captis eorum præſidiariis intercipit, & per ruſticos demolitur: neque hoc contentus, Tünningam etiam (quo Dux Archivum & pretioſum ſuum ſecuritatis causâ theſaurum depoſuerat, invadit: neve Rex propterea aliorum offenſionem incurreret, varias per ſuos apud Imperatoris, aliorumque Regum ac principum aulas, & Ratisponenſem Imperii Rom. conventum invaſionis cauſas & motiva juſtificando exhibet, dum magno interim impetu à die 26. Aprilis urbem tormentis & pyrobolis verberat, à Bannierio 5. præſidiariorum millibus generoſe propugnatam. Majoribus autem 14. Maji Glückſtadio tormentis, & 25. Friderico IV. Daniæ Rege caſtra ſubeuntibus, vehementius impugnant. Verum Altonenſis

Dani Ducem Schleswicenſ. & Tünningam urbem invadũt.

nensis pacis mediatores & assertores Suecus, Duces Brunschwico-Cellensis, & Elector Hannoveranus & Batavi re & expeditionis suæ causa ad Ratisponensem Imperii conventum delatâ, ultra 20. millium exercitum Pinnebergam traducunt, cui postmodum Batavorum sub Dopffio accedebant copiæ. Tunc Dani solutâ Tünningæ obsidione æquali cum exercitu prope Weststadium non procul à confœderatorum castris consident, quasi propediem pugnam inituri; velitatione tamen apud Segebergum succumbebant, quia viribus confœderati superiores, cæsis eorum 62. captis 70. ut verò Danus Brunschwico Luneburgico, Cellensis Ducum vires distraheret, sex Polonorum millia ex fœdere Danis subsidio submissa per Anhaltinum, Halberstadiense, Hildesiense territoria in Luneburgense 16. Julii irruunt, octo diripiunt oppida flammisque subjiciunt, & graves extorquent contributiones; quos demum confœderati rejicientes Hildesium usque persecuti, illos prope Böckelen obruunt, privant aliquot impedimentis & trecentos fermè trucidant, reliqui Halberstadium versus viam relegentes aufugiunt.

Inter hæc navalis etiam utrimque classis est expedita; & quidem Hafnia ipsa, Daniæ metropolis & Regis residentia parcè à Britannica-Suecico Batavica classe pyrobolis, sed frustra & sine damno, ingenti tamen terrore est tentata; ipseque Sueciæ Rex Selandiam Daniæ in mari Baltico insulam 4. Augusti invasit. Quibus viribus Rex Daniæ longè impar, amica tandem conventione mediatoribus Cæsare, Anglo, Brande- *Hafnia à longe cincta.*

burgo, Saxone Hanoverano, & Bataviś belli utrimque causæ Traventhalii 18. Augusti 1700. sunt sublatæ, & pax quiesque inferioris Saxoniæ circulo reddita. Et quia omnis hucusque discordia ex Juris armorum, & in specie fortalitiorum orta est exercitio, omnium sententiâ Mediatorum decretum, & adjudicatum est, ut plenum & liberum jus armorum armandiæ, fœderum & fortalitiorum (dummodo à reciprocis confiniis duobus saltem milliaribus germanicis distarent) indeque dependentium exercitium Schleswico-Holsatiæ Duci, ejusque successoribus sine omni disceptatione permaneant; promisitque Rex se soluturum Duci ducenta sexaginta scutorum millia in damnorum reparationem, quæ in occupatis & demolitis ejus arcibus vi intulerat: Omnes denique hucusque factæ uniones, pacta, recessus & fœdera eo sensu & modo, uti verba jacent, sumantur & explicentur. Atque ita Danus vix per elusos lenocinantis fortunæ favores (quorum inanem tot iteratis vicibus spem expertus fuerat) edoctus ab incepto desistere, quin nova semper alienis suggestionibus moliretur.

Pax Dano-Schleswicens.

371. Recrudescebant hoc etiam tempore in Romano Imperio turbæ novi electoratûs Hanoverano collati causâ; Principes enim correspondentes, ut vocabantur, Ratisponensia declinantes comitia, Goslariæ conveniunt, & duos Viennam deputant legatos, Kochenheimium Monasteriensem, & Baronem ab Imhoff Wolfenbutlensem, ut nomine omnium sui dissensûs coram Cæsare, contra nonum electoratum

Electoratum nonum principes non admittunt.

ci-

citra Principum consensum, & magno cum præjudicio institutum repeterent protestationem; sed ad Ratisponense Electorum collegium, & Moguntinum Directorem à Cæsare sunt remissi, & tria rei controversæ terminandæ proposita sunt media expedientia, si nimirum Cæsar declarationem de non præjudicando expediret: si res ad Principum Electorum delata collegium decerneretur: si denique per pragmaticam constitueretur sanctionem, nullum imposterum electoratum citra Principum Ordinumque consensum fore introducendum. Sed his omnino rejectis secundum initam 19. Julii Norimbergæ unionem pro Westphalicæ, Neomagensis, & Ryswicensis pacis manutentione ad Reges Galliæ & Sueciæ appellant & provocant, non sine magno Reip. Rom. periculo: ille per Villarium suum ad aulam Viennensem legatum noni electoratûs contra pacem Westphalicam, & auream bullam, ejusque anno 1647. declarationem introducti urgebat abolitionem: Cui Cæsar reposuit, neutiquam aureâ bullâ, nec Westphalicæ, aut ullius pacis tabulis novum prohiberi electoratum, jamque Principibus correspondentibus conciliationis proposita esse media per Directorem Electorem Moguntinum expedientia; non sperare itaque se turbas & discordias in Rom. Imperio à Christianismo ciendas, cùm Cæsareæ sit, semperque erit curæ & officii, jura Principum conservare intemerata, nec sine eorum consilio & communi consensu delectum esse nonum electoratum, quorum per maximè interest ejus jura & prærogativam con-

conservare illibatam : Rex Sueciæ verò ab iis interpellatus eorum ad Cæsarem remisit requisitionem, aut planè rejecit postulationem, tulitque Cæsar ægerrimè, quod ad incompetentes provocarint judices, & Imperii Rom. sæpius turbatores, uti literis ad eos 3. Augusti datis contestabatur. Sopienda sensim cum tempore videbatur hæc differentia. Sed religionis etiam gravamina ex quarto pacis Ryswicensis articulo, Cæsari quoque tunc à deputatis proposita, indies augebantur, quæ ille omni modo & studio si non omninò tollenda, saltem allevianda pollicebatur.

Lambergus fit Cardinalis.

Tum Cæsar Comiti Lambergo episcopo Passaviensi ad Cardinalatûs dignitatem Cæsaris recommendatione ab Innocentio XII. promoto, cardinalitium solemniter biretum à pontificio cubiniculario Comite Kuffensteinio Româ allatum, in duorum assistentia Cardinalium Collonitschii presbyteri, & Grimani diaconi 19. Septembris in templo PP. Augustinianorum contulit, & imposuit.

Brisach Cæsari redditur

Eodem hoc anno Gallus celeberrimam Brisgoviæ urbem & arcem Brisacum vi pacis Ryswicensis restituendum, sed ultra biennium & medium dilatum Cæsari reddit ; in causa erat necessarium novæ civitati extruendæ temporis spatium, quam brevi terræ interstitio Neobrisacum nuncupatum) Galli veteri opposuêre, ut cessionis damnum, an & fides? eluderetur, quod vix triennio possessum ejusdem præfectus Comes de Arco non sine proditionis suspicione

1703

1703. Gallis rursum tradidit, ideoque capite est diminutus. *Vid. num.* 403. 436.

Pridie Calend. Martii Scoti ad serendam in America meridionali Coloniam soli ubertate allecti; non longè à Darieno sinu, in ea, quam Terram firmam vocant, provincia hastam figunt, regionique novæ Caledoniæ nomine imposito arcem tumultuario opere extruunt & muniunt. Hispani vicinos exosi impari illos conatu eliminare tentantes, insigni primùm clade rejiciuntur; sed resumptis animis, & viribus aucti, terrâ marique eos adorientes, ad deditionem cogunt, & ejiciunt, juramento elicito, quo sese Scoti ab omni imposterum tentandæ Coloniæ molimine temperaturos spondebant.

372. Madriti interim Regiæ videbatur apparere spes aliqua convalescentiæ, & regina hærede omnium votis desiderato fœcunda; qua mox ob infectam forte malevolorum studio utriusque conjugis generandi potentiam evanescente, urget cum Harcourtio Galliæ legato Cardinalis Protocarerus regium testamentum, dissuadetque regni partitionem, regiæ majestati injuriosam, quâque Britannus & Batavi Romano-Catholicam fidem velint extinctam; proinde monarchiæ Hispanicæ hæredem, & ecclesiæ catholicæ propugnatorem, Ducem Andegavensem viribus & consiliis potentiorem eisdem conducere opponendum, cui indubitatum præ Carolo Austriaco ad coronam Ibericam deberetur jus & accessus. Hæc Regi Carolo dolorum magis acerbitati, quàm rei propositæ gravitati intento non displicere videbantur: ideoque testamen-

Caroli II. R. Hispan. testamentum.

tum Versaliæ ex Gallico ovo vel cerebro (unde lethalis tot mortalium, & sui ipsius interfector prodiit basiliscus venenatissimus) conceptum, Protocarero transmissum, deficientibus paulatim Caroli Regis viribus, 3. Octobris à Rege subscriptum dicitur, & regio munitum sigillo, præsentibus & instantibus regni Ordinibus Protocarero & Borgiâ Cardinalibus, Emmanuele Aria Castiliæ præside, Duce Medina Sidoniâ aulæ præfecto, Com. Bonavente supremo cubiculario, Ducibus Sesta, & Infantado, gallico auro sine dubio corruptis.

Et quia Ludovicus Rex ex medicorum gallicorum, Fagonis imprimis arbitrio & arte, diem & horam Carolinæ mortis indubitatam certamque tenebat, firmiori mox cum Sueciæ Rege nexus fœdere, sollicitavit etiam in partes suas cum perfidis in Regem suum Hungaris Ragotzium, inconstantis fidei principem, & Soldanum Mustapham cum Porta Ottomannica, quæ perfidiæ docta pœnas, & gallicis semper decepta blanditiis, ejus rejecit promissa, sanioris, quamvis tyrannus, conscientiæ quam Christianus Dux Bavariæ Maximilianus, qui gallico infectus philtro, seipsum non multò pòst, & fratrem Josephum Clementem Archiepiscopum Coloniensem turpiter cum æviterno Bojorum dedecore & ruina peremit. Italiæ quoque Principes & Pontificem (præterquam Mutinæ Ducem) specioso dementatos fuco, vel in suam traxit voluntatem, vel ipsi neutralitatis interulâ se tectos securosque existimantes, bonis sunt post-

medùm

modùm exuti. Militem verò Rex Ludovicus in immensum auxit, ad Caroli mortem in omnem utrobique expeditum occasionem: quæ Kalendis Novembris 3. noctis horâ Madriti contigit immensâ publicæ quietis jacturâ, quæ evidenti periculo nutans bellorum omnium semen & causas minabatur. Vix erat Carolus patris ætate provecti exiguæ valetudinis filius per annos 39. per quos omnes novercantis intus & foris fortunæ injuriis exercitus, quas invictâ semper patiētiâ, sed forsan molliori spiritu est eluctatus. Bellis implicitus aliquot provincias & multas urbes amisit: ut majores hostium sisteret progressus, pacem frequenter pangens, quam nova brevi bella exciperent. Aut infidis, aut negligentibus usus ministris, æris semper inopiâ laboravit; unde ad exterorum opem confugere coactus, ut sua conservaret, ab illis utcunque est defensus, ingenti ditissimæ Hispaniæ probro, quæ proprio hactenus ære & milite non se solùm tutata, sed & terrori Europæ fuerat. Moribus integerrimus conjugalem castitatem exactè coluisse creditus est: zelo in Deum & Religionem talis, qui Regem Catholicum decuit. Improlis post geminum conjugium decedens testamentum condidisse dictus est, quod omnium fefellit opinionem; præterito enim suæ Gentis hærede Archiduce Austriæ Carolo accivit in Regnorum Successorem Philippum Andegavensem, secundum Delfini filium, ex sorore sua Theresiâ pro-nepotem, declinandi forsan belli prætextu, sed verius illud accendendi occasione ministratâ, quod nemo

Carolus Rex Hispaniæ moritur

jam tum dubitavit atrocissimum oriturum, unde novi armorum apparatus à Leopoldo Cæsare, & Galliarum Rege Ludovico expediuntur, sic utrisque sua in Hispaniam jura, secus si non possint, prosequentibus. Clausula testamenti erat hæc num. 13. *Ego Carolus, si absque hærede obiero, succedet in omnia regna mea, & monarchiam Hispanicam hæres meus Philippus Dux Andegavensis, secundo-genitus Delphini gallici, cum omnibus utriûsque sexûs descendentibus: hoc defuncto, aut Gallicam præeligente coronam* (duarum unionem coronarum leges hispanicæ vetant fundamentales & pragmaticæ) *succedet ejus frater Dux Bituricensis: deficientem hunc subsequetur Carolus Archidux Austriæ, post hunc Dux Sabandiæ cum suis descendentibus &c.*

Testamenti clausula.

Plures, imo orbis universus existimat, quòd attentâ Caroli in laudatissimos parentes pietate, in sapientissimos avos observantiâ, in piissimam familiam suam Austriacam amore & veneratione, in amantissimam patriam, ejusdemque leges justitiâ, in seipsum prudentiâ, vix talis potuerit osor & inimicus esse Domûs suæ Austriacæ, ut eâ perpetuò abs monarchia Hispanica exclusâ, hæredem scripserit non liberâ, sed coactâ voluntate familiam Borbonicam, sibi semper inimicam; ideoque asserant plurimi Cardinalem Protocarerum noluisse Carolum extremâ munire unctione, nisi confictum prius subscripserit testamentum: ipsæ Protocareri ad Philippum Andegavensem literæ apertius Gallorum mysterium fallaciamque produnt, quod Regina, &

Regis

Regis conſcientiæ arbiter P. de las Torres conſtanti conteſtentur ſinceritate, Carolum contra conſcientiam ſuam coacte teſtamentum ſubſcripſiſſe, cui plures adhærent opinioni Hiſpaniæ proceres; adduntque Protocareri literæ neo-Regis proinde adventum impenſe maturandum. Comes autem Ludovicus Harrachius Cæſaris ad aulam Madritenſem legatus ſolemniſſimè contra hoc gallico confictum cerebro teſtamentum contraRegis voluntatem & poteſtatem nullius eſſe valoris proteſtatur. Et Cæſar audito, quòd Gallus rejecto partitionis tractatu teſtamenti potius concupiſceret hæreditatem, ex ſingulari & politica (quâ eximiè pollebat) ajebat prudentia: *Optimè ſe nunc res habet, tantò Domui Borbonicæ pernicioſior, quantò Auſtriacæ conducibilior.* Sapienter enim prævidebat Anglos Batavosque, & cæteros Europæ Principes ambitioſam illam Gallo-Hiſpanicam monarchiam ægrè laturos, & jura promoturos Auſtriaca, Gallorumque jugum evitaturos.

Gallus rejectâ partitione teſtamentū amplectitur.

Ludovicus autem Rex intellectâ ex Hiſpanorum literis Caroli morte, conſiliariorum ſuorum de ſucceſſione deſiderat audire ſententiam, quorum illa erat unanimis, ut relictâ teſtamenti hæreditate, partitionis amplecteretur tractatum, multis & urgentibus argumentis infauſtas noxiasque teſtamenti conſequentias inevitabiles ſubſequuturas demonſtrantes. Prætulit tamen Rex Iberici throni ſucceſſionem, ambitioni ſuæ monarchicæ admodùm profuturam. Delphinus indifferens, Ibericam, ajebat purpuram ſibi licet debitam non ſe quidem adeo ambire; gau-

dium

dium tamen animi foret, si dicere possem: Pater meus Rex, Rex meus filius.

Rex Ludovicus præterea 31. Januar. anni sequentis solemni edicto in aula & curia sua declaravit, Ducem Andegavensem nuper Madriti pro Hispaniarum Rege agnitum, filiosque ejus jura servare ad coronæ gallicæ successionem post Burgundiæ Ducem, si hunc sine prole obire contingeret. In quo non levi argumento visus est officere rationibus ab eo adductis, ut coronam hispanicam nepoti procuraret; scilicet eam, quæ timebatur regnorum conjunctionem locum non habituram, si quæsita primogenita Delphini filio jura in secundum transferrentur. Jam ante finem anni elapsi, Calendis scil. Decembris, Philippus Aurelianensium Dux pro se, & posteris contra testamentum Caroli II. solenni denuntiatione protestatus fuerat, dispositioni se nequicquam illi acquiescere, quâ successionis hispanicæ exors indicebatur; jura sanguinis prætendente, quod ab Anna Regina Ludovici XIII. conjuge ortum ducebat, hisque successionem niti, non ultimâ defuncti possessoris voluntate.

Austriacorum error politicus.

Hic politicum suum aula Viennensis incusabat errorem non exiguum, quòd defuncto Principe Bavaro non propediem ad evertendas tempestive gallicas molitiones, in Hispaniam demiserit Carolum Austriacum, ubi suum tunc Ibericæ aulæ ministri ac proceres monarchiæ solem oriri & indies crescere vidissent, ejusque gratioso genii, humanitatis, liberalitatis & majestatis sensim calore tepefacti, & influentia at-

tracti

tracti fuissent: tunc enim invitasset amor, attraxisset & charitas, vinxisset affectio; ipse interim Carolus Ibericos vivendi mores, genia, & consuetudines, immo totum regiminis statum cum maximo subditorum amore & veneratione non tantùm inspexisset & imbibisset; sed copiosissimo Christianorum sanguini, & immensis sumptibus laboribusque parcitum fuisset. At præter gravissimas alias causas nulli adhuc penetrabiles obstabat tenerrimus ambarum Cæsarearum Majestatum in dilectissimum filium amor & desiderium, quod necessarius ejusdem postliminiò in Hispaniam discessus ubertim demonstravit, è parentum brachiis violenter avulsus. Sed *magna opera Domini*, *exquisita in omnes voluntates ejus*, exclamat *S. David Psal.* 110. 2. *Ut miro, & ineffabili modo non fiat quidquam præter ejus voluntatem*, addit *S. Augustinus tom.* 3. *in Enchyrid. cap.* 100. etiam quod contra ejus fit voluntatem: quia non fieret, si non sineret. Nec utique nolens sinit, sed volens; nec sineret bono fieri malè, nisi omnipotens etiam de malo facere posset benè. Sic quidquid elegeris, pergit *S. Augustinus in Psalm.* 110. Omnipotenti non deerit, unde suam de te compleat voluntatem; quod hunc partitionis tractatum inspicienti evidenter patebit. Illum Angli & Batavi componentes & consentientes subscripserant; ubi verò audiunt Regem hoc rejecto successionis testamentum elegisse, utpote totius Europæ paci & tranquillitati magis quàm partitionem profuturum [uti Rex illis protestantibus & querelantibus respondebat] errore tur-

piter

piter decepti, ingentem ejus potentiam ſibi, cunctisque metuendam perſpiciunt. Nec magni hoc tempore politicorum Principis Ludovici politia ſuis caruit erroribus, & hic:

Luſit in humanis divina potentia rebus.

Plures imprimis non exigui Ludovicum erroris politici arguunt, quòd Hugenotos ſive Calviniſtas regno ſuo proſcripſerit, factionum quidem metu (quæ Galliam ſæpius cruentarant) ſed irreparabili reipublicæ, & regii fiſci detrimento: utrum conducibilius? regnum religione, pace, & ære abundare, an ſanguine inundare? Potuit deinde Ludovicus Anglicarum in Regem ſuum factionum non neſcius maturè obſiſtere, ne Rex Angliæ Jacobus ſecundus throno dejiceretur, & regno miſerè ſpoliatus in Gallia demum exul moreretur, quando anno 1688. Wilhelmum Arauſiæ Principem ingenti militari claſſe regnum Angliæ videbat invadentem, & non impedivit, quod potuit, & ob arctam ejus confœderationem debuit, dum ipſe eodem interim tempore numeroſiſſimo temerè exercitu Germaniam ſine legitima cauſa, aut juris prætenſione irruens, ferro & igne tyrannicè depopulatur: ita ut plures Jacobi dethroniſationem æquè Ludovico Regi quam Wilhelmo Principi imputent, quem poſtea iteratò tentatum nullâ vi aut modo potuit reſtituere, ut ſupra vidimus. Tertium denique, ut alios præteream, arguunt Ludovici in hoc errorem, quòd rejectâ Hiſpaniæ partitione ſucceſſionis teſtamentum fuerit amplexus: hoc nempe cruentiſſimo humani ſanguinis diluvio inundavit Europam, illa

cap-

eandem Britannorum Batavorumque consilio & subsidio [partitionis utpote erant cooperatores] in pace & tranquillitate stabilivisset, nec validissimas has Potentias maximo suo detrimento & exitio fecisset sibi inimicas. Hic Ludovicus arrogantiæ fumo occæcatus, & Hispaniæ potentiâ suffultus, omnibus se superiorem & invincibilem, neminem suî aggressorem posse metuere temerè imaginabatur; minimè prævidens, odiosæ suæ arrogantiæ parari à Deo depressionem. *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat quidquam, præter ejus voluntatem.* Cæterum testamentum hoc est Europæ sepulchrum & excidium sive verum, sive fictum fuerit: multi illud falsum omnino fuisse testamentum, alii verum, & Regi non ignotum existimant; sed à ministris suis Carolum proditoriè seductum, inque dolorum vehementia à sensibus quodammodo abreptum fuisse illud persuasum; in faciem autem eorum protestatum, quod rem istam illorum committeret conscientiæ, rationem aliquando supremo Judici reddendæ, iniquissimum verò sibi videri Austriacam Domum omnino excludere, quam mentis compos, & gravioribus immunis doloribus semper & constanter solam monarchiæ suæ successtricem esse voluit; ideoque tot votis & desideriis Caroli Austriaci in sua aula præsentiam, dum adhuc viveret, expetivit: quæ absque omni dubio tam Bavariæ Principi, & Duci Andegavensi, ut supra dixi, ototem monarchiæ Ibericæ successionem, quàm Gallis, Anglis, & Batavis Hispaniæ partitionem

tionem interclusisset. *Sed omnia quæcunque voluit Dominus fecit. Psal. 134. ut miro & ineffabili modo non fiat quidquam præter ejus voluntatem. S. August.*

Gallus Hispaniæ captat possessionē pro Andegavensi.

Ludovicus interim Rex collectis ad fines & aditus Hispaniæ, Italiæ & Belgii, præmissisq; militaribus eò copiis omnes terrâ marique sine mora portus, regna & provincias possessione occupat. Et quia facilè prævidebat maximi rem esse moliminis potentissima duo regna Galliam & Hispaniam in unam conjungere monarchiã, toti Europæ odiosam & intolerabilem, ingentemque ad hoc militum, & nervi bellici copiam requiri, nec 26. milliones, qui in regio adhuc ærario parati supererant, sufficere, regiorum igitur proventuum administratores, conductores, & collectores velut spongias exprimens, plus quàm 20. adhuc milliones extorsit. Chamillardus autem primarius aulæ minister Regi demonstrabat, cameralium hoc modo fore ruinam, si diutius bellum protraheretur, aut novum ingravesceret, quod tantas auri summas redituum Reg. Publicani, seu conductores & administratores tunc anticipatè protendere detrectabunt. Rex verò persuadere sibi non poterat quenquam Principum tantæ fore temeritatis se, duorum jam potentissimorum regnorum Monarcham bello aggredi, qui Rex Galliæ solus omnes hucusque Reges & Principes gloriosè domuisset & triumphasset. Sed magnum hunc politicum graviter deceptum tempus docebit. Imprimis autem Hispaniæ successio fuit Galliæ depressio: magnis enim opibus illam acquirendo necesse

necesse fuit hanc exhauriendo exinanire: annui quidem Galliæ proventus fuêre communiter antehac 15. milliones, qui tempore Henrici IV. bellis civilibus, & ineptâ priore regni administratione adeo diffluxerant, ut Rex ingens à Duce de Sully comparasse augmentum gauderet, quòd viginti imperialium millia in exercitûs sui stipendium menstruè submitteret, felicioríque Regis regimine regium Dux fiscum majoribus ditavit censibus, 35. scilicet millionibus, quos tempore Ludovici XIII. sua Cardinalis Richelius administratione 57. millionibus duplicavit: Colbertus autem sub Ludovico XIV. ad 120. milliones auxit, belloque ante pacem Ryswicensem recrudescente ad 180. milliones ascendentes nequaquam sufficiebant; sed post initam tandem pacem ingens Rex Ludovicus debitum octingentorum millionum contraxit, quod usque ad ejusdem regiminis & vitæ exitum in immensum excrevit; atque ita suum exhausit regnum, ut acquireret alienum. Interim Ludovicus Rex suum Hispanis iteratò neo-Regem postulantibus, hisce illum eò missurus affatur verbis: *Rex Hispaniæ Carolus Te Regni sui constituit Regem. te postulant Iberici proceres, te populus desiderat, & nos consentimus: memineris autem te sanguinis Borbonici esse Principem: amore fove subditos, & illâ te monarchiâ dignum efficito, cujus thronum conscendes: Iberia & Gallia unum imposterum erit regnum &c.* Ut verò Domus Austriaca excluderetur perpetuò, contra Caroli Austriaci successionem [quem Protocarerus honoris tantùm gratiâ testamento inserue-

ſeruerat] Regis Philippi frater junior Gaſton Dux Bituricenſis eſt proteſtatus. Philippus autem antequam Pariſiis diſcederet Madritum, inito cum Ludovico avo ſuo unionis contractu Belgium & Mediolanenſem Ducatum pro impenſis ſumptibus gallicæ perpetuò cedit coronæ, nullique niſi nationi gallicæ orientalis & occidentalis Indiæ permittit commercium & mercaturam, immenſo ædepol utriuſque nationis emolumento, incredibili verò Anglorum, Hollandorum, Auſtriacorum, totiusque Europæ detrimento : ſicque Philippus ex portu Blayenſi in Hiſpaniam velificat, ab Hiſpaniæ proceribus, ſeu Grandibus, ut vocant, poſtulatus, 18. Februar. anni ſequentis Madriti regali excipitur ſolemnitate; unde paulò ante proceres aliqui & Regina vidua juſſa decedere venit Toletum, electam à ſe vigore teſtamenti perpetuæ reſidentiæ ſuæ urbem, cujus abſolutum imperium & jurisdictionem in omni ejuſdem territorio Rex Carolus illi contulerat; omnia deinde mobilia, & cimelia, præterquam regalia ad coronam ſpectantia, & quæcunque donaria pretioſa illi permaneant, allataque ſimiliter dos eidem reſtituatur : In cenſum denique vitalitium legata illi ſunt annuè ad dies vitæ & viduitatis quadraginta ducatorum hiſpanicorum millia. Ingens præterea à Peruano Prorege, mortis adhuc Caroli inſcio, donarium in auro ſignato, eſcario argento, unionibus & mundo muliebri accepit pretioſiſſimum. Suæ verò Philippus Sponſæ, Sabaudiæ Ducis filiæ obviam procedens, in itinere Saragoſſæ Rex Aragoniæ, & Barcellonæ Rex Cata-

Vidua Regina Caroli Toletū diſcedit.

ta-

talonia proclamatus, deinde illam anno 1701. Fequieri excepit, & splendidè Barcellonam introduxit. *Vid. num.* 373.

Annus 1701.

373. Friderico III. Electori Brandenb. corona regia hoc anno 1701. à Cæsare Leopoldo concessa sub titulo Prussiæ, Vandaliæ, Cassubiæ &c. Regis, cum mutua decem millium armatorum assistentia parti hostiliter infestatæ utrimque præstanda, remissisque C. millibus Imperialium Brandeburgo à Cæsare solvendis: prætensionem præterea Mansfeldicam Cæsaris arbitrio Elector submittet, liberumque Romano-Catholicis religionis suæ exercitium & privilegia juxta pacem Westphalicam permittet, confirmabitque. Frider. Elect. Brandeburg. fit Rex Prussiæ.

Quare 18. Calend. Februar. Regiomontis Konigsberg Prussiæ Brandenburgicæ metropolis præconum voce, tubis militaribus, & omni festivæ acclamationis pompa Fridericus S.R.I. Elector, & Brandenburgicus Marchio Rex singulari hoc verborum tenore per præcones pronuntiatur: *Sapientis Dei providentia Prussiæ Ducatus erigitur in regnum, & Fridericus ejus supremus potentissimus & altissimus Princeps factus est Rex in Prussia.* Post triduum idem Fridericus cum Carola Sophia uxore coronam regiam cum omni ceremoniarum apparatu, quæ solent adhiberi, sumpsit: & in hujusce inaugurationis memoriam novus Rex ordinem equitum instituit, quibus attribuit crucem cæruleam quatuor nigris aquilis septam, in cujus medio

literæ initiales: FRIDERICUS REX, & appensam vittâ aurei coloris.

Tertio Nonas Januar. Bizantii Ferriolus Ludovici Regis Galliæ Orator, dum ad primam cum Sultano collocutionem se sistit, jussus ensem deponere (quòd nullum armatum admitti ad colloquendum cum Sultano assererent) audacter se id præstiturum recusat: dumque ad secretioris aulæ portam, qua ad Imperatorem aditus, ensem per vim extorquere Turcæ instant, ipse altiore voce (ita ut à Sultano ipso audiretur) protestatus contra injuriam publico caduceatori illatam, oblatam sibi ex Turcarum more vestem exuit, & similia xenia exuere suos omnes jubet, & abjicere, domumque inauditus regreditur. Eo etiam Sultani jussu relata sunt munera & donaria omnia, quæ Regis Ludovici nomine illi idem Orator obtulerat.

In Gallia ordo equitum S. Spiritûs anno 1579. Parisiis ab Henrico II. institutus, à Rege Ludovico XIV. est sublatus; an etiam ejusdem donum fortitudinis?

Nuptiæ Caroli Ducis Neoburgici cum filia Poloni Principis Lubomirskii, & Friderici Hasso-Casselani primogeniti cum Ludovisia Sophia Brandenburgica festivissimè sunt institutæ.

In Africa Algerienses cum Tunetanis acriter iteratò sunt collisi. Viennæ Austriæ nascitur Josepho Romanorum Regi 28. Octobris noctu primogenitus Leopoldus, Josephus, Joannes &c. magno Viennensis aulæ & Rom. Imp. gaudio, milleque gratulationibus & votis exoptatus; quorum non ineptum est sequens:

Josepho Roman. Regi nascitur filius.

QVæ

QVæ noVa Josepho DIMIttItVr æthere proLes,
VIVat ! & eX Voto patrIa sCeptra gerat.

Sed nullus votorum fuit effectus, sequenti, ut videbimus, anno mortuus. Ordines tamen inferioris Austriæ eidem Neo-Principi 40. florenorum millia, & Viennensis civitas centum florenorum rhenensium millia pro cunabulorum ligamine offerunt. Mutinensi quoque in Italia Principi natus hoc anno filius, Joannes Fridericus Ernestus.

Mombasæ emporium in Africæ orientalis litore situm, longâ duorum annorum obsidione pressum, ne Lusitani ad solos 18. præsidiarios, grassantibus bello & peste redacti, barbaris Arabibus dederent, suffossis mœnibus, & præparato incendio, quo mercium, & omnis generis supellex consumeretur, sese generosæ, an non & furiosæ? fidei holocausta absolutâ integræ urbis ruinâ devoverunt. 14. Calend. Novembris Sorbonæ schola Parisina censurâ notavit librum, quem eo fine auctor scripserat è China redux, ut societatis suæ prædicatores, qui eo ad Christi fidem seminandam mittuntur, instrueret de iis, quæ ad gentis genium & veteranos cultus spectant. Quòd autem illi genti honestis alioqui moribus ad vitam civilem compositæ, talis etiam probitatis cultum attribueret, quo pia, & ab annis bis mille rectæ in Deum naturaliter cognitum fidei particeps crederetur; in eo autem asserendo excessisse damnatus est, quòd quasi inutilem ejus saluti Christi sanguinem, & merita videretur astruere; cæteris alioqui relationibus comperto, quòd præter fictam ex aëre purissimo

Dei naturam, superstitiosos cultus Confutio suo Philosopho, & Majoribus suis mortuis deferant &c. Censuram Gallicanam Romana non diu postea secuta est, approbante universali supremorum Inquisitorum tribunali, quod Parisiis decretum fuerat. Cæterùm Sinensium ritum Confutio suo hactenus exhibitum (quem Patres Dominicani superstitiosum & idololatricum accusabant) Patres Societatis Jesu non divinum adorationem, sed civilem tantùm & politicum honorem asserebant, ejusque genuinum sensum authentico Imperatoris Sinensis testimonio, atque ex eorum libris, & Doctorum, sive Mandarinorum suorum explicatione probabant; modò animi intentionem ad Christum dirigerent, huncque sub nomine Confutii intelligerent. Quemadmodum Romano-Catholici thus Deo adolent, & eodem etiam thure defunctorum tumbas, & vivos homines thurificant: primum ritum divinum, alterum civilem & politicum honorem asserentes, qui iis exhibetur, qui in Ecclesiæ Catholicæ gremio obierunt; nam licet eadem sit actio, non tamen eadem est agentis intentio, quæ vim & speciem tribuit actionibus indifferentibus. Quem Sinensium ritum, modum & intentionem sic propositam Pontifex Alexander VII. illis permisit. Patres autem Dominicani fictam, falsam & mendacem istius ritûs intentionem Sinensium affirmabant; adeoque Imperatorem, Mandarinos seu Doctores eorum omnes mendacii arguebant, & superstitiosum dicebant eorum ritum, cum summa Imperatoris offensa, totius gentis confusione, &

Chri-

Christianæ religionis regno eliminandæ periculo. Quare Cardinalis Turnonius à suæ gentis Principe ad Sinarum regnum est ablegatus cum Clementis XI. Pontificis decreto, anno 1704. circa contraversos inter Christianos Imperii incolas ritus expedito [& ab Alexandri VII. decreto multùm diverso] ut illud observari urgeret, non sine animorum, ut dixi, dissensione, & publicæ pacis præjudicio. Hujus demum Cardinalis Amacaji in Imperio Sinarum obitus anno 1711. Romæ est auditus, qui utrique parti silentium imposuerat: at Sorbona cultum illum damnavit: Patres autem Societatis le Conde & Gobiet quasdam reflexiones supra hanc causæ Sinensis constitutionem pro sua defensione publico prelo Italicè & latinè ediderunt. De ejusmodi interno cultu ad Christum directo apud Proselytos Turcas in Insula Chio Jesuitas accusavit P. Seri Monachus Jacobinus 1711.

In Helvetia Pietistarum secta ex Anabaptismo, Chiliasmo, Enthusiasmo, & Nicolaismo conflata invaluit; coercita tamen à Bernatibus 1701. & 1702. expulsi Germaniam passim infecerunt. Berolini autem de syncretismo inter Lutheranos & Reformatos ineundo anno 1702. & 1703. est tractatum, sed irrito successu.

Quarto Nonas Januar. Romæ brevi dierum ægritudine obiit Honoratus Grimaldus Monæci Princeps, & Galliæ Regis ad Pontificem Orator. Cum in lecto ob suam ægritudinem detineretur, acceptis à Ludovico epistolis voluit, neqnicquam dehortantibus medicis, ad Pontificem se conferre, ut de impositis sibi negotiis

cum illo ageret. Acriori proinde morbo afflictus tandem devixit, ægritudinem augente anxietate animi & fastidio, quòd susceptam paulò ante regio nomine Romani Optimatis, qui Galliæ præcipuâ devotione addictus erat, protectionem Regi Ludovico minus probatam intelligeret. Hic Romanus Marchio Vaini fuerat, nuper Principis dignitate ab Innocentio XII. donatus, & equestris ordinis S. Spiritûs torque à Rege Ludovico. Quibus auctus honoribus cùm Sede nuper vacante impatiens audiret militari tympano milites ad solitam urbis custodiam per vicum vocari, qui suo erat palatio contiguus, minis primùm, vi deinde tympanistas & milites arcuit à transitu. Quod indignè ferentes Cardinales in Conclavi ad electionem novi Pontificis congregati, Neo-Principem velut supremæ & publicæ potestati rebellem in vincula jubent trahere. In quo anfractu advocatus ab eo Orator gallicus suâ effecit præsentiâ, ut à vi ulteriore abstineretur. Delatis interim Cardinalium nomine ad Regem querelis, patrocinio nominis abutentem hominem contra legitimam auctoritatem protegi; istis obaudiens Rex præterita omnia mutuâ remissione obliterari permisit. Sic 6. Calend. Aprilis ex levi ibidem scintilla ignis proximus fuit accendi. Galli aliquot per urbem discursantes, & casu prope Oratoris Cæsarei palatium consistentes, cum de urbanis rumoribus fabulantur, à familiaribus Oratoris moniti longius divertere, in recusantes verba primùm duriora, deinde vis est adhibita, Gallis minas strictis ensibus retundere paratis.

Crescen-

Crescente tumultu accessione partiariorum aliquot ex illis sauciati, & prope erat, ut Roma tota abiret in seditionem. Legatis Cæsareo, Hispanico & Gallico copias parantibus, quibus aut irruerent, aut sese tuerentur, nisi Pontifex sequester obtinuisset rem deferri Oratori Veneto componendam, qui tandem post multas ultro citroque circuitiones animos sedavit.

Idus Julii Cæsar Vienna dat epistolam ad Pontificem, excusandæ necessitatis causâ, quâ ducti sui in Italiam exercitûs duces copias aliquam ditionis ecclesiasticæ partem contingere coacti fuissent, & contra quos Hispanorum & Gallorum ministri querelas circumferre non desistebant. Æquior tamen rerum necessitati pontifex impatientis genii officia parvi faciens Cardinalem Jansonium, & Oratorem Hispaniæ tandem atque tandem rogavit, ut ab illis temperarent. Romæ obiit Petrus Maria Petrucius Senensis, ab Innocentio XI. factus Cardinalis anno 1686. singularis pietatis commendatione, quam primùm inter Patres Oratorii, dein in Esiensi episcopatu, quem ei Cardinalis Cibo renuntiarat, profiteri pergebat. Cùm autem per hæc tempora sublimioris orationis prætextu multa de interna animæ imperfectionibus immunis Quiete jactarent incauti mystagogi, multa sapere ad mentem istorum Petrucius traductus est; unde secreto, ut purpuræ jam adeptæ parceretur, illum voluit Innocentius vanis dogmatibus renuntiare, & Romæ sub Curiæ inspectione vivere usque ad mortem, damnatis multis epistolis & libellis, quos Petrucius ediderat,

ne periculosæ, devotionis obtentu scandalo essent imperitioribus.

373. Anni hujus principio 12. Januarii Viennæ defuncti Regis Caroli II. exequiæ solemnissimo doloris castro per triduum exolvuntur, cujus hæc erat inscriptio:

Exequiæ Caroli Viennæ

Illustrem molem, sed & lugubrem
Lector spectas, & legis spectator;
Inter umbras ponit
Carolum II. Hispaniæ lucem;
Reliquos titulos mors delet,
Et pia Austria dolet.

Quæ inepte à Villario legato ibidem gallico explicata, quasi Austriaca Domus per hoc juri suo renuntiaret hispanico. His peractis Cæsar de statuendo bello deliberat; quod omnes dissuadebant ob nervi bellici defectum Consiliarii; unus sustinebat Princeps Eugenius, & P. Wolffius Societ. Jesu Cæsaris confessarius, sufficientia posse suppeditari media invadendi Italiam; prævium Cæsarem secuturos mox Anglos & Batavos: immo Cæsar consulto sæpius ab armi potente Deo se interno quodammodo spiritu pro vindicanda juste hæreditate ad bellum veluti trahi videbatur, eratque omnium sui regiminis primum, quod indiceret bellum, cetera sustinuit sibi illata. *Vid. num. 396.* Neque Divos sperabat sibi adversos, sed propitios; proinde Zellæ coram D. Virginis statua Crucifixum manu gerens ajebat: *Mi Jesu Salvator, protestor, confiteor sacratissimæ Majestati tuæ, quòd non ex ambitione, aut populos provinciasque lucrandi animo meum emiserim exercitum, tuis contentus*

Cæsar pro vindicanda Hispania bellum Gallo indicit.

donis

donis & regnis à te acceptis : accipe justam animi & moliminis mei intentionem, & ut spero, arma mea tu duces & benedices. Testor etiam coram te, quòd ad hoc coactus bellum humanum de manu mea effundendum sanguinem non requires. In te Domine spero, & non confundar.

Sua igitur prosecuturus jura, militem ad 80. millia auctoratum, 30000. hæreditariorum regnorum provinciarumque impendit conservationi, in Romanum Imperium 20000. in Italiam denique 30000. sub Eugenio Sabaudiæ Principe Rovoredum ad diribitorium amandat; Gallorum Hispanorumque autem impar potentiæ, Britannorum & Batavorum, classe & opibus potentium per Comitem Uratislavium sollicitat confœderationem (ob causam aliquo usque dilatam) qui irrito partitionis tractatu turpiter decepti & orbis facti ludibrium, tum ne libero hactenus commercio & mercaturâ (quæ earum est nationum anima) interdicerentur; neve immensâ Gallo-Hispanorum potentiâ oppressi, regnis & provinciis, libertateque exuerentur. Cujus manifestum prævidebant periculum ex iniquissima totius Brabantiæ, ceterarumque Belgii provinciarum (quarum Bavarus Elector Maximilianus Emmanuel Cæsaris interventu & commendatione erat gubernator) in Gallorum manus traditione; effusâ enim hic Princeps lusûs & levitatis prodigalitate ubique debitor, nullum ullibi reperiebat creditorem; ideoque Amstelodamensibus mutuum dare renuentibus offensus, omnes gubernii sui provincias aliquot Gallo millionibus ad relaxanda sua de-

Confœderatur Anglis & Batavis.

Maximil. elector Belgium Gallo vendit, & confœderatur.

debita vendit, arctèque cum Ludovico & Philippo Regibus contra Cæsarem confœderatus, omnem erga Leopoldum & Imperium Rom. fidem & observantiam summâ ingratitudine & impudentiâ exuit, quâ major alia & deterior est subsecuta; nam X. Calend. Aprili. idem Elector à Ludovico Galliæ Rege literas accepit, quibus in Bavariam redire suadetur, assertâ illi antiquâ Belgii Hispanici procuratione, dum rebus propriis curatis ad eam redeundi sese tulerit occasio. Hac intempestivâ dimissione parum Principis decori cautum quis putare potuisset, nisi nota ejusdem Electoris cum Rege Galliæ consensio improvisum iter ad ulteriora Germaniam distrahendi consilia necessarium fateretur. Electrix conjux, totaque familia brevi postea eâdem secessione in Bavariam redire visæ sunt. *Vid. infra.*

Vaudemontius Mediolanum Gallo cedit.

Ad Mediolanensem Ducatum misso Cæsar Comite de Castelbarco, ut ejusdem Gubernatori Duci Vaudemontio Austriacæ Domûs jura successionis, præstitaque illi demonstraret beneficia, indubitatam proinde speraret ejusdem fidelitatem & operam, hoc tulit Vaudemontii responsum: Cæsari se fore gratum perpetuò; nunc verò se Regis Catholici ministrum, Philippi debuisse mandatis parêre, quem etiam 19. Decembris Regem per Ducatum Mediolanensem publicè, senatûs collegio consentiente proclamasset. Ducis ingratitudinem quidam excusant, quòd Carolo II. adhuc vivente Cæsari suaserit militem in Ducatum, ejusve limites Gallos avertendi causâ immittere; non exauditus,

tus, gallicæ debuit obedire potentiæ, cujus licet origine ſubditus ſit, & vaſallus; fidelem tamen hactenus Cæſari ſemper navaſſe operam cum immortali martialis fortitudinis ſuæ gloria. Nulla interim, inquit *S. Gregorius M. in Homil.* eſt intolerabilior contumelia, quàm quæ pro benefactis rependitur ingratitudo; quæ muneribus non lenitur, ſed accenditur: & dum quærendis inhiat, quæſita non meminit, immo non rarò perdit; quæ major ſtultitia? ait *Petracha 1. Remed. 81. Qui reddit mala pro bonis, nec recedet malum de domo ejus. Proverb. 17. 13.* videbimus num. 475. Fidei conſtantia & patientia hic erant neceſſaria.

Clientelare præterea Regni Neapolitani feudum, ejusque inveſtituram Cæſar à Pontifice poſtulans, recuſatur; dumque auſtriaca Ibericæ ſucceſſionis jura efficacibus argumentis & rationibus eidem demonſtraret, ille gallicis infectus affectionibus non admittebat. Victor Amadeus Dux Sabaudiæ gallicas etiam amplexus partes, conjunctis ſuis fit omnium gallicarum in Italia copiarum Generaliſſimus, & illius filia Philippi Neoregis Hiſpaniæ conjux. Mantuanus verò Dux auro & blanditiisineſcatus, Gallicum Mantuæ (quæ opportuno loci ſitu & robore toti veluti imperat Italiæ) rejecto pontificio excipit 5000. præſidium, à Teſſeo in Aprill transmiſſum, ſub menſtruo 6000. imperialium ſtipendio militi perſolvendo: immo pretio 80000. Ludovicorum in Gallum tranſcripſiſſe Ducatum dicebatur, Cæſari clientelarem; atque ideo Cæſar reum læſæ majeſtatis & fe-

Neapolis inveſtituram Papa Cæſari negat.

Mantuanus Gallo vendit Mantuam.

feloniæ bona ejus tam feudalia, quam allodialia fisco addicit, sicque tota Italia à Cæsare ad Gallum defecerat.

Batavi quamvis à Comite Wratislao studiosissimè ad confœderationem sollicitati ardenter etiam inclinarent; sed quia eorum militia ex prioris belli seu pacis tractatibus securitatis causa, & propter æs alienum ab Hispanis tunc contractum illis exolvendum), Luxemburgi, Namurci &c. adhuc contineretur hospitiis, Gallusque eam nollet demittere, & captivam detineret, nisi Philippum Andegavensem agnoscerent Hispaniæ Regem. Quid hic agerent Batavi in hoc inevitabili libertatis suæ & salutis discrimine? flos militiæ & robur ipsorum captivum; Britannus socius post pacem Ryswicensem à Ludovico suum quoque exauctorare militem erat coactus: exuti undequaque viribus Andegavensem agnoscunt Regem, & suam reposcunt militiam, ulteriorem simulantes cum Gallis amicitiam; potissimum autem Britanni respicientes consilia; hic præfatæ partitionis dolo graviter offensus, Gallorum intimas prospiciens fallacias & consilia, Tallardo Ludovici apud se ministro apertè confessus est, se Austriaci Caroli III. Regis confœderationem, à Leopoldo patre ab hinc sollicitatam amplexurum. Cui Regis sententiæ firmiter etiam adhærentes Batavi, terra marique vigorosam utrimque urgent armorum belliq; præparationem: Britannus in Batavorũ præsidium mox aliquot armatorum millia in Hollandiam transmittit, concluditurque triplex Cæsareo-Britanno Batavica confœderatio ab

Fœdus Cæsareo Britanno-batavicũ

ad obtinendam Austriacæ Domui Hispaniæ successionem, & Anglorum Batavorumque contra Gallo - Hispanorum potentiam defensionem conservationemque. *Vid. n.* 380.

374. Viennæ Dux de Moles legatus Hispaniæ feudi Mediolanensis Ducatûs investituram pro Neorege Philippo magnâ exigens vehementiâ, rejicitur, quòd suas Cæsar sibi competentes provincias nollet aliis, & quidem hostibus tradere, sed sibi, Imperioque Rom. retinere. Quare Ludovicus Badensis supremum Cæsarei exercitus in Germania imperium Leopoldi invitatu assumit, ingenti promissionum & gratiarum, quas in eum Cæsar contulit, cumulo delinitus, ut jam acceptatum in ipsum Cæsarem noni electoratûs prætextu belli indicendi consilium respueret. In hujus bellicæ diversionis partem Welferbytanus Dux jam & ipse abierat, inito Parisiis ante aliquot hebdomadas cum Ludovico Rege tractatu, quo acceptis per menses singulos 60000. librarum, octo militum millia conscripta haberet in hujusce belli administrandi finem; quorum tamen pars dimidia Regi Ludovico, ubi is petiisset, militaret. Sed hic tractatus postea rescissus est, cum universi Imperii Ordines Cæsari adhærere, & ejus domui successionem hispanicam asserere statuerunt. *Vid. num.* 239. Imperatoque Romani Imperii subsidio Cæsar Ludovicum Badensem in Imperium cum exercitu mense Majo ablegat; cui suas Suevicus & Franconicus circuli submittunt legiones, seriò licet & graviter à legato gallico in circulari Norimbergæ conventu dehortati, ne hispanicæ im-

Cæsar misso in Impetiũ Rom. Badensi, principes sibi conciliat.

immiſcerent ſe ſucceſſioni, Cæſarique tranſitu interdicerent: hoc, reſpondebant Legato, Imperii leges prohibent; imperantque Cæſari ſupremo domino obſecundare. *Vid. n.* 380. Electori etiam Palatino neutralitatem irritò ſuadet extraordinarius Galliæ legatus Alleurs: alios verò Imperii Principes, ob nonum differentes electoratum, re in opportunius tempus ſine juris competentis præjudicio dilata ſibi Cæſar conciliat, & Gallorum partibus abſtrahit. Solus Bavarus cum auctorato numeroſo milite quo tenderet, ignorabatur, declinaturum vero ad Gallos Cæſar ſuſpicatus, paternè, ſed irritò, illum dehortatur. *Vid. n.* 386. 387.

Eugenius Sabaudus Italiam invadit & Catinatum cædit.

375. Eugenius interea 26. Maji Roveredum ultimo Tyrolis loco ad Venetiarum fines adveniens, luſtrato ibidem exercitu per Tyrolenſes alpes incredibili, & difficilliori quam olim Romanis labore cum bellicis tormentis & impedimentis, funibus dextrè de montibus demiſſis ſuperatos, præter omnium Gallorum, aditus ubique firmiter occludentium opinionem, feliciter perrumpens, loca ipſe præſens uſque ad hoſtium excubias viſitat, ſimulatoque tranſitu per Benaci litus orientale, ut inde per agros Brixianum & Bergomenſem ſibi verſus Mediolanum iter aperiret, ex improviſo præteritis hoſtibus ſiniſtram tenens, equitatum ſuum per vallem cognomento aridam, & peditatum per aliam vulgo Valdagna dictam in agrum Veronenſem verſus Legnam, ſive Liviacum ſecundum Atheſim fluvium tendit: hicque ubi opportunius tranſmeari poſſet, præmittit Palffium, navibus

vibus conquirendis intendentem, quem totus mox secutus exercitus Castelbaldi athesim, in loco, qui Abbatia dicitur in agro Ferrariensi, Catinato Gallici exercitus imperatore ex altera parte non impediente, liberè pertransit, & Gallis ultra Carpum Ducatûs Mutinensis usque cedentibus, Eugenius primum militare eorum Cassignani sepimentum aggressus, hostem expellit; ad secundum fugientem persecutus, vim Cæsareanorum Catinatus non expectans, Carpum ad sua castra profugit; quibus eàdem expulsus fortitudine, fugæ se committit, cæsis Gallorum 1700. captis centum, præter duo tormenta campestria, quædam etiam impedimenta & 200. equos victoribus cessos. Cæsareanorum cecidêre cum subtribuno Com. Thierheimio, multum deplorato, quadraginta, & totidem sunt vulnerati. Quo minus Cæsarei hostes sese ad Mincium recipientes insequerentur, vetuit Venetus liniarii Rector, qui onerarias naves, à quibus victum hauriebant, per triduum distinuit, metu vastitatis per Germanos inferendæ, similis illi, quæ à fœderatis Hispanis & Gallis ruricolis Venetis illata fuerat, eo quòd victus ad Cæsareanorum castra deferrent. Decimâ mensis Julii Eugenius tacitis hostem tympanis fugientem insecutus, invenit Rivolum, Gussolongum, Chiusam, Villam Francam, & reliqua Veronam usque loca per totum Athesis tractum à Gallis derelicta, securusque aditus & communicatio Tyrolis (quam studiosissime Galli intercluserant) est aperta, Cæsareis necessaria: Superato deinde Mincio occupat deditione ca-

Athesis tractum occupat

 strum

ſtrum Godofredo, Caſtilionem, & ad Oglium fl. oppidum Chiarum, ibidemque caſtra metatur, Gallorum conſiliis motibusque invigilans: quibus Vaudemontius, Præfectus ſeu Gubernator Mediolanenſis, & Dux Sabaudiæ Amadeus Gallo-Hiſpanici exercitûs Generaliſſimus, pauloque poſt Villerojus, Catinati ſucceſſor (quem Rex licet ducem expertiſſimum, & emeritum militem ob deſidioſam, ut exiſtimabat, negligentiam in Galliam revocaverat) cum non exiguo ſubſidio accedunt, transmiſſoque Oglio fl. (quod neutiquam impediebat Eugenius, munitis probè ſuis in opportuno duorum canalium loco caſtris confidens, ne commoda Tyrolenſis Ducatus, & Benaci lacûs exueretur communicatione) Villerojus, & Sabaudiæ Dux, diſſuadente Catinato, magnis viribus Cæſareum invadunt ſepimentum & Receptum, tumultuarieque occupant; ſed mox eos ejicit Eugenius, & magnâ eorum cæde repellit, obtentis quatuor pedeſtribus vexillis. Tum Villerojus iterato furiosè impetu irruit in caſtra; at fortiori exceptus animo 3000. ſuorum ad minimum cæde ac vulnere cogitur retrocedere; quos inter trecenti erant officiales, qui in acie primum, & ad generoſius oppugnandum conſtituebant membrum: Cæſareorum verò 36. gregarii cæſi, & 80. ſunt vulnerati. *Vid. num.* 410. Vaubonnus Cæſareis tunc caſtris & prælio cum aliquot millium agmine excurrendo abſens, cum ingenti paulò pòſt 40. millium ducatorum præda revertitur, & præter alios Principem etiam Borbonium adducens, multæ apud illum li-

Villerojum & Sabaudũ ſe invadentes cũ ſtrage repellit.

Vaubonnus & Vaudemontius Gallos cædunt.

literæ, & bellica secreta, germanicam & Italicam expeditiones concernentia, sunt reperta: pro quorum illæsa restitutione Borbonius 14000. duplonum Vaubonno obtulisse dicebatur. Thomas Vaudemontius quoque excurrens Addâ fl. pervadatâ 31. Octobris Tracassani, Albignani, & Cassani gallicam Montroji legionem, aliasque primâ luce turmas inopinatè opprimit, 500. interficit, captumque Montrojum, & alios tribunos cum XI. signis equestribus, 500. equis, omnibusque impedimentis ad Eugenium feliciter traducit, Duce del Sestio, & March. Valdifuente fugâ elapsis. Senior autem Vaudemontius Mediolanum metu urbis ab Eugenio obsidendæ abs Amadeo est remissus; timensque sibi Mantuanus, arma subditis suis in Cæsareanos arripiendi concedit facultatem; quibus econtra generalis belli commissarius Castelbarcus illud sub rebellionis reatu, & bonorum amissione severissimè interdixit.

Felices Cæsareanorũ excursiones.

Tum Eugenius in gallici conspectu exercitûs Canettum, in ducatu Mantuano ad ripam Oglii fl. probè munitum, dimisso audacter per gregarium militem versatili ponte, capit deditione; & in ducatu Mutinensi Bersellum optimi roboris oppidum ultrò à Duce traditum, ac denique Guastallam à Gallis derelictam occupat. Et quia anno declinante Galli ad hyberna properabant, posteriora Eugenius eorum carpens agmina plures capit, & interficit: ducem simul & ducatum Parmensem, Gallo hactenus maximè devotum, pontifici licet clientelarem, subjugat: Mirandulana Ducissa traditionem urbis ab Eugenio postu-

Eugenius capit Canettum, Bersellum & Guastallam.

Ducat. Parmẽsem, Mirandulam.

stulata, cum præfecto gallico in arce sua quasi consultura, cives interim sonantibus æris martiis convolantes, gallicum armis ejiciunt præsidium, & Cæsareanos admittunt, ingentem ibidem deprehendentes commeatum, & bellicum apparatum; ideoque Ludovicus Rex hanc à muliere sibi illatam injuriam tulit ægerrimè. Eugenius demum in hybernalia etiam ducturus exercitum, præmittit Mercium cum 500. equitibus in ducatum Mantuanum, quem Tesseus 800. equitibus, totidemque pyrobolariis circumcinctum, fundit, cæsisque 200. Mercium captivum abducit. At Cæsareani mox totum, exceptâ Mantuâ & Goito, ducatum occupant, & arctè urbem Mantuam includunt, numerosiore licet à Tesseo firmatam præsidio; prætoriaque Eugenius stativa figit Borgoforti ad Padum, & paulò post Luzzaræ. *Vide num.* 378. & 382.

[margin: ...ducat. Mantuanum. Mercius capitur.]

Romæ controversia Palatino-Aurelianensis pontificis arbitrio commissa, 17. Februarii 1702. in favorem Electoris Palatini Neoburgici, elisâ omni Charlotæ Elisabethæ Aurelianensis in Palatinatum prætensione, vi & armis injustissimè contra pacem Monasteriensem, contraque feudorum, & Imperii Rom. leges, feminas successione feudali excludentes, hactenus formatâ, est terminata, traditâ Aurelianensi (ut supra retuli) pecuniæ summâ, scutorum ter centum mille, monetæ Romanæ pro omni & toto eo, quod ex quacunque causa & titulo eadem Ducissa prætendere potuit, & potest ab Electore, tam occasione & jure successionis in bonis

[margin: Lis palatino-Aurelianensis terminata.]

&

& hæreditate Principis Caroli Ludovici ejus patris, quam Principis Caroli ejus germani fratris. In dicta præterea summa compensandas, & excomputandas fore, & esse omnes, & quascunque solutiones, factas prædictæ Ducissæ, ac ejus ministris, tàm ante, quàm post Tractatum pacis Ryswicensis ratione dd. successionum &c. Ubi Philippus quoque Bourbonius Dux Aurelianensis Ludovici XIV. regis frater hoc eodem anno moritur. Londini Rex Angliæ Wilhelmus III. 19. mensis Martii naturæ quoq; debitum solvit, anno ætatis 52. qui primùm inter venandũ equo procumbente pedis luxationem passus, accedente febre ad ultimum vitæ perductus est. Nunquam adeo plenâ quàm tunc corporis valetudine usus fuerat, ut longiorem sibi vitam promitteret. Acri Rex ille erat ingenio, atq; ad maxima quæque oportuno præditus, rebus Europæ eminere visus est, & ceteros Principes nimiâ Regis Ludovici potentia aut felicitate territos contra illum erexit, fœderibus illigavit, & in eo statu reliquit, ut fortunam ab illo avertere, & ad se reducere valuerint. Certe Princeps prudentiâ & arte militari inclytus, ideoque abs confœderatis maxime deploratus. Illi in thronum successit Anna, Jacobi II. Regis filia, Georgio Daniæ Principi nupta; cui improli, excluso Cambricensi, seu Walliæ, ut vocant, Principe, Parlamentum decrevit, & confirmavit succedere ex domo Luneburgico-Hanoverana Sophiam, Ernesti Augusti Hanoverani viduam, Friderici olim Palatini & Elisabethæ, ex Jacobo I. Angliæ Rege natæ filiam, ejusque descendentes,

Mors D. Aureliænensis & Wilhelmi Reg. Angliæ.

Cui succedit domus Luneburgo-Hanoverana.

res, nempe Georgium Lud. Electorem Hanoveranum, Ernesti Augusti & Sophiæ filium; cui Anna Regina anno 1706. per caduceatores, Comitem Hallifex, & D. à Bruck jus indegenatûs per naturalisationem ejus à parlamento factam, cum Anglicani Ordinis periscelide submisit. Ubi tunc quoque actum est de unione Angliæ cum Scotia aliquoties tentata, tandem perficienda, bina scilicet regna invicem incorporando, ut duorum loco regnorum Angliæ & Scotiæ univocè simpliciter nominaretur *Magnæ Britannia*; adeoque unum ex duobus constitueretur parlamentum; & successor denique regni semper lineæ esset Protestantis. Quæ omnia & singula approbavit quidem Regina; sed an etiam Scoti sint consensuri, tempus dabit, optimus consiliarius. *Stob.* Hæreditarius deinde Princeps Hanoveranus Angliæ regni Dux, seu Pair, ut vocant, à Parlamento est declaratus; proinde in Scotia Dux Albani, & in Hibernia Dux Ulcestriæ, trium regnorum Dux, tanquam naturalisatum parlamenti membrum, ob futuram regni Britanniæ successionem solemniter est receptus. *Vid. num.* 486.

Unio Anglo-Scotia tentata.

Inter hæc 16. Septembris in S. Germano Galliæ obiit Jacobus II. Rex Angliæ, annos natus 68. non integros, omnibus pientissimæ mentis actibus exhibitis, & præcipuè reconciliationis & veniæ in omnes suæ exauctorationis auctores & complices: quos actus animitùs filio suo commendavit, & maximè, ne se ullâ unquam spe regni etiam oblati à vera Catholica religione abduci pateretur. Vitam duxerat Jacobus ad-

Mors Jacobi Reg. Angliæ.

adversæ plurimùm fortunæ laboribus exercitam, mortuo Patre Carolo I. Stuarto publice Londini à Cromwelo anno 1649. capite plexo, juvenis adhuc extorris avito regno, in Belgio, & Coloniæ Agrippinæ usque ad fratris sui Caroli II. anno 1660. restitutionem, ut privatæ sortis homo vixit: vix meliorem expertus, dum regnante fratre ob assumptam Catholicam fidem populis exosus, molitiones eorum, ut successionis exors fieret, quin & exilia perpessus est. Ad solium tandem evectus, quòd Regi Galliæ impensiùs studere, & catholicos ritus in Angliam revocare, legum & privilegiorum contemptu crederetur, iterum exul se in Galliam cum uxore & filio recepit: ubi inter varia contra adversos Anglos conamina tum armis, tum secretioribus moliminibus consenescens obiit, cui summo cum dolore Pontifex Clemens XI. in publico Cardinalium collegio parentavit, regiasque ejus virtutes, præcipuè autem heroicam in illo Romano Catholicæ fidei constantiam (cui Rex tanquam verus Ecclesiæ filius, & verus fidei defensor, ut Pontifex ait, patriam, opes, regnum, & vitam ipsam posthabere non dubitavit) magnis laudum præconiis deprædicavit; atque ideo ipsius de Apostolica Sede optimè meriti exequias tam privatim, quàm publicè in sacello pontificio impensissimè celebravit. Morte ejus Londini auditâ visi sunt aliqui per urbem equitantes filium ejus Walliæ, ut vocant, Ducem Cambricensem publico præconio regem salutare; sed à supervenientibus Reginæ militibus fugati, sine alia populi secessione sunt

dilapsi. Rex tamen Galliæ Ludovicus XIV. illum declarat Jacobum III. Regem Angliæ legitimum, repugnante penitùs Angliâ, & bellum terrâ marique in Gallum ferventissimum præparante. Viennæ priori anno natus Leopoldus Josephus, Regis Romanorum Josephi I. filius maximo Cæsaris, & Regis dolore 4. Augusti papularum morbo est denatus, 22. Octobris autem eadem Rom. Regina peperit filiam Mariam Ameliam, à Nuntio Apostolico Davia sacris undis baptismalibus lustratam.

Et Leopoldi Archid. Austriæ.

577. Hungaria semidenos intra annos tota fermè Leopoldo Magno multo hominum sanguine gloriose asserta, ipso propè Austriaco Principum Regumque fuisset inundata sanguine, divina nisi providentia, quæ Austriacam hactenus domum mirabiliter exaltavit, propagavit, & conservavit, atrocissimam omnino necem, cunctis inauditam gentibus, avertisset. Rebellionem excusare satagebant Ungari, regesto semper privilegiorum regni neglectu; sed excitatas aliunde turbulenti genii iras detecti tractatus & machinationes evicêre. Quod è plebe aliqui Marchionem Villarium Oratorem Viennæ gallicum, quasi turbarum complicem traducerent, ei benignè Cæsar declarari fecit, se nullâ tali suspicione erga illum teneri: quapropter secura illi omnia publicâ auctoritate decernit. Cæterùm turbulenta ut plurimùm Ragotziana, uti passim patuit, familia gravissimas semper Austriacæ Domui injecit sollicitudines, & vatiniano veluti quodam exarsit odio. Modernus imprimis Franciscus Ragotzius Leopoldo Cæsari offen-

Ragotzii in Cæsarē conspiratio.

fen-

fenſus, ſive quòd Imperii Rom. principis titulum ex connubio principiſſæ Haſſo - Rheinfeldenſis, ſibi ut videbatur debitum, denegaverit; ſive alio Ungaris inveterato in germanam gentem, ſuæ, ut ajunt, libertatis hoſtem odio; ſive ob religionis diſſidium in totius Auſtriacæ Domûs necem & interitum unà cum Beretſcheno, Sirmajo, & aliis 82. regni Magnatibus impiè ſimul & crudeliſſimè conjuravit, in vernalibus, conſuetis nempe Cæſaris Laxenburgi recreationibus, circumfuſo decem millium armatorum exercitu ad totius Auſtriacæ Domûs internecionẽ, unâ tantùm exceptâ Archiducifsâ inferendã. Neve res Cæſari foret ſuſpecta, jactabant militem communibus regni ſumptibus in Regis auctorari ſervitium. Suis autem viribus rem perficiendam diffidens Ragotzius, conjuratorum conſilio & conſenſu Longuevalum, Badenſis legionis ibidem hybernantis tunc centurionem, cujus fidem & opera ex contracta hactenus probaverat conſuetudine, cum literis & inſtructione ad Ludovicum XIV. Regem Galliæ in partes ſuas hoc nunquam tam opportuno belli tempore ſollicitandum præmittit; qui Rex & conjurationis conſilium probavit, & eâdem à conjuratis regni magnatibus & comitatibus quamprimùm ſubſcriptâ, 2. librarum milliones, & pro auctorando milite centum millia imperialium ſe numeraturum propediem literis appromittit. Has verò mutuas confœderationis & proditionis literas & acta Longuevalus Cæſari fidelior aperuit, ejuſdemque licentiâ varias utrique parti defert literas; ultimas tandem Regis Ludovici

literas rei jam expeditæ ad Ragotzium delaturus, Viennam declinans Cæsari tradit; cujus quamprimum imperio Comes Solarius Ragotzium, Adamum Vayum, & Sirmajum suis in arcibus captos, 29. Maji 1701. Neopoli [Newstatt] tradit custodiæ; ubi paulò pòst perduellionis, & læsæ majestatis rei literis & confessione propriis convicti, Sirmajus pœnâ capitis, Ragotzius carceris perpetui, ut ajunt, Rotenburgi, in comitatu Tyrolensi, ubi & Comes Serinius, Petri filius, demens & elinguis, ejusdem ante annos aliquot reus criminis, detentus, nuper obierat, sunt damnati; dilatum verò Ragotzii supplicium ob instans uxoris puerperium, ingens postmodùm excitavit rebellionis incendium: nonâ enim Novembris Ragotzius à Godefrido Lehman centurione [cujus custodiæ traditus fuerat, sed misso excubitore, ut candelam sigillandis literis accenderet, vices interim excubitoris supplens] spe & promisso 20000. florenorum horâ noctis octavâ sub specie & veste dimachi avenæ saccum deportantis dimissus & elapsus custodiâ, paratis à fratre Christophoro Lehman equis effugit, quod rediens excubitor suspicatus Ragotzii fugam reperit, & indicat: quem simulatè Godefridus retrahendum equo insecuturus, à suo vigiliarum præfecto suspectus arresto est mancipatus; paulò pòst sceleris convictus, capite est diminutus, & quadripartitus *juxta leg. ad Commentariensem. 4. C. de cust. reor. Carcerato quovis modo fugiente, Commentariensis, seu carceris custos eisdem pœnis sit obnoxius, quibus erat reus*, Ragotzii vivi

Captus elabitur.

tra-

traditoribus decem millium florenorum, percussoribus verò sex millium constitutum est præmium. Publicata demum in illum 30. April. 1703. capitis sententia, ejusdemque bona fisco sunt adjudicata: Pinguior, inquit Seneca, mactari victima non potest, quàm homo sceleratus. Contumax hactenus fuit Rebellium in Ungaria antesignanus pessimus, & patriæ devastator, Longuevalus autem in præmium fidelitatis suæ liberaliter à Cæsare legionis præfecturâ, Baronatûs dignitate, & pingui in Croatia dominio fuit mactatus. *Vid. num.* 401.

378. Nono Calend. Octobris gravi tumultu agitata est Neapolis civitas, erumpentibus in publicum aliquibus, qui Cæsarem Leopoldum & Archiducem Carolum Reges acclamarunt. Excita rei novitate multitudo partim applaudit, & se comitem præbet acclamantibus, partim rei tacita præstolatur eventum. Tumultuantes numero aucti, carceribus effractis libertatem procurant detentis ob improbata novæ dominationis Philippi Andegavensis jura. Ast dum in iis agitandis, & circumcursando per urbem novis fautoribus alliciendis tempus insumunt, Prorex Marchio Medina Celi sese in palatio cum milite, & subitaneis munimentis occludens nedum se tutatur; sed & armatos in populum inermem immittens, illum, & tumultûs antesignanos in illam civitatis partem adigit, quæ area Carmelitarum dicitur; ubi tormentis bellicis eò festinè adductis obsessus, eadem levitate, quâ primis plausibus adhæserat, dilabitur: coryphæi autem, qui se in turri Ecclesiæ adjacente occluserant

Neapoli tumultus.

Neapolitani Proregis in Austriacos tyrannis

rant, trahuntur in carcerem, & 4. Octobr. jubente Prorege in publico supplicio capite minuitur Carolus de Sangro S. Severi Princeps, & Cæsari inter præcipuos exercitûs chiliarchas merens. Damnatus est tanquam perduellis, quòd inter nuperos Cæsaris & Archiducis Caroli acclamatores deprehensus fuisset: qui ante ictum altâ voce exclamavit: VIVAT IMPERATOR. Elati eodem supplicio minoris notæ complices, nequicquam dehortante Cardinale Archiepiscopo Cantelmo, ne sicariam ejusmodi adhiberet medicinam, plus noxiam, quàm sanativam; saltem expressam Regis Philippi expectaret sententiam. Omnes autem sic condemnati nullo aut mortis dolore, aut facti pœnitentiâ se teneri professi sunt, quòd nullâ Pontificis agnitione Philippus auctoratus; sed solius violentiæ titulo rerum potiretur. Directa fuerant in forum publicum, ubi sumptum est suppliciũ, tormenta bellica, & sati per vicos & plateas militum manipuli, qui tumultum, si fortè cruentæ executionis aspectu suboriretur, compescerent. Eadem etiam occasione ostensum est & expositum populo caput Joannis Capetii Marchionis de Loffrano, qui dum ejusdem conspirationis particeps re infectâ fugeret, in fuga occisus fuerat, & demolitum postea è fundamentis palatium Ducis Thelesæ eodem nomine Philippi ministris exosi; cujus, & aliorum absentium, qui se ab insectantium manibus proripuerant, bona omnia fisco sunt adjudicata. Eidem verò Proregi Medinæ Celi Comes Lambergus Romæ Cæsaris Orator publico scripto protestatus est,

Cæ-

Cæsarem eodem rigore Hispanos & Gallos habiturum, quo ipse captivos propter conjurationem haberet, quod nullo alio modo cum illis agendum, quàm cum captivis sorte belli, cùm armis ipsi decertassent, ut regnum assererent Domui Austriacæ præreptum, & nullâ hactenus ratione probatum externo hæredi competere, qui ignoti testamenti tabulas contra omnium, præter paucos, opinionem prætendebat. Ipse prorex ut contra exacerbatos populi apertè murmurantis animos se muniret, militaribus & insolitis palatium cinxit excubiis, seque cuiquam videndum per dies bene multos negavit, qui non se visitari & exarmari pateretur. Cujus etiam inhumanam adeo crudelitatem minacibus prohibuit literis Eugenius, nisi gallicos apud se captivos tribunos parem talionis pœnam velit sustinere: imo aula hispanica eam improbans substituit proregem Ducem Escolonum, Medinam Celi revocans Madritum, ubi postmodùm anno 1710. eâdem talionis pœnâ aliis ex causis carcere mulctatus. *Vid. num.* 396.

Anno 1711. mense 28. Februar. etiam in castro Vicennarum propè Parisios obiit Didacus Philippus de Gusman, Marchio de Leganes, cujus fide erga Philippum Regem in suspicionem adductâ, ipse captivus in Galliam est deportatus, communi cum aliis proceribus exilio, qui ob eandem suspicionem exauctorati, aut secreto supplicio sublati sunt. Heu tanti Hispaniæ Principes & Grandes! O insensati Iberi! quis vos fascinavit, quòd sic transferimini ab

eo,

eo, qui vos vocavit in gratiam, ad illum, qui damnavit vos in mortem! unde quidam:

Vir videas, quidnam jubeas, dum magnus haberis,
Dat varias fortuna vias, mox ire juberis,
Crede mihi, brevis est magni fortuna favoris.
Silius. Ital.

Contineri hic calamus haudquaquam potest, quin vel verbulo memorem non dicam seculi unius; sed vel unius plus minus triennii in hac parte tragœdiam toto orbi notissimam, qua prima totius propè orbis Christiani capita turpiter per Reges, quos rexerant, cecidêre. Sic in Galliis post Bironium Mareschallus d' Ancre, in Germania Cardin. Gleser, in Anglia Comes Northumbriæ Buckingam, in Hispania Dux de Larma & Calderone, in Hollandia Barneveltius, & de Witt, & plures alii orbe prope toto sæculi nostri, posteritati in documentum, præsentibus in terrorem. Sed neque prudentis est, ætatis suæ scabiem perfricare; veniet posteritas, & audentiore novaculâ secabit hæc ulcera matura terris cœloque. Ego manum retraho ab hac tragica scena, & obseratâ cortinâ Lectorem remitto ad Scribanum *in polit. Christ. cap.* 1. Nicetam Choniatem *de Andronico.* Paulum Æmilium *lib. 8. hist. Franc. de Ugolino, &c. Vid. num.* 236. & 559.

Feudum Neapolitanum Papa utrique denegat

379. Clemens XI. grandem Italiæ imminentem prævidens tempestatem, Cæsari se offert, sed irritò, partium mediatorem, quòd manifestum in cunctis Gallorum se fautorem prostitueret. Neapolitanum igitur feudum negat utri-

utrique in opportunius differendum tempus, non auferendum. Hispaniæ autem legatus Dux de Uceda fraude usus, equam seu asturconem strigosum & scabiosum per publicum agasonem in aulam pontificiam occultè conducens, Pontifici ex divinis D. Petri officiis redeunti cum consueta offerens 6000. ducatorum scedula, mox abscedit asturcone relicto, qui jussu Pontificis aulâ expulsus, biduo per urbem divagatus omnibus abominabilis, multis scommatibus & cachinnis explosus [quòd talia Gallo-Hispanorum scabiosa essent promissa & fides] militum tandem miseratione in castellum Angeli est introductus, qui hoc ipso ideo sunt exauctorati, equâ ad agasonem suum biduo post redeunte. Eadem feudi Neapolitani officia Comes Lambergus Cæsaris Legatus offerens nequaquam etiam admittitur. *Vid. num.* 384. &c.

380. Interea Ludovicus Rex Galliæ ut heterodoxos Imperii Ordines, & Protestantes Principes sibi conciliaret, aut neutralitatis nexu constringeret, pacis Westphalicæ in puncto religionis se tutorem, propugnatoremque in comitiis Ratisponensibus pollicetur; quem vix auditum rejecerunt Ordines Protestantes, nisi prius ipse ablata illis templa restitueret; cujus ipse mentis cùm non esset, quomodo restituet Catholicis olim propria, à Protestantibus usurpata?

Gallus Principibus heterodoxis adulatur.

Joseph Clemens tamen ope, & extremo Leopoldi Cæsaris potissimùm labore Archiepiscopus & Elector factus Coloniensis, eo pessimè derelicto, primus Germaniæ Romanique Imperii

Clemēs Elector Colon. Gallos in diœceses Colon. & Leod. admittit

rii Principum partes amplexus gallicas, IV. millia peditum, & duo equitum millia, citra ſcitum & conſenſum Capituli Metropolitani, & contra capitulationem juramento firmatam, auctorando colligit, querelis & proteſtationibus Capituli de violatis jurium ſuorum prærogativis ad Cæſarem delatis, nihil Cæſaris inhibitivum mandatum, nihil dehortatoriæ Electorum Trevirenſis & Palatini ad eum literæ potuerunt efficere; ſed novis archidiœceſin oneribus, contranitentibus penitùs Capitulo & patriæ Statibus aggravat, vique militari extraordinarias extorquet contributiones, pleni abſolutique ſpe dominii (ut ferebatur) Coloniæ civitatis liberæ & imperialis, diœceſisque Leodienſis à Ludovico Rege Galliæ conferendi. Ideoque Calend. Junii Junicorum oppidum, vulgo Zons, effractis violenter portis occupari à ſuis copiis fecit, abducto inde præſidio, quod nomine Capituli ejusdē Colonienſis eccleſiæ inibi excubabat. Is locus à prædeceſſoribus archiepiſcopis capitulo oppignoratus iſtius nomine adminiſtratur, Canonicorumq; commodis cedunt proventus. Aſt Clemens ſimul cum fratre Maximiliano Electore Bavariæ in Galliæ partes, ut dixi, traductus, ut Philippo Andegavenſi hiſpanicam aſſererent ſucceſſionem, nullum in ditione Colonienſi locum pati voluit, qui non eidem conſpirationi collimaret. Nono igitur Calend. Octobris habitis Bonnæ ſtatûs Comitiis, cùm canonicos eccleſiæ ſuæ adducere non potuiſſet, ut militem, quem ipſe aut ſcripſerat, aut advocarat, probarent, ne cogeretur, ut ajebat, ad amplectendas

cu-

cujusquam partes eorum, qui de hispanica successione dissidebant, jussit iis obnitentibus tributa à subditis colligi. Contra quæ Canonici (qui juris sui esse contendebant tales exactiones probare, & suæ approbationis defectu pro illicitis habenda) protestantur, causantes inutili status gravamine habitum militum delectum, externosque milites accitos; & maximè quòd Elector nullam harum novitatum haberet rationem, nisi vanos timoris prætextus, nullumque provinciæ imminere bellum, nisi illud secessione suâ à communibus Imperii votis prolicuisset. Nihilo tamen minus X. Gallorum millibus per archidiœcesis Coloniensis urbes, Bonnam, Cæsaris-Insulam, Rhenobercam, Novesium &c. distributis, emittit publicis typis declarationem, quâ se neutri studere parti, Cæsaris scilicet & Regis Galliæ, protestabatur; vixque non onerabat suum injuriis capitulum, quòd ei in tali neutralitate adhærere abnueret. Hoc mirabile visum est in hac declaratione, quòd juberet à subditis suis tales præsidiarios Gallos pro militibus circuli Burgundici haberi, & anabaptizari, ne Cæsaris hostes in archidiœcesim suam admisisse videretur; adeoque naso & auribus mulctatus quidam est Rhenobercæ, qui Gallos gallorum nomine ausus est vocare.

Porro 22. Novembris Clemens Elector Marchionem Montrevellum cum aliquot armatorum millibus Leodium, ejusdemque arcem occupandam dimittit; qui facilè ab ejusdem Præfecto Comite Berlo Belga ex condicto admittitur, frustra similiter Capitulo, Senatu & ci-

vibus protestantibus, illaque uti & cæteræ Archidiœcesis Coloniensis urbes novo muniuntur robore, commeatu & apparatu bellico, maximo diœcesis decremento & detrimento instruuntur. Calendis verò Decembris dispositis per urbem Leodiensem copiis, & tormentis bellicis, quæ plateas & vicos præcipuos obsiderent, rapitur in carcerem Baro de Mean, Cathedralis Ecclesiæ Decanus, eximiæ vir prudentiæ, & aliquot ejusdem sodalitii Canonici, quos Clemens Elector sibi adversos, aut suspectos habebat, aliis eadem suspicione laborantibus, aut fugâ elapsis, aut latebrâ tectis. Postridie Decanus extra urbem in sede curuli educitur; sed cùm extra muros pervenisset, equo manus & pedes ligatus imponitur, & capite pileo & capillitio nudo inter militum agmina deducitur Namurcum: militibus interea Leodii admissis Canonicorum domos, qui carcerem effugerant, insidentibus, & omnia in illis pro lubitu dissipantibus. Electoris deinde nomine publicatum est, omnia fieri ex Ludovici Regis mandato; Gallorum autem voce omnia ad expressam Clementis instantiam. Hinc Idibus Decembris cives Colonienses copias Batavicas in urbis suæ defensionem admittunt, id suadentibus Electore Palatino, & Circulo Westphalico, imminente præsertim invasionis periculo, similis illi, qualem Leodienses passi fuerant à Gallis, larvâ militum circuli Burgundici personatis. Ad hanc etiam admissionem seu defensionem fuerant inducti responsione, quam Elector deputatis eorum dederat, dum ab ipso consilia contra vim imminentem postulantes, ab

Decanus Leod. Mean captivatur

Colonia militem circularem admittit.

eo

vani timoris suspicione correpti sunt; quam-
s in apertos belli apparatus res quotidie ruo-
nt, Electore in gratiam novi Regis Hispani ar-
a & vim sub specie neutralitatis moliente.
uare proximi Rom. Imperii circuli vigilan-
tes, de securitate sua consulentes, conveniunt
Westphalicus Coloniæ, Rheni superioris Fran-
furti, Ulmæ Suevicus, Bavaricus Wasserbur-
, & Franconicus Norimbergæ. *Vid. num.* 386.
38. &c.

Quo fermè tempore 7. Septembr. arctissi-
um pactum Cæsareo-Britanno-Batavicum
edus ad Cæsaris jura Ibericæ successionis obti-
nda, & promovenda, ad Anglorum Batavo-
mque securitatem & defensionem stabilien-
m supra conclusum, utrimque nunc subscri-
um est, & confirmatum. Helveticam autem
mpublicam nullis Cæsar rationibus, nullis per
anciscum Trautmansdorffium legatum argu-
entis & demonstrationibus gallicæ fallacitatis,
Austriacæ fidelitatis convincibilibus in suas
ahere partes potuit, in gallicas potius claudi-
ntem, & auro ludovisio occæcatam. Cæsa-
us præterea in Imperio Rom. sub Ludovico
adensi exercitus singulare nihil hoc anno ten-
vit, nisi fossiles aliquot ducendo lineas, Gallis
on impedientibus.

Fœdus Cæsareo-Anglico-Batavicum subscriptū.

381. Ad Julii initium Carolus XII. Rex Sue-
æ bino in duplicem hostem movet exercitu;
uno defensivè in Moscos, offensivè altero in Po-
no-Saxones, à Czaare Moscorum Duce re-
nter germanico potissimùm 19241. subsidio
nfirmatos: hos Carolus 9. Jul. Duinam fl.

Suecus Polonos profligat castrisque exuit.

prope Rigam tormentorum beneficio transvectus in altera fluminis parte quino obsistente: impetu Saxo-Polonos in fugam vertit, eorumque castris cum omnibus tormentis bellicis & impedimentis potitur, cæsis læsisque Saxo-Polonis 1500. captis 500. Rigam traductis; cæteri relictis munimentis Korberschantz Thomsdorffio, & Kockenhauseno ad polonici exercitûs castra diffugiunt, & Kockenhausenum denuò relictis 17. æneis tormentis in aërem evibrant. Tum Carolus misso in Curlandiam (quòd ejusdem Principis tutor & administrator Ferdinandus Polonorum sequeretur castra) Mornero cum aliquot legionibus Mietaviam urbem, toto Saxonum granario, ingentique bellico apparatu, auro etiam per Czaarum subministrato, vestimentis militaribus, aliisque pretiosis divitem & abundantem, 22. Jul. spontaneâ occupat deditione, & munimentū Dunamunder-Schanz (Augustopolim à moderno rege Augusto indigitatum) circumcingit: cujus etiam spontaneam dicitur præfectus tunc obtulisse traditionem, si liber ipsi cum omnibus tormentis bellicis abitus permitteretur; sed denegatus est. Totam deinde passim Curlandiam suæ fecit potestatis & Saxo-Polonos Birsenum & Dantiscum versus fugientes Carolus viginti quatuor millium exercitu eo usque in Poloniam persequitur, ut Cardinalis regni Polonici Primas literis 26. Jul. ad Regem Carolum datis, hostilem invasionem Reipublicæ Polonicæ innocentiam (nam Patkulus Suecus Polonorum castra secutus, dicitur hujus belli Polono-Suecici, citra Reipublicæ con-

Curlandiam invadens Augustepolim &c. capit.

consensum, esse incentor] fuerit contestatus. Cui Rex 30. Jul. respondit, persequi se Poloniæ Regem sui contra jura & pacta invasorem: potuisse quidem illum post illatam ad Duinam H. stragem ulterius affligere & insectari, nisi innocuæ reipublicæ retardasset amicitia; quam quia Rex Augustus turpiter infregisset, & reipublicæ jura, libertates & privilegia violasset, fas sibi esse hostem persequi, & ad jurium, libertatisque polonicæ vindicias & conservationem throno illum justè dejicere. Alter Suecorum exercitus variis Moscos excursionibus & velitationibus insectatus, in fugam utrobique, captis non exiguis prædis, & 38. bellicis tormentis conjecit. Rex autem capto Dunamundano munimento 84. Saxonum tormenta, ingentemque bellicum apparatum intercipit. A Sapiebis denique Lithuaniæ Principibus Rex vocatus in Lithuaniam, penitùs Oginskium profligat, victor ubique: Sapiehani autem cur Sueco adhærerent, causa erat, quòd Rex Augustus favere videretur promiscuæ Lithuanorum nobilitati, quæ pro pacta sæpius, & præcipuè in ejusdem electione, omnimoda legum & regiminis, quod in Polonia vigebat, coæquatione insistebat; illi autem prioris conditionis prærogativa sibi primarias Magni Lithuaniæ Ducatûs dignitates & officia vendicabant, quod æmulationis non facilè restinguendæ fomes in tempus futurum jure timendus à nemine non censebatur. *Vid. num.* 398.

Moscos & Oginskium cædit.

Quinto Nonas Augusti Philippus novus Hispaniæ Rex Mariam Annam seu Mariannam Regis Caroli II. viduam, Toletum citatis equis delatus

Andegavensis invisit viduam a. Caroli

latus, visitat, & paucis alloquitur, ne (ut credi tum est) querelarum & precum sese opportuni tas ingereret. Marianna propriis manibus Reg torquem aurei velleris gemmis pretiosissimis or natam appendit, & ille vicissim monile aquilam referens elargitur. Sed prima hac allocution peractâ, Rex eâdem festinatione, quâ venerat recedit, Mariannæque inutilis elabitur occasio plura dicendi, quam impatienter credita est ex optasse. Quis enim exilium & deportationem non credat stationem ab aula secretam, ad quam secedere jussa est, cùm primùm Philippus pro Rege se gessit.

Mesinius Comes d'Avaux Regis Galliæ Orator scripto Fœderatis Belgii Ordinibus 27. Jul. discedens valedixit, post 4. mensium inutilem de securis præstandis Provinciis tractationem, & redimendo timore, quo istæ post adjunctas Gallis Hispanorum vires se laborare fatebantur. Expostulare & minari scripto visus est orator, eo quòd Fœderati Ordines aliquam jure deberi Cæsari compensationem in tanta patrimonii familiæ suæ jactura contenderent. Verùm illi paulò pòst alio scripto sese oratori & regi modestè excusarunt, propositis insistentes, & maximè Domus Cæsareæ satisfactioni, quâ præteritâ in tutum illis foret quicquam statuere, lubricamque cujuscunque pacis securitatem reputabant.

Selsatæ fortalitium prohibetur muniri.

Proinde Galli dirutum Selsatæ fortalitium in Flandriæ finibus novis munimentis excitantes, à Batavico vicinæ arcis Sas de Gent dictæ præfecto admoniti, ut desisterent, utpote rei incumbentes, quæ apertè Westphalicæ & nuper

Ris-

Riswickianæ pacis pactis esset contraria, sannis & contemptu respondent. Unde præfectus quum tormenta bellica, sed vacua explodi in illos frustra jussisset, ut eos averteret, tandem globis agens illos ab opere cessare coëgit. Maximis egêre Galli querelis, ut factum pro hostilis declarationis, & inepti belli signo traducerent, minas verbis miscentes. Sed quum de imminente bello non dubitaretur, illa pro primis ignis propemodum arsuri vaporibus habita sunt.

XII. Calendas Octobris Clemens Pontifex Gaetanum Ducem, Principem Casertanum Romæ tunc commorantem ad se vocat, & interdicto ei, quem habere dicebatur, militum delectu, sub 50000. scutatorum mulcta vetat urbe exire. Princeps tamen Sabbato sequente sese urbe proripit, relicto ad Pontificem scripto, quo exitum suum negotiorum urgentium expeditione excusat; filium tamen suum in fidei obsidem Romæ commorari jubet, ne Pontifex inobedientiæ prætextu bona sua fisco addiceret. Ad Principem capiendum nervos omnes Orator Romæ Hispanicus intendit, ingenti numeratæ pecuniæ præmio pollicito illis, qui illum vivum aut mortuum apprehendere valuissent.

Pontifex Principem Casertanum Româ exire prohibet.

Annus 1702.

182. Initio hujus anni in Insubria cives Cremonenses Gallorum tædiosi, & Cæsaris studiosissimi, facilem Eugenio per subterraneum aquæductum, quo urbis sordes per muri foramen in subjectam urbis fossam decidebant, intercipiendi urbem, annonâ, apparatuque Gallorum bel-

Eugenius Cremonam ingressus capit Villerojum.

bellico abundantem, modum & occasionem demonstrant, per quem miles occultè in hortum P. Cosolii Monachi, & Ecclesiæ Mariæ novæ Pastoris, ad urbis vallum sitæ posset ingredi. Eugenius rei veritatem per officiales suos rustico & religioso habitu mentitos expiscatus, quamvis urbem 8000. præsidio munitam non ignoraret, Commercio & Starrenbergo sociatus 1. Februar. cum parte exercitus urbi primo mane appropinquans, præmittit Cosolio duce & instructore per aquæductum in urbem 25. pyrobolarios, fabris lignariis & ferrariis mixtos, quos trecenti alii pedites eâdem subsecuti viâ simul erumpentes cæsis stationariis portam D. Margarethæ aperiunt, curiam alii, alii vallum. Com. Kuffsteinius, quia præfecti domum ignorabat, opportunam aliam occupat stationem: tum Tribunus Mercius cum equitatu ad portam Padi properat, quâ apertâ ut pontis transitum pararet Vaudemontio: mox totus urbem ingreditur equitatus, exceptis Neoburgicis & Hungaris ad portam consistentibus. Gallicum interea concurrit tribus in locis præsidium, Hiberni ad portam Padi, ad castelli portam Galli tumultuarie se munientes. Fit cædes, & per urbem clamor, quo excitatus Villerojus pridie à præfecto urbis ad Saturnalitia invitatus, & ingressus eques ad pomœrium contendens Cæsareas spectans aquilas arcis profugium meditatur; sed à Cæsareanis captus ignotus quis esset, equo importunè avulsus, à centurione Magdonelo Hiberno ad stationem prætoriam deducitur custodiendus, cui se Villerojum esse confitens

tens stipulatur daturum decem pistolettarum millia, & legionis tribunatum, si liberum ad arcem dimitteret: cui Magdonelus: multo Cæsari tempore sui fidelis, hodie non fiam perjurus; sed majora licet promittentem accersito tradit Starrenbergo, qui illum in proximam portæ D. Margaretæ domum deduxit, ubi ab Eugenio & Commercio civiliter visitatus (quanto cum pudore! qui hos tres juveniles Principes Eugenium, Commercium & Vaudemontium ad suam saltare lyram docturus, ut ajebat, advenisset) Ostianum est traductus, quem tribunus Mongonus liberaturus accurrens, trajecto ejus equo etiam captivatur cum generali quæstore castrensi Grignio, de Crousio, & marchione Crenano, ex vulnere postmodum defuncto. Cum jam totam penè Cæsareani urbem occuparent, padi tamen portam & ultra flumen sitam munitionem (ubi Vaudemontius suis cum agminibus penetraturus at defectu navium flumen nequiret transire, ponte per March. Revelum destructo) Mercius obtinere non potuit, sed à binis Hibernorum legionibus tumultuariè ibidem collectis desperatè pugnantibus, & seriùs sub tribuno Schertzer per hostes impedito succurrente, rejicitur. Tum Eugenius ab Hybernis per Magdonelum urbis deditionem optimis postulat conditionibus; has primum admittebant, mox retractantes Magdonelum captivant; quos Eugenii jussu protribunus Freibergus Taffica catephractorum legione primam eorum lineam fortiter perrumpens circumdatur, & nolens se ultrò submittere, cæditur, catephractique repelluntur, Revelo

imprimis seminudo animos Hibernis addente, & XI. continuò horis pro urbis conservatione (quæ ei tota adscribitur) fortiter propugnante. Rebus ita constitutis Eugenius circa noctem urbem deserit, captis è suis 340. qui spoliis, prædis & potationibus nimiùm intenti detinebantur, qui pro totidem gallis postliminiò sunt extraditi. Cæsorum præterea & captorum numerus erant universim 543. Gallorum vero in urbe supra 2000. cæsa, capti cum Villerojo 80. Officiales, & 400. gregarii. 500. equi. 7. signa equestria; & saucii 219. Ceterùm gratiarum loco Cæsar Cosolium, monasterii S. Mariæ novæ sacerdotem, hujus expeditionis auctorem ad episcopatûs Sirmiensis dignitatem annuo 20000. Dalerorum reditu gaudentem promovit: memor Pauli: *Grati estote pro omnibus*, *ad Ephes.* 5. etiam minimis; *nam & nos memores salis*, quod in *palatio comedimus*, ajebat *Esdras* 1. c. 4 14. Cujus episcopatus sedes est Bakmonostra: quæ regio non vini solùm totâ Septentrione laudatissimi; sed etiam rerum omnium, quæ ad usum humanum pertinent, feracissima. Mira ibi est locorum amœnitas, mira soli fœcunditas, incredibilis aëris temperies, quòd ista regio non sit à litore Adriatico non nisi tridui, aut ad summum quatridui itinere remota, ut scribit Sambucus *in rer. Ungar. Appendice fol.* 557.

Cosolius expeditionis auctor fit epi-

383. Tantum hæc Gallis expeditio metum incussit, ut omnia ad Tractum Oglii fl. loca Gozzolum, Bozzolum, fanum Martini, Viadanam &c. sine omni mora relicto comeatu & bel-

bellico apparatu deseruerint; Bussettum verò Thom. Vaudemontius vi intercipit capto 500. præsidio, & 6000. avenæ maldris; Cremona autem præsidio 12000. roboratur; Mantuam Eugenius adhuc arctius sub præfectoTrautmanstorffio includebat,adductisq;mortariis,tormentis muralibus, globis & pyrobolis urbem quasi vastaturus, dolebatq; militum defectum, majora aliàs expediturus; Galli autem magno militum supplemento confirmati, Germanos tamen adeo metuebant, ut ægrè in Italia accederent exercitum, gaudebantque captum Villerojum, à quo nihil hactenus prosperi; sed adversam semper formidarent fortunam. Villerojus interim Gretzium Styriæ, inde ad arcem Ambres haud procul Oenoponto deducitur ad idem conclave, in quoFranciscus I. olim ad Ticinum à Carolo victus, captivus fuit detentus; ad finem tamen anni liber à Cæsare dimissus pro lytro 50000. florenorum, Eugenio Principi solvendo, qui, illud repudians ejusdem Villeroji filio liberaliter donat. Cujus postmodum loco succedit Ludov. Joseph Dux Vendomius cum subsidio 26000. armatorum, in omnibus ubique cautior, Vaudemontium ex Ducatu Parmensi expellere, Cæsareanos ad Oglium opprimere, & Mantuam obsidione liberare vigilanti intendebat studio, bipartitum ideoque cis Eridanum Cremonam intra & Lodum unum, alterum ultra Padum in Placentino Ducatu firmat exercitum. Interea temporis Com. Viscontus noctu Albergottum cum 400. Mainordo non sine cæde expellit, & Eugenius frustra majori expectato subsidio, reducto

scopus Sirmiensis.

Mantuã cingit. Eugenius.

Gallorũ metus.

Villerojo Oenoponti captivo succedit Vendomius.

eo, qui vos vocavit in gratiam, ad illum, qui damnavit vos in mortem! unde quidam:

Vir videas, quidnam jubeas, dum magnus haberis,
Dat varias fortuna vias, mox ire juberis,
Crede mihi, brevis est magni fortuna favoris.
Silius. Ital.

Contineri hic calamus haudquaquam potest, quin vel verbulo memorem non dicam seculi unius; sed vel unius plus minus triennii in hac parte tragœdiam toto orbi notissimam, qua prima totius propè orbis Christiani capita turpiter per Reges, quos rexerant, cecidêre. Sic in Galliis post Bironium Mareschallus d' Ancre, in Germania Cardin. Gleser, in Anglia Comes Northumbriæ Buckingam, in Hispania Dux de Larma & Calderone, in Hollandia Barneveltius, & de Witt, & plures alii orbe prope toto sæculi nostri, posteritati in documentum, præsentibus in terrorem. Sed neque prudentis est, ætatis suæ scabiem perfricare; veniet posteritas, & audentiore novaculâ secabit hæc ulcera matura terris cœloque. Ego manum retraho ab hac tragica scena, & obieratâ cortinâ Lectorem remitto ad Scribanum *in polit. Christ. cap.* 1. Nicetam Choniatem *de Andronico.* Paulum Æmilium *lib, 8. hist. Franc. de Ugolino, &c. Vid. num.* 236. & 559.

Feudum Neapolitanum Papa utrique negat

379. Clemens XI. grandem Italiæ imminentem prævidens tempestatem, Cæsari se offert, sed irritò, partium mediatorem, quòd manifestum in cunctis Gallorum se fautorem prostitueret. Neapolitanum igitur feudum negat utri-

utrique in opportunius differendum tempus, non auferendum. Hiſpaniæ autem legatus Dux de Uceda fraude uſus, equam ſeu aſturconem ſtrigoſum & ſcabioſum per publicum agaſonem in aulam pontificiam occultè conducens, Pontifici ex divinis D. Petri officiis redeunti cum conſueta offerens 6000. ducatorum ſcedula, mox abſcedit aſturcone relicto, qui juſſu Pontificis aulâ expulſus, biduo per urbem divagatus omnibus abominabilis, multis ſcommatibus & cachinnis exploſus [quòd talia Gallo-Hiſpanorum ſcabioſa eſſent promiſſa & fides] militum tandem miſeratione in caſtellum Angeli eſt introductus, qui hoc ipſo ideo ſunt exauctorati, equâ ad agaſonem ſuum biduo poſt redeunte. Eadem feudi Neapolitani officia Comes Lambergus Cæſaris Legatus offerens nequaquam etiam admittitur. *Vid. num.* 384. &c.

380. Interea Ludovicus Rex Galliæ ut heterodoxos Imperii Ordines, & Proteſtantes Principes ſibi conciliaret, aut neutralitatis nexu conſtringeret, pacis Weſtphalicæ in puncto religionis ſe tutorem, propugnatoremque in comitiis Ratisponenſibus pollicetur; quem vix auditum rejecerunt Ordines Proteſtantes, niſi prius ipſe ablata illis templa reſtitueret; cujus ipſe mentis cùm non eſſet, quomodo reſtituet Catholicis olim propria, à Proteſtantibus uſurpata? Gallus Principibus heterodoxis adulatur.

Joſeph Clemens tamen ope, & extremo Leopoldi Cæſaris potiſſimùm labore Archiepiſcopus & Elector factus Colonienſis, eo peſſimè derelicto, primus Germaniæ Romanique Imperii Clemẽs Elector Colon. Gallos in diœceſes Colon. & Leod. admittit

rii Principum partes amplexus gallicas, IV. millia peditum, & duo equitum millia, citra ſcitum & conſenſum Capituli Metropolitani, & contra capitulationem juramento firmatam, auctorando colligit, querelis & proteſtationibus Capituli de violatis jurium ſuorum prærogativis ad Cæſarem delatis, nihil Cæſaris inhibitivum mandatum, nihil dehortatoriæ Electorum Trevirenſis & Palatini ad eum literæ potuerunt efficere; ſed novis archidiœceſin oneribus, contranitentibus penitùs Capitulo & patriæ Statibus aggravat, vique militari extraordinarias extorquet contributiones, pleni abſolutique ſpe dominii (ut ferebatur) Coloniæ civitatis liberæ & imperialis, diœceſisque Leodienſis à Ludovico Rege Galliæ conferendi. Ideoque Calend. Junii Junicorum oppidum, vulgo Zons, effractis violenter portis occupari à ſuis copiis fecit, abducto inde præſidio, quod nomine Capituli ejusdẽ Colonienſis eccleſiæ inibi excubabat. Is locus à prædeceſſoribus archiepiſcopis capitulo oppignoratus iſtius nomine adminiſtratur, Canonicorumq; commodis cedunt proventus. Aſt Clemens ſimul cum fratre Maximiliano Electore Bavariæ in Galliæ partes, ut dixi, traductus, ut Philippo Andegavenſi hiſpanicam aſſererent ſucceſſionem, nullum in ditione Colonienſi locum pati voluit, qui non eidem conſpirationi collimaret. Nono igitur Calend. Octobris habitis Bonnæ ſtatûs Comitiis, cùm canonicos eccleſiæ ſuæ adducere non potuiſſet, ut militem, quem ipſe aut ſcripſerat, aut advocarat, probarent, ne cogeretur, ut ajebat, ad amplectendas

cu-

cujusquam partes eorum, qui de hiſpanica ſucceſſione diſſidebant, juſſit iis obnitentibus tributa à ſubditis colligi. Contra quæ Canonici (qui juris ſui eſſe contendebant tales exactiones probare, & ſuæ approbationis defectu pro illicitis habenda) proteſtantur, cauſantes inutili ſtatûs gravamine habitum militum delectum, exter-noſque milites accitos; & maximè quòd Elector nullam harum novitatum haberet rationem, niſi vanos timoris prætextus, nullumque provinciæ imminere bellum, niſi illud ſeceſſione ſuâ à communibus Imperii votis prolicuiſſet. Nihilo tamen minus X. Gallorum millibus per archidiœceſis Colonienſis urbes, Bonnam, Cæſaris-Inſulam, Rhenobercam, Novæſium &c. diſtributis, emittit publicis typis declarationem, quâ ſe neutri ſtudere parti, Cæſaris ſcilicet & Regis Galliæ, proteſtabatur; vixque non onerabat ſuum injuriis capitulum, quòd ei in tali neutralitate adhærere abnueret. Hoc mirabile viſum eſt in hac declaratione, quòd juberet à ſubditis ſuis tales præſidiarios Gallos pro militibus circuli Burgundici haberi, & anabaptizari, ne Cæſaris hoſtes in archidiœceſim ſuam admiſiſſe videretur; adeoque naſo & auribus mulctatus quidam eſt Rhenobercæ, qui Gallos gallorum nomine auſus eſt vocare.

Porro 22. Novembris Clemens Elector Marchionem Montrevellum cum aliquot armatorum millibus Leodium, ejuſdemque arcem occupandam dimittit; qui facilè ab ejuſdem Præfecto Comite Berlo Belga ex condicto admittitur, fruſtra ſimiliter Capitulo, Senatu & ci-

vibus protestantibus, illaque uti & cæteræ Archidiœcesis Coloniensis urbes novo muniuntur robore, commeatu & apparatu bellico, maximo diœcesis decremento & detrimento instruuntur. Calendis verò Decembris dispositis per urbem Leodiensem copiis, & tormentis bellicis, quæ plateas & vicos præcipuos obsiderent, rapitur in carcerem Baro de Mean, Cathedralis Ecclesiæ Decanus, eximiæ vir prudentiæ, & aliquot ejusdem sodalitii Canonici, quos Clemens Elector sibi adversos, aut suspectos habebat, aliis eadem suspicione laborantibus, aut fugâ elapsis, aut latebrâ tectis. Postridie Decanus extra urbem in sede curuli educitur; sed cùm extra muros pervenisset, equo manus & pedes ligatus imponitur, & capite pileo & capillitio nudo inter militum agmina deducitur Namurcum: militibus interea Leodii admissis Canonicorum domos, qui carcerem effugerant, insidentibus, & omnia in illis pro lubitu dissipantibus. Electoris deinde nomine publicatum est, omnia fieri ex Ludovici Regis mandato; Gallorum autem voce omnia ad expressam Clementis instantiam. Hinc Idibus Decembris cives Colonienses copias Batavicas in urbis suæ defensionem admittunt, id suadentibus Electore Palatino, & Circulo Westphalico, imminente præsertim invasionis periculo, similis illi, qualem Leodienses passi fuerant à Gallis, larvâ militum circuli Burgundici personatis. Ad hanc etiam admissionem seu defensionem fuerant inducti responsione, quam Elector deputatis eorum dederat, dum ab ipso consilia contra vim imminentem postulante, ab

Decanus Leod. Mean captivatur

Colonia militem circularem admittit.

eo

to vani timoris suspicione correpti sunt; quamvis in apertos belli apparatus res quotidie ruerent, Electore in gratiam novi Regis Hispani arma & vim sub specie neutralitatis moliente. Quare proximi Rom. Imperii circuli vigilantiores, de securitate sua consulentes, conveniunt Westphalicus Coloniæ, Rheni superioris Francofurti, Ulmæ Suevicus, Bavaricus Wasserburgi, & Franconicus Norimbergæ. *Vid. num.* 386. 388. &c.

Quo fermè tempore 7. Septembr. arctissimum pactum Cæsareo-Britanno-Batavicum fœdus ad Cæsaris jura Ibericæ successionis obtinanda, & promovenda, ad Anglorum Batavorumque securitatem & defensionem stabiliendam supra conclusum, utrimque nunc subscriptum est, & confirmatum. Helveticam autem rempublicam nullis Cæsar rationibus, nullis per Franciscum Trautmansdorffium legatum argumentis & demonstrationibus gallicæ fallacitatis, & Austriacæ fidelitatis convincibilibus in suas trahere partes potuit, in gallicas potius claudicantem, & auro ludovisio occæcatam. Cæsareus præterea in Imperio Rom. sub Ludovico Badensi exercitus singulare nihil hoc anno tentavit, nisi fossiles aliquot ducendo lineas, Gallis non impedientibus. Fœdus Cæsareo-Anglico-Batavicum subscriptū.

381. Ad Julii initium Carolus XII. Rex Sueciæ bino in duplicem hostem movet exercitu; uno defensivè in Moscos, offensivè altero in Polono-Saxones, à Czaare Moscorum Duce recenter germanico potissimùm 19241. subsidio confirmatos: hos Carolus 9. Jul. Duinam fl. Suecus Polonos profligat castrisque exuit.

consensum, esse incentor] fuerit contestatus. Cui Rex 30. Jul. respondit, persequi se Poloniæ Regem suî contra jura & pacta invasorem: potuisse quidem illum post illatam ad Duinam fl. stragem ulterius affligere & insectari, nisi innocuæ reipublicæ retardasset amicitia; quam quia Rex Augustus turpiter infregisset, & reipublicæ jura, libertates & privilegia violasset, fas sibi esse hostem persequi, & ad jurium, libertatisque polonicæ vindicias & conservationem throno illum justè dejicere. Alter Suecorum exercitus variis Moscos excursionibus & velitationibus insectatus, in fugam utrobique, captis non exiguis prædis, & 38. bellicis tormentis conjecit. Rex autem capto Dunamundano munimento 84. Saxonum tormenta, ingentemque bellicum apparatum intercipit. A Sapiebis denique Lithuaniæ Principibus Rex vocatus in Lithuaniam, penitùs Oginskium profligat, victor ubique: Sapiehani autem cur Sueco adhærerent, causa erat, quòd Rex Augustus favere videretur promiscuæ Lithuanorum nobilitati, quæ pro pacta sæpius, & præcipuè in ejusdem electione, omnimoda legum & regiminis, quod in Polonia vigebat, coæquatione insistebat; illi autem prioris conditionis prærogativa sibi primarias Magni Lithuaniæ Ducatûs dignitates & officia vendicabant, quod æmulationis non facilè restinguendæ fomes in tempus futurum jure timendus à nemine non censebatur. *Vid. num.* 398.

Moscos & Oginskium cædit.

Quinto Nonas Augusti Philippus novus Hispaniæ Rex Mariam Annam seu Mariannam Regis Caroli II. viduam, Toletum citatis equis delatus

Andegavensis invisit viduam R. Caroli

latus, visitat, & paucis alloquitur, ne (ut credi tum est) querelarum & precum sese opportuni tas ingereret. Marianna propriis manibus Reg torquem aurei velleris gemmis pretiosissimis or natam appendit, & ille vicissim monile aquilan referens elargitur. Sed prima hac allocution peractâ, Rex eâdem festinatione, quâ venerat recedit, Mariannæque inutilis elabitur occasic plura dicendi, quam impatienter credita est ex optasse. Quis enim exilium & deportationem non credat stationem ab aula secretam, ad quam secedere jussa est, cùm primùm Philippus pro Rege se gessit.

Mesinius Comes d' Avaux Regis Galliæ Orator scripto Fœderatis Belgii Ordinibus 27. Jul. discedens valedixit, post 4. mensium inutilem de securis præstandis Provinciis tractationem, & redimendo timore, quo istæ post adjunctas Gallis Hispanorum vires se laborare fatebantur. Expostulare & minari scripto visus est orator, eo quòd Fœderati Ordines aliquam jure deberi Cæsari compensationem in tanta patrimonii familiæ suæ jactura contenderent. Verùm illi paulò pòst alio scripto sese oratori & regi modestè excusarunt, propositis insistentes, & maximè Domus Cæsareæ satisfactioni, quâ præteritâ in tutum illis foret quicquam statuere, lubricamque cujuscunque pacis securitatem reputabant. Proinde Galli dirutum Selsatæ fortalitium in Flandriæ finibus novis munimentis excitantes, à Batavico vicinæ arcis Sas de Gent dictæ præfecto admoniti, ut desisterent, utpote rei incumbentes, quæ apertè Westphalicæ & nuper

Selsatæ fortalitium prohibetur muniri.

Ris-

Riswickianæ pacis pactis esset contraria, sannis & contemptu respondent. Unde præfectus quum tormenta bellica, sed vacua explodi in illos frustra jussisset, ut eos averteret, tandem globis agens illos ab opere cessare coëgit. Maximis egêre Galli querelis, ut factum pro hostilis declarationis, & inepti belli signo traducerent, minas verbis miscentes. Sed quum de imminente bello non dubitaretur, illa pro primis signis propemodum arsuri vaporibus habita sunt.

XII. Calendas Octobris Clemens Pontifex Gaetanum Ducem, Principem Casertanum Romæ tunc commorantem ad se vocat, & interdicto ei, quem habere dicebatur, militum delectu, sub 50000. scutatorum mulcta vetat urbe exire. Princeps tamen Sabbato sequente sese urbe proripit, relicto ad Pontificem scripto, quo exitum suum negotiorum urgentium expeditione excusat; filium tamen suum in fidei obsidem Romæ commorari jubet, ne Pontifex inobedientiæ prætextu bona sua fisco addiceret. Ad Principem capiendum nervos omnes Orator Romæ Hispanicus intendit, ingenti numeratæ pecuniæ præmio pollicito illis, qui illum vivum aut mortuum apprehendere valuissent.

Pontifex Principem Casertanum Româ exire prohibet.

Annus 1702.

382. Initio hujus anni in Insubria cives Cremonenses Gallorum tædiosi, & Cæsaris studiosissimi, facilem Eugenio per subterraneum aquæductum, quo urbis sordes per muri foramen in subjectam urbis fossam decidebant, intercipiendi urbem, annonâ, apparatuque Gallorum bel-

Eugenius Cremonam ingressus capit Villerojum.

bellico abundantem, modum & occasionem demonstrant, per quem miles occultè in hortum P. Cosolii Monachi, & Ecclesiæ Mariæ novæ Pastoris, ad urbis vallum sitæ posset ingredi. Eugenius rei veritatem per officiales suos rustico & religioso habitu mentitos expiscatus, quamvis urbem 8000. præsidio munitam non ignoraret, Commercio & Starrenbergo sociatus 1. Februar. cum parte exercitus urbi primo mane appropinquans, præmittit Cosolio duce & instructore per aquæductum in urbem 25. pyrobolarios, fabris lignariis & ferrariis mixtos, quos treceenti alii pedites eâdem subsecuti viâ simul erumpentes cæsis stationariis portam D. Margarethæ aperiunt, curiam alii, alii vallum, Com. Kuffsteinius, quia præfecti domum ignorabat, opportunam aliam occupat stationem: tum Tribunus Mercius cum equitatu ad portam Padi properat, quâ apertâ ut pontis transitum pararet Vaudemontio: mox totus urbem ingreditur equitatus, exceptis Neoburgicis & Hungaris ad portam consistentibus. Gallicum interea concurrit tribus in locis præsidium, Hiberni ad portam Padi, ad castelli portam Galli tumultuarie se munientes. Fit cædes, & per urbem clamor, quo excitatus Villerojus pridie à præfecto urbis ad Saturnalitia invitatus, & ingressus eques ad pomœrium contendens Cæsareas spectans aquilas arcis profugium meditatur; sed à Cæsareanis captus ignotus quis esset, equo importunè avulsus, à centurione Magdonelo Hiberno ad stationem prætoriam deducitur custodiendus, cui se Villerojum esse confitens

tens stipulatur daturum decem pistolettarum millia, & legionis tribunatum, si liberum ad arcem dimitteret: cui Magdonelus: multo Cæsari tempore sui fidelis, hodie non fiam perjurus; sed majora licet promittentem accersito tradit Starrenbergo, qui illum in proximam portæ D. Margaretæ domum deduxit, ubi ab Eugenio & Commercio civiliter visitatus (quanto cum pudore! qui hos tres juveniles Principes Eugenium, Commercium & Vaudemontium ad suam saltare lyram docturus, ut ajebat, advenisset) Ostianum est traductus, quem tribunus Mongonus liberaturus accurrens, trajecto ejus equo etiam captivatur cum generali quæstore castrensi Grignio, de Crousio, & marchione Crenano, ex vulnere postmodum defuncto. Cum jam totam penè Cæsareani urbem occuparent, padi tamen portam & ultra flumen sitam munitionem (ubi Vaudemontius suis cum agmininibus penetraturus at defectu navium flumen nequiret transire, ponte per March. Revelum destructo) Mercius obtinere non potuit, sed à binis Hibernorum legionibus tumultuariè ibidem collectis desperatè pugnantibus, & seriùs sub tribuno Schertzer per hostes impedito succurrente, rejicitur. Tum Eugenius ab Hybernis per Magdonelum urbis deditionem optimis postulat conditionibus; has primum admittebant, mox retractantes Magdonelum captivant; quos Eugenii jussu protribunus Freibergus Taffica catephractorum legione primam eorum lineam fortiter perrumpens circumdatur, & nolens se ultrò submittere, cæditur, catephractique repelluntur, Revelo

imprimis seminudo animos Hibernis addente, & XI. continuò horis pro urbis conservatione (quæ ei tota adscribitur) fortiter propugnante. Rebus ita constitutis Eugenius circa noctem urbem deserit, captis è suis 340. qui spoliis, prædis & potationibus nimiùm intenti detinebantur, qui pro totidem gallis postliminiò sunt extraditi. Cæsorum præterea & captorum numerus erant universim 543. Gallorum vero in urbe supra 2000. cæsa, capti cum Villerojo 80. Officiales, & 400. gregarii. 500. equi. 7. signa equestria; & saucii 219. Ceterùm gratiarum loco Cæsar Cosolium, monasterii S. Mariæ novæ sacerdotem, hujus expeditionis auctorem ad episcopatûs Sirmiensis dignitatem annuo 20000. Dalerorum reditu gaudentem promovit: memor Pauli: *Grati estote pro omnibus*, *ad Ephes.* 5. etiam minimis; *nam & nos memores salis*, quod in *palatio comedimus*, ajebat *Esdras* 1. c. 4 14. Cujus episcopatus sedes est Bakmonostra: quæ regio non vini solùm totâ Septentrione laudatissimi, sed etiam rerum omnium, quæ ad usum humanum pertinent, feracissima. Mira ibi est locorum amœnitas, mira soli fœcunditas, incredibilis aëris temperies, quòd ista regio non sit à litore Adriatico non nisi tridui, aut ad summum quatridui itinere remota, ut scribit Sambucus *in rer. Ungar. Appendice fol.* 557.

Cosolius expeditionis auctor fit epi-

383. Tantum hæc Gallis expeditio metum incussit, ut omnia ad Tractum Oglii fl. loca Gozzolum, Bozzolum, fanum Martini, Viadanam &c. sine omni mora relicto comeatu & bel-

bellico apparatu deseruerint; Bussettum verò Thom. Vaudemontius vi intercipit capto 500. præsidio, & 6000. avenæ maldris; Cremona autem præsidio 12000. roboratur; Mantuam Eugenius adhuc arctius sub præfecto Trautmanstorffio includebat, adductisq; mortariis, tormentis muralibus, globis & pyrobolis urbem quasi vastaturus, dolebatq; militum defectum, majora aliàs expediturus; Galli autem magno militum supplemento confirmati, Germanos tamen adeo metuebant, ut ægrè in Italia accederent exercitum, gaudebantque captum Villerojum, à quo nihil hactenus prosperi; sed adversam semper formidarent fortunam. Villerojus interim Gretzium Styriæ, inde ad arcem Ambres haud procul Oenoponto deducitur ad idem conclave, in quo Franciscus I. olim ad Ticinum à Carolo victus, captivus fuit detentus; ad finem tamen anni liber à Cæsare dimissus pro lytro 50000. florenorum, Eugenio Principi solvendo, qui, illud repudians ejusdem Villeroji filio liberaliter donat. Cujus postmodum loco succedit Ludov. Joseph Dux Vendomius cum subsidio 26000. armatorum, in omnibus ubique cautior, Vaudemontium ex Ducatu Parmensi expellere, Cæsareanos ad Oglium opprimere, & Mantuam obsidione liberare vigilanti intendebat studio, bipartitum ideoque cis Eridanum Cremonam intra & Lodum unum, alterum ultra Padum in Placentino Ducatu firmat exercitum. Interea temporis Com. Viscontus noctu Albergottum cum 400. Mainordo non sine cæde expellit, & Eugenius frustra majori expectato subsidio, reducto

scopus Sirmiensis.

Mantuã cingit. Eugenius.

Gallorũ metus.

Villerojo Oenoponti captivo succedit Vendomius.

ducto ex Placentino Ducatu milite peditatum Luzzaram, equitatum Lenzam pro Mutinensis ducatus defensione promovet.

Aprilis initio Vendomius ex militari consilio & Regis sui imperio Eugenii castra invasurus, Mantuamque eminus adhuc à Cæsareanis circumcinctam liberaturus movet exercitum; sed exploratâ solertissima Eugenii vigilantiâ, ejusdemque in venturum hostem validâ castrorum suorum munitione, dejectus animo, abscedit.

Quarto nonas Maji Anna Stuarta Jacobi Regis Angliæ filia secundo nata postquam in morte Wilhelmi annuentibus omnibus regni Ordinibus regni gubernacula suscepisset, coronam consuetis adepta est ritibus, quibus reges in eo regno solent inaugurari. Jam pacta à prædecessore Wilhelmo fœdera cum Cæsare annuente parlamento confirmarat, & marito Georgio Daniæ Principi supremam contulerat omnium exercituum præfecturam. Visum est singulare in inaugurationis pompa, quòd fœminæ mares præcesserunt, & dexteram ubique in sedendo, & in incedendo tenuêre, in sexûs utique reverentiam, quæ in muliere regnat. Aptata ei sunt etiam D. Eduardi regis calcaria & ensis, nedum sceptrum & corona, delataque ad supremi etiam in sacris dominatûs argumentum cum bibliorum libro calix & patena, quæ præcipua liturgiæ sunt instrumenta. Paulò pòst eadem Regina Hispanis & Gallis bellum indicit, & pactorum vi, quæ per antecessorem Wilhelmum statuta erant, quæque ipsa probarat, & novo offensionis motivo, qua jus suum à Rege Ludovico læsum

ſum profitebantur, dum hic Jacobo II. Rege mortuo ejus cognomini filio regium nomen & honores tribuerat.

384. In regno Neapolitano Auſtriacorum creicit favor, & populi benevolentia, ſubſidio imprimis brevi adfuturo (cujus illuc tranſitum jamtum Cæſar à Pontifice poſtulaverat) ſuſtentata, prioris licet tumultûs auctores ſuppliciorum metu alii ad Eugenium, ad Imperatorem alii, denique alii Romam profugerint, ubi publico profugus Dux de Caſtellucia Manifeſto juſtam tumultûs cauſam publicat his verbis; quis deficiente Caroli II. lineâ, Rex noſter eſt? quis noſtrûm elegit novum? ubi nobilitas & regni ordines ad hoc congregati? quando, & cui præ omnibus neceſſaria clientelaris à Pontifice inveſtitura feudi eſt conceſſa? ubi fides homagiumque populi præſtitum? quando Auſtriaca Domus Ibericæ jus coronæ ceſſit Bourboniæ ſpontaneo prohibitæ juramento? hunc ignoramus, illius legitimam ſcimus ſucceſſionem, lege pragmaticâ, Ordinum conſenſu, Regis Caroli II. voluntate roboratam? & quis tyrannidis miniſter nos arguet rebellionis, & infami mortis afficiet ſupplicio, ſi Carolum Auſtriacum proclamemus Regem, & rejiciamus Philippum Borbonium, falſo & iniquo teſtamento intruſum? &c. Hoc Pontifex Manifeſtum, rixarum materiam refutari prohibet, ſupprimitque exemplaria; Marchionem verò del Vaſto mortis ſupplicio & bonorum damnat confiſcatione, quaſi infami Marchio publicaſſet ſcripto, mortem ſibi à Cardinale Fourbino & Hiſpaniæ legato intentatam li-

Neapolitana ſeditio à March. Caſtelluca Romæ juſtificata.

Clemens XI. march. Del vaſti mortis condemnat.

literis & sigillo testificatam; quæ res Cæsarem & ejusdem legatum Lambergum læsit vehementer, quod Marchio ille, sub Cæsaris tutela, ejusdemque generalis belli propræfectus morti esset addictus; Lambergus igitur urbe excedens pontificis alloquium, quamvis aliquoties rogatus, tamdiu declinavit, usque dum Card. Grimanus rem apud pontificem Marchionis innocentiam demonstrando composuerit, & Marchio ad Eugenium abiit.

Andegavensis ad conciliandos, sibi Catalonos, Neapolitanos & Mediolanēs eo proficiscitur

Philippus vero Andegavensis ut inquietos Neapolitanorum sibi animos conciliaret, illuc Ludovici Galliæ Regis consilio cum uxore, commisso Regni regimine Protocareto, per Cataloniam profectus Barcellonæ metropoli regaliter exceptus, confirmatis omnibus Regni privilegiis Ordines & Status Philippo spatio anni millionem promittunt: Urbs autem 50. imperialium millia dono dedit: ille 18. vicissim equites & 23. nobiles creavit Hispaniæ, ut vocant, Grandes: inde remissâ Madritum uxore Neapolim 20. Maji splendidè tribus comitatus Cardinalibus Jansonio, Medicæo & Cantelmo ingressus, & à pontifice per Card. Barberinum tanquam Rex Hispaniæ, non autem Neapolitanus salutatus. Grandis enim difficultatis res fuit Romæ extricanda, ut dicta per Carolum CardinalemBarberinum nomine pontificis legatio institueretur, scilicet rituum, & ceremoniarum præcisus modus statuendus erat, qui Romanam curiam nullis præjudiciis vel odiis implicaret. Contra hanc legationem Cæsareus Orator protestabatur, quòd jure insufficienti

Phi-

Philippus regis Hispaniarum dignitatem usurparet; & timenda sese objiciebat ingenii gallici libertas in exigendis aut recusandis honoribus à purpuratis pontificis assessoribus, contra quam armare se necessariis cautelis Romana laborabat solertia. Res favore pontificis jam fieri statuta in consistorio pro forma proposita est, rogato aut jusso Cardinale Grimano, Cæsarearum partium studioso ab eo abstinere, ne importunis protestationibus res turbaretur. Exhibita est Cardinalibus epistola, qua Philippus Pontificem de suo Neapolim accessu monebat, & officiosis literis respondendi civilis necessitudo. Regis Neapolitani titulum Philippo dari non patiebatur, negata hactenus ab ipso Pontifice regni investitura, ne lis hactenus indecisa tali appellatione præjudicaretur. Declinata tandem difficultas enuntiatione & directione epistolæ: *Ad Regem Hispanicum in confinio Urbis tunc commorantem.* Philippus interea hebomadas aliquot Neapoli commoratur multosq; Austriacorum fautores clandestinè capite, plures captivitate castigat: homagium affectans & urgens, publico contra eum scripto (clam tamen auctore) ob investituræ carentiam dilatum, discedit que, plurimis Carolum præ illo desiderantibus, Mediolanum.

XIV. Calend, Julii Rex Philippus, qui 6. nonas Junii Neapoli solverat, & Liburnum Etruriæ, & Saonam Genuensis ditionis urbes attigerat, in utraque Ducis & Reipub. nomine honorificè exceptus, à Finario portu Mediolanum venit, unde neglectâ quæ parata habebatur

dra-

dramatis musici exhibitione postridie exit, exercitum suum lustraturus. Nec diu substitit, quin se pugnandi daret occasio prope Luzzaram, ducatû Mantuani oppidum.

385. Mantuani præsidiarii iteratis interea excursionibus adoriuntur Cæsareanos, quibus Trautmansdorffius 1700. quà peditibus quà equitibus occursurus, à Tesseo 3. armatorum millibus, tribusque campestribus tormentis repellitur, desideratis centum quinquaginta; gallorum 200. Tesseo leviter, ejusdem autem filio lethaliter vulnerato. Et quia tandem cinctæ ab Eugenio Mantuæ Annona deficiebat, Vendomius omni eam modo liberare obsidione meditabatur; Eugenius etiam 5. auctus quidem legionibus & 800. hungaricis equitibus; sed annonâ ille quoque laborabat, cujus ex Foro Julio & Istria per mare Adriaticum & Padum advecturam Fourbinus gallus, conniventibus contra neutralitatem Venetis, impediebat, & Tersate annonariam aggressurus domum, turpiter à Cæsareanis rejicitur; neve eas ulterius infestaret partes, valido firmantur præsidio. Et quia novum Danorum supplementum 6000. Eugenii castra accesserat, arctiùs Mantuam includit, Cerese Mantuæ ostium vi capit, Pradellam, & S. Georgii ostia validis obfirmat stativis, ne ullus Gallis daretur accessus; Vendomius igitur per Venetorum territorium superato Oglio fl. exercitum 30000. cum 20. tormentis Isorellam transfert, occupatisque per deditionem Canetto & Castiglione castra sua ad Madonna della gratia & Rivalta figit, Cæsareanis proxima;

hic

hic Comes d'Avia Eugenii consilio capiendi Vendomium navibus aliquot per Mantuanam foveam, seu canalem ad hostium castra dilapsus, vix 25. passibus à Vendomii aberat stativis, & indubitate cepisset, nisi inopinata per militem bombardæ displosio gallicum panico excitans exercitum, totum dissipasset consilium, & cautiorem imposterum fecisset Vendomium; unde jocosè quidam: non credidissem Eugenium tam ingeniosum fore trifurem. Galli interim in postico aditu, qui obstrui non poterat, Mantuam commeatu & novo muniunt præsidio, ac Cæsareana tormentis castra sine damno tamen impetunt. Philippo autem Andegavensi castra ad initium Julii accedente Vendomius Mutinensem intraturus Ducatum, ut Bursellum interciperet; Eugenius illud providens Viscontum cum tribus catephractis legionibus ad fanum S. Victoriæ Bersellum inter & Crostolum fl. Gallorum motibus invigilantem sistit, quem 26. Jul. hostis 15000, circumcingens tertiò fortiter repellitur; sed tantis Cæsareani impares viribus cedendi locus non dabatur, donec Herbevillicâ casu succurrentes dimachæ, depulsis de Crostoli ponte hostibus, evasionis præberent transitum & effugium, relictis decem signis equestribus, & harum legionum impedimentis; strages utrimque fermè æqualis, impar quamvis numerus.

Mantuã Galli commeatu & apparatu instruunt.

Viscontus à Gallis cæditur.

Tum Andegavensis 35. millium exercitum Tessam traducit in Eugenium certo impetum facturus; utque illum arctius includeret, Tessâ Luzzaram vadens frustra illam impetit. Euge-

nius igitur solutâ cautè absque ullo damno 31. Jul. Mantuanâ octo mensium obsidione (quòd subsidio, sæpius sollicitato, esset destitutus) castra prope Soiletum figit, 24. solummodò millia continentia; 4000. enim Bersello, & Mostigliæ, Guestallæ 800. Luzzaræ 500. Mirandolæ 500. imposuerat præsidio, & Borgoforti congestitium insignis roboris aggerem erigit, sicq; nil cunctatus in hostem structa vadit acie, quam dum ob loci divortia immutat, hostis novo per Vaudemontium Mediolanensem præfectum 5000. subsidio augetur: nihilo minus 15. Aug. hora 10. generose in hostem juxta Padum tali Eugenius progreditur acie: ipse primæ lineæ corpus cum Commercio, Wernero, Guid. Starrenbergo & Bagno ducebat, alam dextram Serenus & Vaudemontius, sinistram Trautmansdorffius & Viscontus, 42. tormentis campestribus præmuniti: alterius lineæ corpori præerant Lichtensteinius, & Haxthausanus Danus: dexteræ alæ March. Vaubonnus, sinistræ Com. Uhlefeldus cum 57. tormentis: quæ tamen acies visâ hostis dispositione rursus variata, & circa 6. promeridianam dextra hostem ala invadit & loco pellit; cadente primo impetu Commercio, mox equitatus hostilis latera incurrens turmas aliquot germanorum tam peditum quàm equitum confundit & dispergit; sed recollectis illico ordinibus, succurrentibusque aliis legionibus, ultra mille passus hostis rejicitur. Alteram deinde alam Starrenbergius ducit in hostes, qui magnâ licet fortitudine contra niterentur, ter quaterve tamen, Danis imprimis & ceteris omnibus extrema

Eugenius desertâ Mantuâ Andegavense & Vendomum profligat prope Luzzaram.

ma tentantibus sunt repulsi: prælium è turri spectabant meticulosi Duces Andegavensis & Mantuanus, generosi sane gallorum Achilles, in cœlum fortitudinis ergo à Ludovico Rege elati: nox prælium diremit, ejecti arenâ ultra mille passus hostes, cedunt Cæsareanis victoriam, nec non partem papilionum, annonæ & apparatûs bellici: Cæsareanorum 793. cæsi, vulneratorum 1907. numerantur; Gallorum verò cum Generali Crequio 5000. vel ut alii 6. ad 7000. occubuerunt: quorum etiam defunctorum manubiæ Cæsareanis in arena cesserunt, ut de victoria Galli gloriari non possint: quid? quòd per hungaricos expeditos equites Eugenius eos insecutus, plenâ per noctem acie alterum sequentis diei conflictum frustra expectavit; sed militaribus Vendomius sepimentis & vallis opportuno castra sua loco adeo communivit, ut sine ingenti periculo damni & sanguinis impeti non possent: sicque occupatis per Gallos Luzzarâ cum granario, & Guastallâ, exigui roboris oppidis utraque mutuò castra sibi proxima binos ultra menses tormentis & velitationibus iteratò collisa, 4. demum Novembris primi se noctu Galli furtivè subripiunt. *Vid. n.* 397.

386. Initio Martii quinque Rom. Imperii circuli, Austriacus, superior & inferior Rhenanus, Franconius & Suevicus Nordlingæ de sua & Imperii Rom. securitate deliberantes conveniunt, ut dixi *num.* 380. quos privatim singulos Cæsar ad communem confœderatorum associationem sollicitaverat, legatusque Cæsaris Com. Lowens

Quinq. Rom. Imperii circuli de securitate sua consulunt.

Lowensteinius & Batavicus von der Meer studiosissimè promovebant; gallicus vero Ricourtus omni dissuadebat conatu, & suadebat neutralitatem: (quam antè quidam etiam meditabantur) omnium demum circulorum sententiâ & consensu decreta sunt 40. armatorum millia Cæsari associare, ejusq; committere dispositioni.

387. In Ducatu Braunswicensi magnus interea fiebat armorum apparatus à duobus Ducibus Brunschwicensi & Wolffenbeutelo, collectisque modò 12. armatorum millibus plures ferventer auctorando indies addebant: clandestino enim cum march. d'Usson pacto 8000. Galliæ Regi transcripserant, navali ponte in inferiorem tractum Rheni transferenda; pontis verò trabes, asseres, aliæque materiæ navibus affabrè impositæ secundo rheno, nullo impediente, Dusseldorpium usque liberè sine impedimento delatæ à Palatino Neoburgico ex violenta detinentur suspicione. Dum præterea neque prohibitoria Cæsaris mandata, per Ducem Holsato-Ploensem illis insinuata, neque Electoris & principis Hanoverani & Zellensis dehortationes nequicquam efficerent, Hanovarano-Zellenses milites vi eorum equitarũ dissipant, captivant, & armis denudant, oppidum Pemme, & Goslarium occupant, Brunschwigum & Wolffenbeutelum urbes obsidione cingunt; pacto tandem armistitio, & interventu Ducis Holsato-Ploensis, & legatorum Britannici Cresseti, & Brandeburgici Fuchsii, res ita est composita. 19. April. ut Dux Rudolphus August. Cæsari 2400. pedites, & 800. equites transcriberet; suo autem in

Brunswicenses Gallo militem suppeditantes ab Hanoverano impediuntur.

in Ducatu & stipendiis 4000. pedites & 500. solùm equites, nec plures citra Cæsaris permissionem aleret, reliquos Batavis transcripsit; Dux autem Antonius Ulricus ad Saxo-Gotham declinans (qui tres maxime novum aversabantur electoratum, gallum ideo interpellantes) hunc primò tractatum rejiciebat, postremò tamen cum Rudolpho subscribit & confirmat, magno Cæsaris & Imperii emolumento, quòd potentes hi Principes à Gallis avulsi sint. Ex adverso Elector Bavariæ Maximilianus neutralis speciem prætendens, & contra vim, quæ illum in Cæsaris partes impellere posset, se munire professus, milites deligit, & ceu propriæ securitati, ceu alterius auxilio velificare pergit.

Cæsar electorē Coloniens. à Gallis avocat, at refractarium proscribit.

388. Quòd si maturiori sic consilio Electoris Coloniensis Josephi Clementis factionibus uti Brunschwico-Wolffenbeutelo fuisset præventum, non in tantas calamitates, & aliorum prædam ejus devolutus esset archiepiscopatus, & episcopatus Leodiensis. In contumacem igitur Electorem mandata Cæsar avocatoria & tria alia expedit, quibus illum & consiliarium Karrig citat Viennam, coram judicio Imperiali aulico se purgandos; secus omnibus dignitatibus, honoribus, bonis privandum & proscribendum: jussus deinde Baronem de Mean Decanum Leodiensem vi aliò traductum à Gallis, libertati restituere: falsas mentito nomine Burgundicas copias exauctorare, & gallico renunciare fœderi, idque intra duorum mensium spatium: Metropolitano quoque Capitulo, Ordinibus, ministris, officialibus & subditis ejus in-

inhibet obedientiam eidem præstandam, sub pœna privationis honorum & dignitatum, confiscationis bonorum, &c. sed surdo frustra canitur. Leopoldus igitur Cæsar ob invasam non solùm monarchiam Hispanicam, sed etiam Ducatus Mediolanensem & Mantuanum Imperii Rom. feuda, Caroli II. morte ad se, & Imperium Rom. devoluta iniquè raptos; Coloniensem & Leodiensem episcopatus ementiti nominis milite oppressos, ac Comitatûs Habspurgensis & Tyrolensis titulum, solis competentem Austriacis, à Philippo Andegavensi usurpatum &c. eundem Philippum, & Ludovicum XIV. Galliæ Regem suum, & Imperii Romani hostem declarat, publicatque, & bellum eodem quo in Anglia & Hollandia die indicit: sicuti econtra 8. Junii contra Cæsarem, ejusdemque confœderatos Anglos & Batavos bellum Madriti, & Parisiis 7. Julii est publicatum.

389. Vix in aprico militem subsistere aliqualis cœli temperies patiebatur, cùm per leves offensiones erupturo propediem bello partes adversæ obstetricari ceperunt. In interiori Germania Galli aggere continuo defensuri Flandriæ accessum, dum ad usque fere Lilloæ Batavorum oppidi lineas protendunt, minis & vi repelluntur. Paucis interjectis diebus iidem Batavi è castris, quæ jam Rosendaliæ posuerant, duo millia equitum emittunt, qui ad mœnia Antwerpiæ excurrentes, aliquot ibi captivos abigunt. Illos repetit Antwerpiæ Gubernator, quasi furtim subreptos, & absque prævia belli alicujus indictione. Sed Batavi se inviolatæ hactenus paci in-

insistere protestantur, emissosque equites non suos, sed Cæsaris esse, cum quo jam Gallia & Hispania simultates exercerent. Idibus tamen Maji Hollandorum Respublica proprio nomine indicit Gallis & Hispanis, neglectis pactis, quæ post Regis Wilhelmi mortem Rex Ludovicus iis exhiberi fecerat, quibus sufficienter eorum securitati prospici putabat. Argumenta belli indicendi publico prodebantur scripto, quò scilicet Rex eorum libertatis supprimendæ se semper studiosum ostendisset: injustis rationibus annis 1672. & 1688. eorum ditiones invasisset, unius universalis & immensi dominii ambitione: quòd post ultimam Ryswici pacem clara pacta captiosis cavillationibus implicuisset, & eorum ubique minueret commercium: quòd propositam ab ipso, & pactam cum ipsis Batavis monarchiæ hispanicæ divisionem, eâ postpositâ, testamenti obtentu totam liguriisset, occupato suis copiis Belgio hispanico, Leodiensi & Coloniensi ditionibus; emissis classibus suis, ut onerarias hispanicas, quarum pars maxima Batavorum mercibus erat plena, ipse solus sub Duce Andegavensis in Hispaniam intrusi nomine ad proprios usus diriperet. Hujus itaque belli initium fuit Cæsaris - Insulæ obsidio à Borusso-Batavico milite per Principem Nassovio-Sari-Pontinum Cæsaris nomine expedita, quam Coloniensis Elector gallico voluit defendi præsidio, & Tallardus X. gallorum millibus impediturus, Dusseldorpium petit, ignibus id vastaturus, nisi pontem Elector Palatinus navalem, ejusdemque defensionis removeret munimen-

tum; dein liberum in Ducatum Montensem permitteret transitum; & centum propediem millia imperialium numeraret: omnibus constanter frustratus Tallardus, relictâ Dusselâ Cæsaris-Insulanis ex altera Rheni parte recentem per tempus aliquod militem pro sauciis & ægris suppeditat, fueratque primùm expugnanda in Rheni alveo insula, in qua munimentum, cujus ope præsidiarii bonam urbis partem egregie non solum tuebantur, sed commodum etiam illis dabatur saucios inquam milites in valentes commutandi. Anhaltinorum igitur Principum unus cum 800. selectis militibus variis in eam navibus insulam invectus, præsidiarios munimenti vocat ad deditionem, quam cùm promiscuus miles facere contra Ducum suorum voluntatem paratus esset, proindeque extra munimentum prosiliret, horum jussu tormentis bellicis impetitus in deditionis vindictam ferè omnis necatus est. Atque ita oppidi deditio à principio mensis Aprilis usque ad 15. & 17. Junii non sine magno oppugnantium detrimento, & dira loci devastatione dilata est: excedente autem gallico Venlonam præsidio, Elector Palatinus oppidi possessionem, protestante Capituli metropolitani Coloniensis nomine Duce Saxoniæ Augusto ibidem Canonico, capit, & telonio, suoque robore denudat. *Vid. n.* 393. 405. Sub hæc Marchio Bedmarus confirmatis prius cum juramento in manu Archiepiscopi Mechliniensis Brabantiæ privilegiis, homagium Statuum 21. Februar. Bruxellis nomine Philippi Andega-

gavensis excipit, ubi etiam 27. Februar. Dux Burgundiæ, gallici tunc exercitûs archistrategus, splendidè est exceptus cum fratre Gastone Duce Bituricensi; in huuc irâ & odio plebs conjurata, publicè vociferabatur: *Dux Bituricensis adhuc 24. horis propter me*, ita hic Dux imperabat Villerojo, dum hic antehac Bruxellas ignibus & sphæris incendiariis adeo incinerasset, ut Villerojus ipse urbis & civium misertus vellet desistere, hic Bituricensis Villerojo mandaret, ut adhuc 24. horis propter se urbem pergeret ignibus vexare, plebs ideo spirans adhuc minarum & ultionis in duos hos duces, necem eis intulisset, nisi tempestivè urbe se proripuissent. Burgundus inde digressus Noviomagum Batavis præripere gestiens, in agrum Clivensem exercitum præparatæ collusionis spe traducit, quâ se intra mœnia excipiendum facili, aut nullo negotio sibi pollicebatur. Sed Athlonæ Comes retractis, quæ castra diversa metabantur, Anglicis & Batavicis copiis ad urbis tutelam citato itinere contendens, injecto tumultuariè in urbem milite, continuis tormentorum solos per cives displosionibus (ballistariis omnibus ex condicto fortè tunc absentibus) turpiter, & cæde 400. est rejectus. Batavi interea auri summam non exiguam Brabantiæ Statibus mutuatam repetentes, dum differunt longiùs solutionem, Generalis Cæsaris ibidem tunc Vicarius Tillius, conjuncto sibi Athlono exercitum 30000. ducit in Geldriam: quos pari exercitu Xanthum secuti Dux Burgundiæ &

Boufflerus, Ducatus Clivensem, Juliacensem, & Montensem barbarè, & non Christianè in vindicem irritæ molitionis depopulantur: quem insecutus posteà Marleborugus prælium detrectantem, nullo operæ & excursionis pretio, sed irritâ urbis spe frustratum Gallicum Principem in Parisiensem aulam coëgit reverti. *Vid. num.* 394.

390. In superiori Germania Palatino-Neoburgicus miles occupatis Trarbacho, Berncassel & aliis in Dorso canino, seu tractu Hunnorum, & ad Mosellæ tractum oppidis Germersheimium communit, tollitque Landaviæ cum rheno communicationem. Eodem propemodum tempore Lud. Badensis collecto prope Rheinhausen germanico exercitu, bellum in Gallos ad Langen-Candel publicat, interceptoque oppido Billig-Rhein, Cron-Weissenburgum, disjungendo Argentoratum à Landavia, militari firmat robore: mox ipsam Landaviam, robore Vaubani machinatoris judicio invincibilem 16. Jun. cingit obsidione, 19. castrensia valla seu vias aperit, & magno tormentorum numero flagellat. Romanorum etiam Rex Josephus 27. Jul. castra accedens promptos militi sua addit præsentia animos, in hac cruenta sanè oppugnatione non leviter afflictos; Melacus enim oppidi præfectus miles veteranus & exercitatus nullum defensionis fugiebat laborem, explosionibus, & excursionibus frequentissimus, simul & ad omne periculum attentissimus: in omnem præterea oppidum liberandi occasionem justo cum exercitu invigilabat Dux emeritus Catinatus; jam rhe-

rhenum transire, jam alio Cæsareanas divertere vires, & distrahere, jam bellico circumvenire stratagemate moliebatur; sed omnes illius conatus studiosa Badensis sollicitudo oppessulaverat. Jam castrenses Cæsareani vineas 16. Augusti ad ipsas muri foveas [contrascarpe] promoverant, & decretorio insultu Rege adornante & adhortante fortiter feliciterque, sed multo utrimque sanguine eas occupant; tum Drusenheimium tendens Catinatus, succursum 24000. tentare visus est; at præterquam Badensis dispositas Cron-Weissenburgi copias aliquot auxisset agminibus, & Josephum Regem cum 25000. eo approximantem Catinatus intelligit, exercitum retrahens aliò divertit: & Tungenus aliquot pòst diebus castellum armatâ capit manu, suppressisque liliis aquilam supponit bicipitem. Victus ita Melacus ultroneam 9. Septemb. offert deditionem, & 12. ejusdem mensis oppido excedens Argentoratum est deductus, cùm tamen in liminis frontispicio lapidi incisus esset hujus anni numerus: HæC neMInI CeDet. cui subjunctum: TanDem CessIt CæsarI. Ab Augustissimo Cæsaris filio Joseph domita Landavia, ingeniosi machinatoris bellici Vaubani artificium, omni arte & scientia militari exquisitum, quo Gallorum judicio invincibilius, eò gloriosior est Josepho ejus debellatio: pro cujus Cæsar incolumitate & prospera expeditione D. Josepho tutelari suo marmoream vovit columnam, ab eodem postmodùm filio in foro alto Viennæ erectam, in perpetuæ gratitudinis monumentum. *Vid. num.* 281. 404. 434.

391. Nec omnino adhuc Cæsar de Electore Bavaro Genero suo desperabat, ideoque quatuor hæc per Com. Schlickium legatum suum postulabat puncta: ut Imperii circulis & magnæ Principum associaretur confœderationi: Cæsareis deinde legionibus transitum per Bavariam permitteret: Gallicas tertiò desereret partes, & per suum in Ratisponensibus comitiis legatum Cæsaris, Imperiique securitatem, & incrementum cum cæteris simul promoveret. Idem à Bavaro petebat Elector Moguntinus, monebatque seriò, ne Gallorum fallaciis deceptus idem reciperet, quod plures hactenus Principes, præmium mercedemve, nempe nullam; sed Ducatûs sui pateretur jacturam, ut jam pluribus patet contigisse. Sed fideles has Bavarus admonitiones rejiciens, nescire se hostem, qui malum inferret, respondit; cùm totam tamen cerneret bellorum incendiis ardere Europam, humanoque Germaniam madere sanguine, suo mox temerario impetu furosius devastandam. Post hæc Ratisponæ legatus gallicus Chamoius urbe & Imperio Rom. proscriptus est, atque in Comitiis Ratisponens. omnium ordinum votis bellum contra Gallos & Hispanos, eorumque confœderatos decretum à Cæsare confirmatum, Imperiique hostes 6. Octobris declarati sunt.

Tum Bavarus auctoratis 20. armatorum millibus, nullo suspicante Ulmam liberam & imperialem civitatem, Sueviæ metropolim, fraudulenter occupat: Beckmannus enim protribunus sæpius explorato, quòd commodiori loco

loco & occasione per anterinam portam, qua summo mane rustici victualia urbi inferrent, invadi posset, præmissis aliquot bellicis pridie officialibus, reliquos numero 40. sub rustico & muliebri habitu armatos [quasi puderet esse viros, sed fœminas, Ducis sui fidem venalem prostituentes] variis cum victualibus 8. Septembris D. Virginis nativitate celebri in urbem immittit, quibus mox dato pilei signo 600. dimachæ è proxima sylvula succenturiati, nebulæ beneficio in urbem prorumpentes, trajecto stationario turrim, valla, propugnacula & armamentarium &c. facile occupant: inter civium autem mulierumque ad arma concurrentium tumultus Beckmannus à suomet, ut creditur, milite globo petitus occumbit; sic primus fraudis architectus primum bellicæ structuræ lapidem positurus, sepultus jacet, ut servus nequam doceret dominum fugere à ventura ira. Petente demum Senatu quid Elector urbis invasione exigeret? traditis ejusdem literis respondit, factam esse ad limitum Ducatûs sui, & Danubii securitatem; circulos enim Suevicum & Franconicum primùm neutrales, aliis, Cæsari & Imperio nunc associatos, fracti fœderis reos, ad servanda pacta Ryswicensia esse compellendos; servatis tamen urbis civiumque juribus & privilegiis, ut lupus apud oviculam obtineret jus velleris, turbatæ lymphæ egit ream, quæ tamen inferius stetit; sic Elector vicinas provincias insimulat, quòd turbent Oenum, cùm starent ultra Rhenum; quòd membra Imperii se conforment corpori, & corpus capiti, Cæsari. Itaque Elector

ctor urbem ingressus 6000. præsidium imposuit. *Vid. num.* 434. Stupebat orbis Bavarum Principem, cæteroquin prudentem, tam speciosis, & plurimis Principum hactenus exitiosis Gallorum fraudibus & fallaciis ita posse fascinari, ut tot paternas clementissimi, suique simul amantissimi Cæsaris contemnat dehortationes, & cruentissimis eidem insidietur bellis; obstupescebat, quòd tot gravissimas Principum, & totius Rom. Imperii (cujus ipse membrum juramento devotum) rationes & argumenta, quin & minas rejiciat, seque ab eisdem perfidè separet: tot sana Maximiliani patrui, sui quondam tutoris, respuat consilia: spernat Ordinum Statuumque suorum periculosos exitus dissuadentium admonitiones: supplices demum conjugis preces despiciat; & miserrimæ suæ sit faber fortunæ, Bojorumque sepulchrum, ab ipsomet postmodum uberrimis in Belgio lacrimis deploratum; sed serò sapiunt phryges. Præfatas supra causas Bavarus etiam tum Ratisponensi Collegio, cùm ipsi etiam Cæsari significavit maximè offenso, eidemque omnium motuum causam his imponebat prætensionibus sibi denegatis: petierat enim uxoris suæ, Cæsaris filiæ, dotem competentem. 2dò 300. florenorum millia annui reditus, quibus antehac uti Belgii gubernator gavisus erat. 3tiò. Repetebat 32. milliones flor. ungarico impensos bello. 4. à Suevico & Franconico circulis pro impensis bellicis 2. exigebat milliones. & 5. satisfactionem prætensi comitatûs Burgaviæ. 6. Restituantur Ducatui Bavarico & superiori Palatinatui ablata. & 7.

cet-

certis conditionibus comitatus Ortenburgensis. 8. Reducatur in archiepiscopatum & jurisdictionem suam frater Elector Coloniensis. Demum Cæsarei exercitûs volebat esse Generalissimus. Has omnes prætensiones Ratisponense collegium tanquam futiles rejiciens, urgebat à Cæsare vi & armis compellendum iniquissimum Bohemicæ non solùm, sed & Suevicæ & Franconicæ Coronæ Varsalico - Bavaricis irritò elaboratæ consiliis, competitorem: nam inter quatuor prætorianorum vexillorum suorum symbola erat cum hoc lemmate depicta Corona: *Coronari, aut rumpi*, in 2. ursus vulneratus, cum hac inscriptione: *Vulneratus crudelior*, in 3. ursus cruento furebat pede: *Nec sanguine satior*. In 4. Cometes significabat; *Vultus non terret*. Hisce ille signis Memmingam imperialem in Suevia urbem post triduanam capit oppugnationem, & in Comitatu Badensi Gunsburgum: inde Vallium civitates occupaturus, ut interceptæ ejus indicabant literæ, Gallorum secum moliebatur conjunctionem unicè, ob Bavariæ ab hostibus invadendæ periculum desideratam. Sed occupatâ Landaviâ, eidemque gubernatore Com. Friesen imposito Roman. Rex cum Regina [quæ Heidelbergæ interea commorata] inde Viennam abit.

392. Badensis autem rhenum transmittens exercitum, varia hinc illinc agmina ad Gallo-Bavaricam conjunctionem impediendam dimittit, sicque diminuto admodùm exercitu 8000. Fridlingæ consider: ejus rei certiores facti Galli, occupato tumultuariè Neoburgo, rhenum ibidem tran-

Badensis prælio fundit Gallos.

transeunt, & Badensem viribus imparem petunt, qui ne ab Villario & Guiscardo circumcingeretur, motis Fridlingâ castris inde discedit, ubi verò à Mercio audit hostem advenire, & jam adesse, verso exercitu aciem subitò disponens jubet Fürstenbergum-Môskirchen, Bado-Durlacensem, & Anspachium cum peditatu in hostem irruere, qui trajecto licet Fürstenbergo, & læso Anspachio hostem fortiter aggressus modò pellebat, modò pellebatur; ideoque Comites Arco & Effra in hostilis peditatûs latera effundebantur: tum Zollerenus magnâ equitatum vehementiâ ducens in hostem, ejus potitur tormentis, & ex altera parte Mercius primam ejus perrumpit lineam; sed ille capitur, huic transfoditur equus, ut pedes per vineas abscederet: mox secundam succenturiant lineam Zöllern-Simmering & Stauffenbergus; cæsis sed ambobus, hostis turbat equitatum, dissipat, adeoque confundit, ut colligi reducique nulla vi, aut modo posset: solus interim pugnabat acriter peditatus, & tribunorum, centurionumque suorum exemplo & adhortatione hostem loco pellit, nitratoque deficiente pulvere, gladiis in illum fuit & pugionibus, succurrente opportunè Prospero Fürstenbergio cum aliquot dimacharum centuriis, atque ita insolenti per Comitem Erff confusione perterritum pontem usque Hunnigensem fugat, consistente in acie hostili equitatu, & confusionem ruinamque sui peditatûs spectante: equitatus autem Cæsareus aliquatenus reductus, quia viribus & numero impar, hostilem non aggreditur; sed potitis Marchio

Ba-

Badensis hostium tormentis contentus tamdiu in arena permansit, usque dum hostis primus discederet, desideratis eorum 4000. tormentis 7. & 17. vexillis, ut ex interceptis Villarii literis cognitum fuit. Cæsareanorum tum cæsorum, tum captivorum numeravit Badensis 1500. Die altera Galli stellatam, seu Fridlingensem munitionem deditione occupant; Badensis verò collectis hinc inde dispersis copiis dum 26. Octobris hostem iteratò vellet aggredi, sine mora ille rhenum trajiciens aufugit; & tamen Galli plenam sibi adscribunt victoriam; quam viribus & numero copiosiores fortè obtinuissent, nisi jam certâ freti victoriâ prædæ manubiorumque avidiores, atque ideo confusione intricati eam contemerassent. *Vid. num.* 399. *&c.*

393. Josephus Clemens interim Archiepiscopus Coloniensis in sententia & Gallorum adhærentia mordicus contumacior, cum callido Tallardo 30. peditum & 10. equitum turmis Ducatum Montensem personaliter invadit, ipsoque in arce Herll prope Mulhemium considente, gallicus interim miles Mulhemium, proximaque circum loca barbaro planè modo devastat; inde ignes minatur Coloniæ, nisi neutralitatem amplecteretur; quâ ultro admissâ annuentibus tunc præsentibus Legato Cæsaris Card. Saxone Zeitz & Gerardo à Bingen vice-Cancellario Palatino &c. [quia exiguo urbs erat munita præsidio] Elector cum Tallardi milite Bonnam [quæ gallicum necdum hucusque militem, hoc autem Tallardi dolo tunc recipiebat] est regressus: Confœderati verò, ubi Coloniæ urbis

Elector Joseph astu Tallardi Montensem Ducat. invadit & flens, Bonnam deserit.

audiunt periculum, sine mora militaria eò submittunt subsidia; unde Elector sibi metuens, ne incautus circumveniretur, Bonnam deserens cum lachrymis ajebat: malle se Regis Galliæ quàm Metropolitani Capituli sui esse mancipium; sicque abiit in regionem longinquam, in miseram servitutem & captivitatem gallicam, præterea que omni illum Cæsar XVIII. Novembris privat Electoratûs dignitate, & sæculari Archiepiscopatûs regimine; omnes ejusdem subditos ab omni ejus fide & obedientia absolvit, & Capitulo demum Metropolitano totam imposterum Archiepiscopatûs tanquam Sede vacante tradit administrationem. *Vid. num. 399.*

Privatur electoratu & temporali regimine.

394. Monet præterea Cæsar & instat per Trautmansdorffium Helvetos, ne vi Mediolanensis pacti Gallis militum permittant auctorationem, quòd Mediolanum morte Caroli II. non modo ut feudum caducum Romano cesserit Imperio; sed nec Philippo Andegavensi Regnum Hispaniæ; verum lege pragmaticâ, Regum præcedentium testamentis, & omnimodâ Gallorum exclusione, juramentis & stipulationibus utrimque firmata, ad Austriacos sit devolutum; proinde Capitulatum, seu Ducatûs Mediolanensis tutelam solos Austriacos, neutiquam Gallos attingere. Veruntamen Helveti, & imprimis Catholici, solutis sibi duabus 25000. coronatorum à Casato Gallorum nomine pensionibus, duarum legionum auctorationem illis permittunt; Austriacas autem ditiones & urbem Constantiam in suam recipiunt tutelam & defensionem, omni hostili liberaturi periculo.

Helveti favent Gallo.

Ut

Ut verò Cæsar pro gravissimis hisce belli sumptibus nervum colligeret sufficientem, confiscata nuper in Hungaria bona tribus vendita sunt millionibus, & Teutonicorum Equitum Ordo duos Hungariæ ad Tibisci Tractum, seu campos Cumanos Comitatus quingentis florenorum millibus certis quibusdam conditionibus sibi acquisivit.

Marleborugus interea ex Anglia in Bataviam delapsus, mox bellicum convocans consilium, Burgundiæ Ducem invadendum, pluribus licet subsidiis auctum concludit: sed ille prælium declinans, metuensque Geldriæ à confœderatis irruptionem, sufficienti eam communit præsidio; nihilo tamen minus confœderati Kempenam, Wachtendunckam & Mittelburgum intercipientes, Venlonam per Principem Nassovio-Sarpontinum & Cohornium obsidione cingunt, & arcem S. Michaëlis armatâ capiunt manu: dumque certis ad castra defertur nuntiis captam Landaviam, & Nassavius ingenti ideo tormentorum boatu applauderet, Præfectus Venlonensis rei inscius decretorium metuens impetum, 25. Septemb. ultroneam urbis offert deditionem, quâ nomine Caroli III. acceptâ incredibilem commeatûs & bellici apparatûs copiam ibidem reperiunt, 160. tormenta & 30. mortaria, præter 30. alia tormenta in arce D. Michaëlis obtenta; tum Stephan-Insulam 2. Octobr. & 7. ejusdem Ruremundam occupant. Inde Marleborugus Leodium aggressus, cedente mox hoste in arcem Cohornius illam ingenti ignium vi primùm coangustat, tum ob tempo-

Marleborugus & Confœderati capiunt Kempenam, Venlonam, Ruremundam, Leodium.

ris compendium armatâ rapit manu, traditque in prædam militi satis opulentam: arx altera, Carthusia dicta, ne eundem sortiretur exitum, spontaneè se submittit: Rhenobercka & urbs Geldria ignibus primùm missilibus vastatæ; sed contumaces per hyemem arctè cingebantur, militeque ad hyberna dimisso finiit gloriosa hujus anni expeditio, cujus insignes per Hollandiam & Angliam factæ sunt Deo grates.

Bedmarus Bavari in Bavariam abeuntis successor frustra tentat Hulstium.

Marchio Bedmarus Belgii Gubernator, & Bavari successor (qui Brabantiâ excedens suas in Bavariam copias conduxit) Hulstium occulta invasurus collusione, majori quàm Bouflerus Noviomago cæde rejicitur.

Lusitanus Gallo fœderatur.

395. Lusitanorum Regem Petrum tum Cæsareus Legatus Wallensteinius, tum gallicus variis rationibus & promissis in suas importunè partes sollicitaverant; diu suspensum ministrorum suorum auro corruptorum consilium in mutuam tandem cum Gallis confœderationem attraxit, metu potissimùm Catholicæ Religionis violandæ, & spe Ceylon Insulæ, à Gallis aliquoties frustrà tentatæ, à Batavis tandem raptæ, gallorum subsidio recuperandæ; nihilo tamen minus Rex haud exiguam militum copiam ad fines Hispaniæ non sine plurium admiratione destinat, ac si contractum fœdus ex dubia fraudulentaque Gallorum fide haud diu duraturum provideret; neglectâ namque à Gallis fœderis observantiâ Rex Anglis Batavisque per Regnum suum negotiandi permisit libertatem & securitatem. *Vid. num.* 494. Ne autem Rex totam pe-

penitùs dissolveret fœderis Gallo-Lusitani firmitatem, multis verborum ampullis legatus gallicus jactitabat confœderatorum in Brabantia exercitum à Duce Burgundiæ cæsum: quatuor armatorum millia Gadibus & Dunkerckæ parari, in Angliam Walliæ Principem in thronum intrudendi: Cæsareanos in Italia ad fluvium Athesim à Gallis rejectos &c. quæ omnia recenter inde adveniens extraordinarius Cæsaris Legatus Princeps Hasso-Darmstadensis, magni nominis & bellicæ fortitudinis in Hispania heros, antehac Cataloniæ Prorex, dùm falsa & insana refelleret, rabula & thraso Ulyssibonæ ubique audiri meruit Gallus; tantum tamen minis & importunâ suâ apud Regem effecit molestiâ, ut hic Princeps (à quo Regem ad magnam Cæsaris ac Principum confœderationem metuebat alliciendum) urbe discedere cogeretur; appropinquante verò confœderatorum classe, incredibili populi gaudio Rex admisit neutralitatem. (*Vid. num seq.*) frustra Gallis terrorem incutientibus: quo tempore Darmstadiensis Ulyssibonam est reversus, cum pluribus Catalaunis Austriacorum fautoribus Madrito (ubi in multos pœnis & carceribus crudeliter animadvertebatur) fugitivis: quos inter Castiliæ Præsidis confessarius salvum à Rege conductum eidem lubentissimè impetravit. Hic enim Præses Comes Melgar constantissimus Austriacæ Domûs fautor multos sibi clandestinè habebat adhærentes; ideoque Varsalica & Madritensis aulæ illum observantes, compedes eidem non rarò parabant, quibus cautè semper & feliciter expeditus

Illum classis Anglo-Batava ad Neutralitatem cogit.

Comes Melgar Madrito fugit in Lusitaniam.

tus, tandem Hispaniæ destinatur ad Ludovicum Regem Versaliam legatus [seu potius haud dubie ibidem ligandus] obtentis jam modò literis creditivis, splendido apparatu, cum 150. mulis onerariis, & 50. plaustris, multoque procerum 300. comitatu eò quasi progressurus, Ulyssibonam declinat [non sine exigua Gallo - Hispanorum sollicitudine & turbatione, immo & insidiarum metu] amicissimè à Lusitano Rege in fidem & tutelam est exceptus.

396. Sed majorem Gallo - Hispanis injiciebat metum & sollicitudinem ingens illa Anglo-Batavorum 145. navium præter vectorias, & præter Batavos, 10. classiariorum Anglicorum millium classis, quo illa tandem sub imperio Ducis Ormundi & Archtalasso Roocken destinata tenderet; quidam Gadibus metuebant, alii Americæ classi argenteæ, ne quæ Jasonis industria aureum illud vellus XXX. millionum raperet, gallico igitur Architalasso Chateautenaudo injungebatur, ut classem illam in securiorem Galliæ portum deduceret; cui omnibus Hispani viribus contranitebantur, ne in Ludovici manus dilapsa vix quidquam ad eos desflueret; gallicæ tamen 20. naves militares classi insidiabantur in Galliam deducendæ. Classis verò Anglo - Batavica 1. Augusti à D. Helenæ Insula, ubi tempestatibus aliquamdiu remorata, solvit, junctâque sibi Equitis Fairborni navium turmâ & Duce Hasso - Darmstadiensi, ad promontorium S. Vincentii & Lagos apertis expeditionis à Regina Angliæ demandatæ secretis literis, classem Gades directè promovet Ormontius, &

26.

26. ejuſdem menſis haud procul munitione D. Catharinæ exſcendit, Roramque à civibus deſertam occupat, mox & munitionem D. Catharinæ. Tum Ormontius publico manifeſto omnes ad Caroli III. Regis Hiſpaniarum fidem & obedientiam invitat, eo enim ſe, & non belligerandi fine adveniſſe denuntiat: ſimulque à Scipione Brancaccio urbis poſtulat deditionem: quâ denegatâ munitionẽ S. Mariæ magnâ milites irruunt inſolentiâ, ſacra humanaque, contra exactam Ormontii & Reginæ prohibitionem, violando; jamque ad munitionem Mattagordam (ſine qua nec oppugnari, minus occupari poteſt civitas) invadendam omnia parabantur; ſed paludoſum omnino ſolum nullum permittebat tormentorum aut mortariorum extrui ſuggeſtum, aut militares vineas, plurimisque inde Hiſpanorum ejaculationibus Angli prohibebantur. Demum igitur literis Ormontius ſpontaneam deditionem, gallicum abjiciendo jugum, à Villa d' Aria fruſtra poſtulans diſcedit.

Claſſis Anglo-Batavica Gadibus applicans ſacra humanaque profanat.

Magnum hæc Anglo-Batavorum expeditio & inſolens imprimis S. Mariæ profanatio univerſæ Hiſpaniæ incuſſit tremorem & turbationem. Protocarerus enim omnibus injungebat Paſtoribus & Concionatoribus, è cathedris populum adhortari incitareque ad preces & ſupplicationes ad Deum, ut impias hæreticorum machinationes ſacra profanantes averteret, ejuſmodi enim ſacrilegia dœmone pejus tota averſatur Hiſpania: quaſi verò ſacrilegum non fuiſſet, quòd Chriſtianiſſimus Rex Ludovicus XIV. non unam, ſed plures integras in Germania

Ob hoc Hiſpani Anglo-Batavos hæreticos averſantur.

urbes Catholicas igni ſubjecerit, templa profanando flammis devaſtaverit, &c. Anna Regina Angliæ has militis ſui inſolentias & profanationes audiens, ira excandeſcens, graviſſimis in eum pœnis animadverti mandavit, Ludovicus autem Rex ſuos laudavit ſacrilegi mandati executores; immorigeros verò ſuâ privavit gratiâ & dignitate, ut alibi diximus: utrumque eſt nefandum; ſed in Chriſtianiſſimo nefandiſſimum. Claſſis Anglica ne bellum ſolùm terrâ agi videretur, Galliæ litora legens, damna aliquot inſulis intulit, quæ obviæ offenſioni fuerunt, in oris Aquitaniæ & Britanniæ. Illud aliquâ dignum memoriâ viſum eſt, quòd Anglis in inſulam Grovacenſem delatis, dum loci parochus, qui ſe ducem armorum populo præbebat, homines non haberet viriles, quorum aſpectu hoſtem terreret adventantem, juſſit fœminas virilem habitum, & arma ſumere, & ſic explicatâ acie duplici illum ab ulteriore tentamine cohibuit, veterum Longobardorum exemplo, qui uxorum ſuarum cæſariem, ut refert *Paulus Diaconus*, & fluxam comam earum genis ſolebant adaptare, quo armis traditis hoſtem ludificarent. Ut & de Athenienſibus narrat *Suidas*, quod mulieres ſuos ita pilos adoptabant, ut viri eſſe viderentur: Barba enim, juxta *Iſychium* eſt inſigne viri, 2. virtutis, 3. perfectionis. 4. fortitudinis, inquit *Eucherius*, & inſigne demum ſapientiæ, ait *Radulphus*.

Claſſis Anglo-batavica [illegible]

Quantum Gallo-Hiſpanis gaudium peperit Gadium liberatio, tantum in Galaciæ Vigo portu, inter 40. regni præſtantiſſimo & ſecuriſſi-

rissimo præbuit mœrorem & dolorem americæ classis ruina & privatio, utrique regno admodùm exitialis; pro cujus securitate Ludovicus XIV. indefessum per biennium adhibuerat laborem, curam & sollicitudinem, & omni munitionum genere, ignivomis tormentorum draconibus, militumque præsidio roboraverat, ne quis Britannicus aut Batavicus Jason Vellus illud aureum raperet; cujus etiam portûs securitate freti vix paucas exoneraraut naves. Hoc comperto Ormontius & archithalassus Roocken classem suam illico dirigentes, nebulæ beneficio ipsi approximant, urbi multis licet ejaculationibus excepti. Die altera 20. Novembris Ormuntius exscensione facta duobus armatorum millibus ingressum Redondellæ, quâ Americana continebatur classis, & catenis, sudibus & tormentis septa erat, invasurus, acto in fugam hoste, tormentorum suggestum, & aliam mox turrim, quo hostis confugerat occupat: tum etiam Vicethalassus Hobsonus classe tractim os Redondellæ perrumpens hostiles involat naves: alter Vicethalassus de Goës Redondellæ munitionem ad deditionem cogit, & accedente illuc Ormontio magnam ibidem argenti copiam offendunt. Chateau-Renaud ubi Anglos Redondellam perrupisse videt, suam in aërem evibrat navem, quem plures secutæ idem fecerunt; aliæ in brevia adactæ sunt. Ingens ex combustis major ex captis navibus argenti vis, & ditissima mercium copia est exonerata; captusque archithalassus gallicus cum aliis 500. circiter gregariis. Cumque Anglo-Batavi intellige-

gadibus argentea Hispan. Classem in portu Vigo diripit.

ligerent argentum ex binis navibus elevatum devehi Lugos, ſeu Aras Sixtianas, aliquot illuc militum agmina illud capiendo expediunt, quæ incredibilem Hiſpanis incutiebant tremorem, quaſi jam tum præ foribus eſſet Hannibal, æris martiis perſonabant, ſuccurſumque à Ludovico & Philippo in Italia adhucdum hærente, expeditis curſoribus exorabant; verum Anglo-Batava claſſis, elapſis in tutum Lugos cum argento Hiſpanis, convaſatis argento, mercibus, navibus & bellicis navium combuſtarum tormentis ad ſua magno cum celeuſmate revertitur, lugentibus adverſam ſuæ claſſis jacturam Hiſpanis, quam ante ſex hebdomadas ſecure & ſine impedimento ſalvare & exonerare, ut iterato mercatores petierant, facilè poterant; quòd à Gallis haud dubiè dilatum, ſi fortè incautis Hiſpanis clam in Galliam ſubitò poſſet elabi: unde non ineptè quidam de hac Gallorum clade ſic ait:

Vidit ut Hiſpano Neptunus in æquore cladem,
Hæc, ait, in Gallos Jupiter arma movet.
Illa tot innocuas quæ jam combuſſerat arces,
Vindice conflagrans claſſis ab igne perit.
Se ſoli ratus eſſe parem, cùm perderet orbem,
In mediis Phaeton taliter arſit aquis.

Roockius in Britannia appulſus, benevole à Regina exceptus, argenti prædam 1200000. ſterlingorum expoſuit; paulo pòſt inde cum reliqua claſſe eques Scovelus reverſus 110. adhuc bellica tormenta & prædatas naves gallicas convexit; prætereaque Angli novi orbis inſu-

lam

lam S. Christophori Gallorum potestati deditione eripiunt.

Angli Gallis insulam S. Christophori eripiunt. Galli Borgofortum & Governolū in Italia capiunt.

397. Cæsareo in Italia exercitu in hiberna distributo Thesseus Borgofortum, & Vendomius Governolum deditione capiunt, non sine Cæsaris incommodo, quo secura Mincii in Padum navigatio, & directa cum Tyroli impediebatur communicatio, *Vid. num.* 409. Quod postmodum impedimentum Eugenii sustulit industria; qui relicto exercitu Venetias, inde Viennam properat; ubi novus sequentis anni bellicus fervebat apparatus, & de nervo colligendo sedulò consultabatur, debebatque Hungaria intra trimestre tres numerare milliones: agebatur præterea de limitum cum Turcis divisione, vi cujus illis quidem antiquum Novi ultra Unnam fl. cedebatur; sed novum etiam cis Unnam Novi pertinaciter ac minaciter tanquam ab Antiquo dependens prætendebant: Cæsar ne rixarum aut belli præberet ansam, locum demoliri jubet & permitti, ne & Ragotzio clandestinas in Polonia factiones molienti, aliisque rebellibus Ungaris dissensiones seminantibus conspirandi daret occasionem cujus rei dum ab Ungariæ Palatino Esterhasio admoneretur, respondit: Vadant, habeant suas causas, sero tandem agnoscent; fortassis propinquior ipsis est mors, quàm ut metus tantopere sit necessarius. *Vid. num.* 402.

398. Demum etiam Cæsar iteratâ Patris Wolffs conscientiæ suæ arbitri supplicatione novam Uratislaviæ universitatem in Silesia instituit, eaque 15. Novembris solemniter inaugu-

Cæsar Uratislaviensē instituit universitatem.

gurata est Leopoldina, multis ditata privilegiis; in qua Theologiæ & Philosophiæ professiones solis concessæ sunt Societatis Patribus, facultatum aliarum professiores etiam Protestantes doctrinâ excellentes admittuntur: estque hæc quinta universitas, quas Leopoldus studiorum fautor & promotor meritissimus erexit, Kielensem & Hallensem religionis Lutheranæ, Oenipontanam, Olmuciensem, & Uratislaviensem: tres alias Pragensem Altdorffianam, & Friburgensem, nunc Constantiam translatam, novis muneravit privilegiis & immunitatibus.

Moschus Suecum & Suecus Polonos cædens occupat Cracoviam.

Quinto Calend. Maji dum Carolus XII. Sueciæ Rex nequicquam obtestantibus populis in Lithuaniam invectus esset, mille suorum Vilnæ relictis, ipse cum reliquo exercitu Grodnam versus contendit, uti Reipub. Poloniæ, quæ apertam à Rege Augusto secessionem fecerat, legatos se auditurum spoponderat. Oginskius Ducatûs signifer, & copiarum, quæ Suecis resistebant, præfectus, secretâ aliquorum cooperatione Vilnæ admissus, 600. Suecos, qui incauti stationem in foro habebant, obtruncat, & ceteros 400. è privatis domibus eductos, secum captivos abducit. Paucis antè diebus Dux Wisnowiskius alium Suecorum manipulum in pago, ubi consederant, adortus aliquot cæciderat, aliósque traheret captivos; Sueci resumptis animis pugnam restaurantes, multo sanguine aliquot suorum advenientibus pristinam libertatem redimunt. Rex Carolus eo cum reliquo exercitu perveniens, in suo versus Grodnam itinere, mortuis more bellico parentavit, duces suos,

suos, quotquot agnosci potuerunt, singularibus tumulis condidit, & pagum in sui potius doloris solatium, quam justam de reis vindictam jussit exuri, cùm plebs rustica nihil præter præsentiam & locum Suecorum cladi contulisset. Prævalente tandem inter Polonos factione, quæ sub Cardinalis Regni Primatis auspiciis Augusto Regi adversabatur, Carolus Suecorum Rex, & ut factiosi ajebant, vindex libertatis, cujus per Augustum violatæ jura prætendebant, XIV. Calend. Augusti Kutschdorffii prope Cracoviam confligit cum Augusto, qui viribus impar cedere coactus, captis tormentis & impedimentis, exutus est castris, Cracoviamque Suecus occupat. Hic fortunâ utens Polonos adduxit ad Augusti exauctorationem, nequicquam dissuadente Cæsare Leopoldo, qui per legatum de pace instauranda cum Carolo frustra laboravit, *Vid. num.* 413. In Livonia autem Moschus Schlippenbachium Suecum internecione cædit: frustra sed Dorpium tentat.

Annus 1703.

399. Annum hunc Bavarus expedito cum literis cursore felicem, faustumque Cæsari apprecatur, quâ Cæsar occasione Electorem admonet, ut deposito veteris anni bello, novas hujus anni cogitaret cogitationes pacis; quod idem Legati Britannici Paget & Stepny affectabant, idem expetebant ejus Consiliarii & patriæ Ordines; sed oleum perdebant & operam, quia gallicum oppessulabat aurum viam & animum Principis 4. Jan. 17. mulis & nummariis tesseris

ris copiosè Parisiis delatum, quo ingentem auctorabat militem, 31400. peditum, 6850. equitum, & 13859. militum provincialium. Ipso igitur Purificationis D. Virginis festo Neoburgum ad Danubium infestat, & Austriacam Domum, simul & Palatinam offendens Serenissimam Electoris viduam obsidet, deditioneque intercipit. Hæc tamen mulier fortis fugere nescia, quamvis jussa; satius est, inquit, custodire propria, quàm rapere aliena. Turbatâ inde Ratispona, securitatis ergo stipulabatur Electori Bavaro nullum se alienum admissurum præsidium, (*Vid. n.* 404.) cui vicissim Elector nullam illi se molestiam illaturum promittebat; sed fide Bourbonicâ; hinc ejusdem fratre Archiepiscopo Coloniense Hildesiensem Episcopatum [cujus erat Coadjutor] prætendente, Elector Hannoveranus militem suum mandato Cæsaris in Episcopatum immittens, electionem penitùs evertit, mandavitque iteratò Cæsar, ut quia Joseph Elector deserto Archiepiscopatu suo in hostilem migraverat civitatem, substituto in Archiepiscopatus regimine Joanne Friderico Karrig, hoc neglecto & proscripto totum administraret Capitulum Metropolitanum.

Bavarus Neoburgum capit.

Joseph Elector ab Episcopatu Hildes. removetur.

Quia paternæ hactenus Cæsaris admonitiones, Principum dehortationes, Statuum Ordinumque consultationes inanes erant & irritæ, coactus tandem Cæsar invadit Bavariam, Schlickius & Robelus absolutas necdum ad Bavariæ limites fossiles perrumpentes lineas 2. Martii Marck-Riedum, Arnols-Münster, fanum S. Martini & Zell in superiori occupant Bavaria; Gene-

Generalis Styrum in superiorem irruens Palatinatum haud procul Dietfurto 2500. obruit, Bavaros cæsis eorum 500. captisque 483. reliquos Danubium usque persecutus ad pontem usque Kelheimensem. Deinde Neumarck & Freistadium deditione occupat. *Vid. n.* 402. Tum Bavaro Passaviæ obsidionem fingente, Schlickius deceptus dum majorem peditatûs partem in urbem conjicit, Bavarus 11. Martii noctu transito Schardingæ Oeno fl. catephractas Schlickii & Hannoverani legiones Eisenbieni tumultuariè obruit, fortiter resistentes dissipat, & in fugam agit: dehinc duo ultra milliaria ad prætoria Saxonum stativa, 16. plus minus equitum agmina, & 500. pedites, rem tormentariam observantes contendit, quos similiter violenta aggressus vehementiâ internecione fundit, captis eorum 500. equestribus signis 17. tormentis curulibus 4. & 4. mortariis, apparatu bellico, omnibusque impedimentis: cæsis etiam plus minus 500. mox Neostadium ad Oenum ejus se sponte tradit potestati. Inde in superiorem Palatinatum progreditur Einhofenum, ubi Marchio Anspachensis octingentis Franconicis equitibus aditum Viltz à Bavaricis interclusum occupat & 28. Martii ipsum Electorem accedentem continuis tormentorum explosionibus non sine cæde excipit, irruentem denique quadringentorum strage repellit, sed ipse marchio ab occulto venatore trajectus globo, die altera summo omnium dolore expirat, longiori dignior vitâ, ob eminentem ejus militarem scientiam & generositatem, Imperio Romano multum pro-

Bavarus Cæsareos obruit.

Neostadium capit.

audiunt periculum, sine mora militaria eò submittunt subsidia; unde Elector sibi metuens, ne incautus circumveniretur, Bonnam deserens cum lachrymis ajebat: malle se Regis Galliæ quàm Metropolitani Capituli sui esse mancipium; sicque abiit in regionem longinquam, in miseram servitutem & captivitatem gallicam, prætereaque omni illum Cæsar XVIII. Novembris privat Electoratûs dignitate, & sæculari Archiepiscopatûs regimine; omnes ejusdem subditos ab omni ejus fide & obedientia absolvit, & Capitulo demum Metropolitano totam imposterum Archiepiscopatûs tanquam Sede vacante tradit administrationem. *Vid. num. 399.*

Privatur electoratu & temporali regimine.

394. Monet præterea Cæsar & instat per Trautmansdorffium Helvetos, ne vi Mediolanensis pacti Gallis militum permittant auctorationem, quòd Mediolanum morte Caroli II. non modo ut feudum caducum Romano cesserit Imperio; sed nec Philippo Andegavensi Regnum Hispaniæ; verum lege pragmaticâ, Regum præcedentium testamentis, & omnimodâ Gallorum exclusione, juramentis & stipulationibus utrimque firmata, ad Austriacos sit devolutum; proinde Capitulatum, seu Ducatûs Mediolanensis tutelam solos Austriacos, neutiquam Gallos attingere. Veruntamen Helveti, & imprimis Catholici, solutis sibi duabus 25000. coronatorum à Casato Gallorum nomine pensionibus, duarum legionum auctorationem illis permittunt; Austriacas autem ditiones & urbem Constantiam in suam recipiunt tutelam & defensionem, omni hostili liberaturi periculo.

Helveti favent Gallo.

Ut

Ut verò Cæsar pro gravissimis hisce belli sumptibus nervum colligeret sufficientem, confiscata nuper in Hungaria bona tribus vendita sunt millionibus, & Teutonicorum Equitum Ordo duos Hungariæ ad Tibisci Tractum, seu campos Cumanos Comitatus quingentis florenorum millibus certis quibusdam conditionibus sibi acquisivit.

Marleborugus interea ex Anglia in Bataviam delapsus, mox bellicum convocans consilium, Burgundiæ Ducem invadendum, pluribus licet subsidiis auctum concludit: sed ille prælium declinans, metuensque Geldriæ à confœderatis irruptionem, sufficienti eam communit præsidio; nihilo tamen minus confœderati Kempenam, Wachtendunckam & Mittelburgum intercipientes, Venlonam per Principem Nassovio-Sarpontinum & Cohornium obsidione cingunt, & arcem S. Michaëlis armatâ capiunt manu: dumque certis ad castra defertur nuntiis captam Landaviam, & Nassavius ingenti ideo tormentorum boatu applauderet, Præfectus Venlonensis rei inscius decretorium metuens impetum, 25. Septemb. ultroneam urbis offert deditionem, quâ nomine Caroli III. acceptâ incredibilem commeatûs & bellici apparatûs copiam ibidem reperiunt, 160. tormenta & 30. mortaria, præter 30. alia tormenta in arce D. Michaëlis obtenta; tum Stephan-Insulam 2. Octobr. & 7. ejusdem Ruremundam occupant. Inde Marleborugus Leodium aggressus, cedente mox hoste in arcem Cohornius illam ingenti ignium vi primùm coangustat, tum ob tempo-

Marleborugus & Confœderati capiunt Kempenam,

Venlonam,

Ruremundam,

Leodium

ris compendium armatâ rapit manu, traditque in prædam militi satis opulentam: arx altera, Carthusia dicta, ne eundem sortiretur exitum, spontaneè se submittit: Rhenobercka & urbs Geldria ignibus primùm missilibus vastatæ; sed contumaces per hyemem arctè cingebantur, militeque ad hyberna dimisso finiit gloriosa hujus anni expeditio, cujus insignes per Hollandiam & Angliam factæ sunt Deo grates.

Bedmarus Bavari in Bavariam abeuntis successor frustra tentat Hulstium.

Marchio Bedmarus Belgii Gubernator, & Bavari successor (qui Brabantiâ excedens suas in Bavariam copias conduxit) Hulstium occulta invasurus collusione, majori quàm Boufflerus Noviomago cæde rejicitur.

Lusitanus Gallo fœderatur.

395. Lusitanorum Regem Petrum tum Cæsareus Legatus Wallensteinius, tum gallicus variis rationibus & promissis in suas importunè partes sollicitaverant; diu suspensum ministrorum suorum auro corruptorum consilium in mutuam tandem cum Gallis confœderationem attraxit, metu potissimùm Catholicæ Religionis violandæ, & spe Ceylon Insulæ, à Gallis aliquoties frustrà tentatæ, à Batavis tandem raptæ, gallorum subsidio recuperandæ; nihilo tamen minus Rex haud exiguam militum copiam ad fines Hispaniæ non sine plurium admiratione destinat, ac si contractum fœdus ex dubia fraudulentaque Gallorum fide haud diu duraturum provideret: neglectâ namque à Gallis fœderis observantiâ Rex Anglis Batavisque per Regnum suum negotiandi permisit libertatem & securitatem. *Vid. num.* 494. Ne autem Rex totam pe-

penitùs dissolveret fœderis Gallo-Lusitani firmitatem, multis verborum ampullis legatus gallicus jactitabat confœderatorum in Brabantia exercitum à Duce Burgundiæ cæsum: quatuor armatorum millia Gadibus & Dunkerckæ parari, in Angliam Wallliæ Principem in thronum intrudendi: Cæsareanos in Italia ad fluvium Athesim à Gallis rejectos &c. quæ omnia recenter inde adveniens extraordinarius Cæsaris Legatus Princeps Hasso-Darmstadensis, magni nominis & bellicæ fortitudinis in Hispania heros, antehac Cataloniæ Prorex, dùm falsa & insana refelleret, rabula & thraso Ulyssibonæ ubique audiri meruit Gallus; tantum tamen minis & importunâ suâ apud Regem effecit molestiâ, ut hic Princeps (à quo Regem ad magnam Cæsaris ac Principum confœderationem metuebat alliciendum) urbe discedere cogeretur; appropinquante verò confœderatorum classe, incredibili populi gaudio Rex admisit neutralitatem. (*Vid. num seq.*) frustra Gallis terrorem incutientibus: quo tempore Darmstadiensis Ulyssibonam est reversus, cum pluribus Catalaunis Austriacorum fautoribus Madrito (ubi in multos pœnis & carceribus crudeliter animadvertebatur) fugitivis: quos inter Castiliæ Præsidis confessarius salvum à Rege conductum eidem lubentissimè impetravit. Hic enim Præses Comes Melgar constantissimus Austriacæ Domûs fautor multos sibi clandestinè habebat adhærentes; ideoque Varsalica & Madritensis aulæ illum observantes, compedes eidem non rarò parabant, quibus cautè semper & feliciter expeditus

Illum classis Anglo-Batava ad Neutralitatem cogit.

Comes Melgar Madrito fugit in Lusitaniam.

tus, tandem Hispaniæ destinatur ad Ludovicum Regem Versaliam legatus [seu potius haud dubie ibidem ligandus] obtentis jam modò literis creditivis, splendido apparatu, cum 150. mulis onerariis, & 50. plaustris, multoque procerum 300. comitatu eò quasi progressurus, Ulyssibonam declinat [non sine exigua Gallo - Hispanorum sollicitudine & turbatione, immo & insidiarum metu] amicissimè à Lusitano Rege in fidem & tutelam est exceptus.

396. Sed majorem Gallo - Hispanis injiciebat metum & sollicitudinem ingens illa Anglo-Batavorum 145. navium præter vectorias, & præter Batavos, 10. classiariorum Anglicorum millium classis, quo illa tandem sub imperio Ducis Ormundi & Architalasso Roocken destinata tenderet; quidam Gadibus metuebant, alii Americæ classi argenteæ, ne quæ Jasonis industria aureum illud vellus XXX. millionum raperet, gallico igitur Architalasso Chateautenaudo injungebatur, ut classem illam in securiorem Galliæ portum deduceret; cui omnibus Hispani viribus contranitebantur, ne in Ludovici manus dilapsa vix quidquam ad eos defflueret; gallicæ tamen 20. naves militares classi insidiabantur in Galliam deducendæ. Classis verò Anglo - Batavica 1. Augusti à D. Helenæ Insula, ubi tempestatibus aliquamdiu remorata, solvit, junctâque sibi Equitis Fairborni navium turmâ & Duce Hasso - Darmstadiensi, ad promontorium S. Vincentii & Lagos apertis expeditionis à Regina Angliæ demandatæ secretis literis, classem Gades directè promovet Ormontius, &

26. ejusdem mensis haud procul munitione D. Catharinæ exscendit, Roramque à civibus desertam occupat, mox & munitionem D. Catharinæ. Tum Ormontius publico manifesto omnes ad Caroli III. Regis Hispaniarum fidem & obedientiam invitat, eo enim se, & non belligerandi fine advenisse denuntiat: simulque à Scipione Brancaccio urbis postulat deditionem: quâ denegatâ munitionē S. Mariæ magnâ milites irruunt insolentiâ, sacra humanaque, contra exactam Ormontii & Reginæ prohibitionem, violando; jamque ad munitionem Mattagordam (sine qua nec oppugnari, minus occupari potest civitas) invadendam omnia parabantur; sed paludosum omnino solum nullum permittebat tormentorum aut mortariorum extrui suggestum, aut militares vineas, plurimisque inde Hispanorum ejaculationibus Angli prohibebantur. Demum igitur literis Ormontius spontaneam deditionem, gallicum abjiciendo jugum, à Villa d' Aria frustra postulans discedit.

Classis Anglo-batavica Gadibus applicans sacra humanaque profanat.

Magnum hæc Anglo-Batavorum expeditio & insolens imprimis S. Mariæ profanatio universæ Hispaniæ incussit tremorem & turbationem. Protocarerus enim omnibus injungebat Pastoribus & Concionatoribus, è cathedris populum adhortari incitareque ad preces & supplicationes ad Deum, ut impias hæreticorum machinationes sacra profanantes averteret, ejusmodi enim sacrilegia dæmone pejus tota aversatur Hispania: quasi verò sacrilegum non fuisset, quòd Christianissimus Rex Ludovicus XIV. non unam, sed plures integras in Germania

Ob hoc Hispani, Anglo-Batavos hæreticos aversantur.

urbes Catholicas igni subjecerit, templa profanando flammis devastaverit, &c. Anna Regina Angliæ has militis sui insolentias & profanationes audiens, ira excandescens, gravissimis in eum pœnis animadverti mandavit, Ludovicus autem Rex suos laudavit sacrilegi mandati executores; immorigeros verò suâ privavit gratiâ & dignitate, ut alibi diximus; utrumque est nefandum; sed in Christianissimo nefandissimum. Classis Anglica ne bellum solùm terrâ agi videretur, Galliæ litora legens, damna aliquot insulis intulit, quæ obviæ offensioni fuerunt, in oris Aquitaniæ & Britanniæ. Illud aliquâ dignum memoriâ visum est, quòd Anglis in insulam Grovacensem delatis, dum loci parochus, qui se ducem armorum populo præbebat, homines non haberet viriles, quorum aspectu hostem terreret adventantem, jussit fœminas virilem habitum, & arma sumere, & sic explicatâ acie duplici illum ab ulteriore tentamine cohibuit, veterum Longobardorum exemplo, qui uxorum suarum cæsariem, ut refert *Paulus Diaconus*, & fluxam comam earum genis solebant adaptare, quo armis traditis hostem ludificarent. Ut & de Atheniensibus narrat *Suidas*, quod mulieres suos ita pilos adoptabant, ut viri esse viderentur: Barba enim, juxta *Isychium* est insigne viri, 2. virtutis, 3. perfectionis. 4. fortitudinis, inquit *Eucherius*, & insigne demum sapientiæ, ait *Radulphus*.

Classis Anglo-batavica relictis

Quantum Gallo-Hispanis gaudium peperit Gadium liberatio, tantum in Galaciæ Vigo portu, inter 40. regni præstantissimo & securissi-

rissimo præbuit mœrorem & dolorem americæ classis ruina & privatio, utrique regno admodùm exitialis; pro cujus securitate Ludovicus XIV. indefessum per biennium adhibuerat laborem, curam & sollicitudinem, & omni munitionum genere, ignivomis tormentorum draconibus, militumque præsidio roboraverat, ne quis Britannicus aut Batavicus Jason Vellus illud aureum raperet; cujus etiam portûs securitate freti vix paucas exoneraran naves. Hoc comperto Ormontius & archithalassus Roocken classem suam illico dirigentes, nebulæ beneficio ipsi approximant, urbi multis licet ejaculationibus excepti. Die altera 20. Novembris Ormuntius exscensione facta duobus armatorum millibus ingressum Redondellæ, quâ Americana continebatur classis, & catenis, sudibus & tormentis septa erat, invasurus, acto in fugam hoste, tormentorum suggestum, & aliam mox turrim, quo hostis confugerat occupat: tum etiam Vicethalassus Hobsonus classe tractim os Redondellæ perrumpens hostiles involat naves: alter Vicethalassus de Goës Redondellæ munitionem ad deditionem cogit, & accedente illuc Ormontio magnam ibidem argenti copiam offendunt. Chateau-Renaud ubi Anglos Redondellam perrupisse videt, suam in aërem evibrat navem, quem plures secutæ idem fecerunt; aliæ in brevia adactæ sunt. Ingens ex combustis major ex captis navibus argenti vis, & ditissima mercium copia est exonerata; captusque archithalassus gallicus cum aliis 500. circiter gregariis. Cumque Anglo-Batavi intellige-

gadibus argentea Hispan. Classem in portu Vigo diripit.

ligerent argentum ex binis navibus elevatum devehi Lugos, seu Aras Sixtianas, aliquot illuc militum agmina illud capiendo expediunt, quæ incredibilem Hispanis incutiebant tremorem, quasi jam tum præ foribus esset Hannibal, æris martiis personabant, succursumque à Ludovico & Philippo in Italia adhucdum hærente, expeditis cursoribus exorabant; verum Anglo-Batava classis, elapsis in tutum Lugos cum argento Hispanis, convasatis argento, mercibus, navibus & bellicis navium combustarum tormentis ad sua magno cum celeusmate revertitur, lugentibus adversam suæ classis jacturam Hispanis, quam ante sex hebdomadas secure & sine impedimento salvare & exonerare, ut iterato mercatores petierant, facilè poterant; quòd à Gallis haud dubiè dilatum, si fortè incautis Hispanis clam in Galliam subitò posset elabi: unde non ineptè quidam de hac Gallorum clade sic ait:

Vidit ut Hispano Neptunus in æquore cladem,
Hæc, ait, in Gallos Jupiter arma movet.
Illa tot innocuas quæ jam combusserat arces,
Vindice conflagrans classis ab igne perit.
Se soli ratus esse parem, cùm perderet orbem,
In mediis Phaeton taliter arsit aquis.

Roockius in Britannia appulsus, benevole à Regina exceptus, argenti prædam 1200000. sterlingorum exposuit; paulo pòst inde cum reliqua classe eques Scovelus reversus 110. adhuc bellica tormenta & prædatas naves gallicas convexit; prætereaque Angli novi orbis insulam

lam S. Christophori Gallorum potestati deditione eripiunt.

397. Cæsareo in Italia exercitu in hiberna distributo Thesseus Borgofortum, & Vendomius Governolum deditione capiunt, non sine Cæsaris incommodo, quo secura Mincii in Padum navigatio, & directa cum Tyroli impediebatur communicatio, *Vid. num.* 409. Quod postmodum impedimentum Eugenii sustulit industria; qui relicto exercitu Venetias, inde Viennam properat; ubi novus sequentis anni bellicus fervebat apparatus, & de nervo colligendo sedulò consultabatur, debebatque Hungaria intra trimestre tres numerare milliones: agebatur præterea de limitum cum Turcis divisione, vi cujus illis quidem antiquum Novi ultra Unnam fl. cedebatur; sed novum etiam cis Unnam Novi pertinaciter ac minaciter tanquam ab Antiquo dependens prætendebant: Cæsar ne rixarum aut belli præberet ansam, locum demoliri jubet & permitti, ne & Ragotzio clandestinas in Polonia factiones molienti, aliisque rebellibus Ungaris dissensiones seminantibus conspirandi daret occasionem cujus rei dum ab Ungariæ Palatino Esterhasio admoneretur, respondit: Vadant, habeant suas causas, sero tandem agnoscent; fortassis propinquior ipsis est mors, quàm ut metus tantopere sit necessarius. *Vid. num.* 402.

Angli Gallis insulam S.Christophori eripiunt Galli Borgofortum & Governolũ in Italia capiunt.

398. Demum etiam Cæsar iteratâ Patris Wolffs conscientiæ suæ arbitri supplicatione novam Uratislaviæ universitatem in Silesia instituit, eaque 15. Novembris solemniter inaugu-

Cæsar Uratislaviensẽ instituit universitatem.

gu-

gurata est Leopoldina, multis ditata privilegiis; in qua Theologiæ & Philosophiæ professiones solis concessæ sunt Societatis Patribus, facultatum aliarum professiores etiam Protestantes doctrinâ excellentes admittuntur: estque hæc quinta universitas, quas Leopoldus studiorum fautor & promotor meritissimus erexit, Kielensem & Hallensem religionis Lutheranæ, Oenipontanam, Olmuciensem, & Uratislaviensem: tres alias Pragensem Altdorffianam, & Friburgensem, nunc Constantiam translatam, novis muneravit privilegiis & immunitatibus.

Moschus Suecum & Suecus Polonos cædens occupat Cracoviam.

Quinto Calend. Maji dum Carolus XII. Sueciæ Rex nequicquam obtestantibus populis in Lithuaniam invectus esset, mille suorum Vilnæ relictis, ipse cum reliquo exercitu Grodnam versus contendit, uti Reipub. Poloniæ, quæ apertam à Rege Augusto secessionem fecerat, legatos se auditurum spoponderat. Oginskius Ducatûs signifer, & copiarum, quæ Suecis resistebant, præfectus, secretâ aliquorum cooperatione Vilnæ admissus, 600. Suecos, qui incauti stationem in foro habebant, obtruncat, & ceteros 400. è privatis domibus eductos, secum captivos abducit. Paucis antè diebus Dux Wisnowiskius alium Suecorum manipulum in pago, ubi consederant, adortus aliquot cæciderat, aliosque traheret captivos; Sueci resumptis animis pugnam restaurantes, multo sanguine aliquot suorum advenientibus pristinam libertatem redimunt. Rex Carolus eo cum reliquo exercitu perveniens, in suo versus Grodnam itinere, mortuis more bellico parentavit, duces

suos,

suos, quotquot agnosci potuerunt, singularibus tumulis condidit, & pagum in sui potius doloris solatium, quam justam de reis vindictam jussit exuri, cùm plebs rustica nihil præter præsentiam & locum Suecorum cladi contulisset. Prævalente tandem inter Polonos factione, quæ sub Cardinalis Regni Primatis auspiciis Augusto Regi adversabatur, Carolus Suecorum Rex, & ut factiosi ajebant, vindex libertatis, cujus per Augustum violatæ jura prætendebant, XIV. Calend. Augusti Kutschdorffii prope Cracoviam confligit cum Augusto, qui viribus impar cedere coactus, captis tormentis & impedimentis, exutus est castris, Cracoviamque Suecus occupat. Hic fortunâ utens Polonos adduxit ad Augusti exauctorationem, nequicquam dissuadente Cæsare Leopoldo, qui per legatum de pace instauranda cum Carolo frustra laboravit, *Vid. num.* 413. In Livonia autem Moschus Schlippenbachium Suecum internecione cædit: frustra sed Dorpium tentat.

Annus 1703.

399. Annum hunc Bavarus expedito cum literis cursore felicem, faustumque Cæsari apprecatur, quâ Cæsar occasione Electorem admonet, ut deposito veteris anni bello, novas hujus anni cogitaret cogitationes pacis; quod idem Legati Britannici Paget & Stepny affectabant, idem expetebant ejus Consiliarii & patriæ Ordines; sed oleum perdebant & operam, quia gallicum oppessulabat aurum viam & animum Principis 4. Jan. 17. mulis & nummariis tesseris

ris copiosè Parisiis delatum, quo ingentem au-ctorabat militem, 31400. peditum, 6850. equitum, & 13859. militum provincialium. Ipso igitur Purificationis D. Virginis festo Neoburgum ad Danubium infestat, & Austriacam Domum, simul & Palatinam offendens Serenissimam Electoris viduam obsidet, deditioneque intercipit. Hæc tamen mulier fortis fugere nescia, quamvis jussa; satius est, inquit, custodire propria, quàm rapere aliena. Turbatâ inde Ratispona, securitatis ergo stipulabatur Electori Bavaro nullum se alienum admissurum præsidium, (*Vid. n.* 404.) cui vicissim Elector nullam illi se molestiam illaturum promittebat; sed fide Bourbonicâ; hinc ejusdem fratre Archiepiscopo Coloniense Hildesiensem Episcopatum [cujus erat Coadjutor] prætendente, Elector Hannoveranus militem suum mandato Cæsaris in Episcopatum immittens, electionem penitùs evertit, mandavitque iteratò Cæsar, ut quia Joseph Elector deserto Archiepiscopatu suo in hostilem migraverat civitatem, substituto in Archiepiscopatus regimine Joanne Friderico Karrig, hoc neglecto & proscripto totum administraret Capitulum Metropolitanum.

Bavarus Neoburgum capit.

Joseph Elector ab Episcopatu Hildes. removetur.

Quia paternæ hactenus Cæsaris admonitiones, Principum dehortationes, Statuum Ordinumque consultationes inanes erant & irritæ, coactus tandem Cæsar invadit Bavariam, Schlickius & Robelus absolutas necdum ad Bavariæ limites fossiles perrumpentes lineas 2. Martii Marck-Riedum, Arnols-Münster, fanum S. Martini & Zell in superiori occupant Bavaria;

Gene-

Generalis Styrum in superiorem irruens Palatinatum haud procul Dietfurto 2500. obruit, Bavaros cæsis eorum 500. captisque 483. reliquos Danubium usque persecutus ad pontem usque Kelheimensem. Deinde Neumarck & Freistadium deditione occupat. *Vid. n.* 402. Tum Bavaro Passaviæ obsidionem fingente, Schlickius deceptus dum majorem peditatûs partem in urbem conjicit, Bavarus 11. Martii noctu transito Schardingæ Oeno fl. catephractas Schlickii & Hannoverani legiones Eisenbieni tumultuariè obruit, fortiter resistentes dissipat, & in fugam agit: dehinc duo ultra milliaria ad prætoria Saxonum stativa, 16. plus minus equitum agmina, & 500. pedites, rem tormentariam observantes contendit, quos similiter violenta aggressus vehementiâ internecione fundit, captis eorum 500. equestribus signis 17. tormentis curulibus 4. & 4. mortariis, apparatu bellico, omnibusque impedimentis: cæsis etiam plus minus 500. mox Neostadium ad Oenum ejus se sponte tradit potestati. Inde in superiorem Palatinatum progreditur Einhofenum, ubi Marchio Anspachensis octingentis Franconicis equitibus aditum Viltz à Bavaricis interclusum occupat & 28. Martii ipsum Electorem accedentem continuis tormentorum explosionibus non sine cæde excipit, irruentem denique quadringentorum strage repellit, sed ipse marchio ab occulto venatore trajectus globo, die altera summo omnium dolore expirat, longiori dignior vitâ, ob eminentem ejus militarem scientiam & generositatem, Imperio Romano multum pro-

Bavarus Cæsareos obruit.

Neostadium capit.

profuturam. Dum interim Schlickius recollectis viribus Viltzhofium occupat, Bavarus 9. Aprilis invadit Ratiſponam, ejuſque pontem Danubialem; propugnantibus primùm ſtrenue civibus urbem, parabat pyrobolos, legatorum demum conſilio ejuſdem ſe tradunt poteſtati, poſtulantque à Cæſare pro Comitiorum ſecuritate neutralitatis approbationem, quid ad hæc Cæſar? Ratisbonam tot Regum ac Principum legationibus venerandam, magnificentiſſimumque totius Imperii ſenatum contra jus, fidem & ſtipulationem invaſam! violatam Comitiorum libertatem, ad Electoris nutum, arbitriumque coactam! quid ad hæc inquam, Cæſar? Cæſar indignabundus neutralitatem urbis in tam dubia Electoris fide rejicit omninò, ſibi, totique Imperio admodùm injurioſam: rebellem namque vaſallum Imperii hoſtibus adhærentem armis perſequendum, omniaque comitialia conſilia Bavari metu concluſa tanquam irrita, invalida & nulla, comitiorumque inde ſuo tempore alio translationem declarat; Hanc elector non permiſſurus, pactis cum Ratiſpona conditionibus, exercitum contra Schlickium ducit Viltzhovium; hic adventum hoſtis audiens, demolitis ibidem officinis cereviſiariis deſertoque Viltzhovio Paſſaviam contendit, & Neoburgicam ſylvam concædibus muniens elabitur, uſque dum ſupplemento 3000. Hungarorum proximè adfuturo eſſet confirmatus.

Ratisponam invadit.

Cæſar Ratisponæ neutralitatem abnegat

400. Villarius interea quo magis ſuam cum Bavaris facilitaret conjunctionem, munitionem Kehl è regione Argentorati (cujus concurſiones ut

Villarius capit munitionem Kehl.

ut contineret Kehl extructum erat) cingit obsidione, & quamvis loci præfectus egregiâ propugnaverit defensione, pulveris tamen nitrati defectu 9. Martii munitionem ultroneè extradit Villario, 3000. gallorum strage acquisitam, quam olim Cæsar muneris loco March. Badensi donaverat, cujus inconsultæ curæ attributum fuit, quod milite & apparatu bellico destituta tam cito hosti cesserit. Hujus munitionis occupatione Franconicus & Suevicus circuli ne animis caderent, literis eos hostatoriis erexit Badensis, virili namque hostibus constantiâ continuò resistendum, submissoque subsidio ut promiserant, brevi eorum facilè evertenda fore consilia, tantummodò promptè suo obsequantur. Mox sine ulla necessitate secuta est traditio Kentzingen, ejusdemque à Gallis destructio. Dux Hasso-Casselensis occupato oppido Trarbach arcem, alias Greiffenbergam, nunc ejusdem cum oppido nominis à Gallis insigni robore munitam acriter flagellabat tormentis: succurrente verò Tallardo cùm multùm viribus esset inferior, convasatis mature tormentis & impedimentis abit Castellaunum.

Et Kentzingen.

Badensis interim ut prævalentibus Gallis obicem opponeret, fossilem lineam prope Bühel Rhenum usque, & à montibus usque Stolhovium magno labore ducit & sumptibus, non sine ingenti tamen emolumento; eam verò defendendo & propugnando cum sufficiens deesset miles & curules machinæ, sollicitatum à Batavis (qui torpentem imperii & circulorum Suevico-Franconici desidiam in urgentissimo hoc totius

Badensis fossiles lineas Bühel-Stolhovenses perficit.

Imperii periculo acerbis admodùm literis increpabant) subsidium undecim legionum 15000. sub Generali Goor opportuno obtinet tempore: quia Rex Galliæ Bavari desiderio satisfacturus, definito mandat Villario imperio, ut obstantibus quibuscunque Stolhovienses perrumpens lineas cum Bavaro tentet conjunctionem: nec impiger Villarius transito rheno ingenti cum exercitu 40. millium, tormentisque pluribus rectâ in Badensem contendens, 19. Aprilis duobus è suggestibus tormentariis in illum fulminat: die alterâ ex colle seu monticulo lineas aggressurus, ut videt monticulum à Gooro præoccupatum, Cæsareanosque ad excipiendum impetum generosè paratos, abstinet, differtque in 23. April. impetum tribus furiosè vicibus, sed irritò tentatum, qui & altero die toto cum exercitu plenâque acie repetitus, non sine exigua strage 3000. tùm cæsorum, tùm vulneratorum fortiter, Thungeno & Leiningo cum suis oportune turmis succurrentibus, strenuè rejicitur; quia Goorus infirmiores noctu lineas duplicatis novis intra C. passus recessibus firmaverat; & Badensis paulo ante impetum lineas seu foveas aquis oppleverat, quas transfuga aridas siccasque Villario detulerat; hinc gallicus iteratò miles irruere detrectabat, reque infectâ cum 4. aut ut alii, 6. millium strage præter vulneratos plurimos inde recedunt; ita ut Germani crederent irritam nunc fore optatam cum Bavaris conjunctionem.

Has lineas Villarius frustra tentat.

Sed iterato Regis mandato, ut aliâ per hercyniam viâ perrumperet Villarius, Tallardum cum parte exercitûs (qui universim 60. numerabat

Rex iteratò cōjunctionem cū Bavaro

rabat millia) ultra Rhenum in Alsatiam remittit March. Blainvillum cum 20. peditum & 30. equitum agminibus in vallem destinat Kintzingeranam, ipse ponè secutus est cum 50. tormentis campestribus Cæsareanum avertens succursum. Blainvillus omnes prædictæ vallis aditus Haslachum, Hausenum, Wolffach, & Hornbergum fugatis Cæsareanis ad finem Aprilis intercipit : inde Villingam, & rusticorum fortè ductu montium hiatus penetrantes vallem Herenberg, obnitentibus licet acriter sed hostium multitudini tandem cedentibus Cæsareanis invadunt, demum Deudingam petunt, & 30. millibus ad Danubium Bavaris conjunguntur, multis viarum difficultatibus & laboribus exhausti; ad reficiendas ideo vires per Sueviæ urbes, oppida, pagosque dispartiti pro lubitu viventes, ingentem pecuniarum summam extorquent; voluitque Villarius ut Ingolstadium, Ulma, & Braugi-navia gallicum reciperent præsidium; quod recusavit Elector, qui & totum utriusque sibi exercitûs arrogavit imperium, ægerrimè illud ferente Villario, qui, re utcunque postmodum compositâ, imperitabat absente Electore, non autem præsente, præsidiumque Ulmense, Ingolstadiense & Braunaviense mixtum erat Gallis & Bavaris : militares autem collectas non gallico militari ærario, ut exigebat Villarius, sed suo inferri volebat Elector : si tanti, ajebat, submissum Rex censeat subsidium, revocet; tanti pœnitere non emo. Propter ejusmodi dissensiones & discordias Electorem inter & Villarium postliminiò

mandat Villario

Villarius per hercyniam Bavaro conjungitur.

Bavarus & Villarius discordes.

exortas, Rex hunc revocavit in Galliam. *Vid. n.* 402.

Baden-fis Gallos Nordlingâ abigit.

401. Badensis interea relictis ad fossilium linearum defensionem 2. armatorum millibus, justo cum exercitu per General. Styrum confirmato, hostem subsecutus, omnes passim aditus firmiter communit; cumque Galli Nordlingam videbantur invasuri, illos tumultuarie præveniens, suo urbem tuetur exercitu, Gallosque abigit. In superiori quoque Palatinatu Franconicæ copiæ Rothenbergam obsident, cui succursurus gallicus Generalis Maffeus, haud procul Grattensee à Jano internecione cæditur, captis tormentis & impedimentis omnibus. Tum Badensis Dilingam usque Gallos persequitur, ubi transmeato Danubio fosscilem tumultuariè lineam Dilingâ usque Lavingam ducentes, viam Badensi tumultuariè obstruunt: hic quia in Franconia ubique in omnem invasionis occasionem cuncta firmiter adeo disposuerat, ut vix quicquam Bavarus ultra tentare posset, aliud Maximilianus comminiscitur consilium Austriacis rebus damnosissimum: nec enim Germanorum popularium suorum sanguine insanus & cruentus ille ursus satiabatur, quem per immanem Gallorum crudelitatem effuderat; sed & per turbulentum impiumq; Ragotzium, & perfidos Hungarorum Rebelles totam illam Serenissimam Domum Austriacam, piissimum Leopoldum parentem & socerum opprimere & extirpare meditabatur. Elapsus enim carcere Ragotzius Varsalii & Monachii aliquamdiu occultè versatus, postquam nefandissimas ibidem conspi-

Maffæus gallus cæditur

Bavarus cum Ragotzio in Cæsarem conspirat.

ſpirationes & conſilia agitaſſet, & jam magno Rebellium numero Hungariam invaſiſſet, Kalo, aliaque loca occupaſſet. *Vid. n.* 408. Tunc Bavarus ſpe penitus jam opprimendi Cæſarem 16. armatorum millibus Comitatum Tyrolenſem invadit, & robuſtiſſimam urbem & arcem Kuffſtein 18. Junii aggreſſus, ſine ulla vi & ſanguine occupat; nam loci præfectus Comes Wolckenſteinius ad primum hoſtis adventum duas urbis propugnaculo proximas domus, ne hoſtis eſſent umbraculum, flammis ſubjicit, quas ventus in urbem & arcem vertens duas etiam pulverarias turres corripit, & cum parte propugnaculi diſcerpit, inque aërem evibrat; hoſtis interim hoc in tumultu muros conſcendens præſidium ad deditionem cogit, præfecto cum 400. præſidiariis Rotenbergam fugiente. Hac proſperâ loci fretus occupatione (quem centum aliàs millia evincere non potuiſſent) Wiget & Rotenbergam ſitu admodùm præſtantem irrumpit, agminibus aliquot Reidaviam ſub Generali Weichel dimiſſis, quæ Comitem ibidem Schlickium obſervarent: hanc & illam altera mox die 23. Jun. deditione ſpontaneâ capit, demiſſo more militari Wolckenſteinio cum 400. militum & 600. popularium præſidio, inde pergit Halam urbem immunitam, quo Oenipontani Regentes non ſe Bavaro tantùm ultroneè ſubmittunt, civesque arma deponunt & hoſtilitatem; ſed munitiſſimum etiam Tirolis aditum Scharnitz ad Iſaram, revocato illuc deſtinato præſidio eidem extradunt: tum militari Generalis Lutzelburgi dolo naturâ inacceſſum

Tyrolim invadit.

Capit Kuffſteinium

Rottenbergam

Scharnitz.

Ehrenberg

Ehrenberg (ubi Mauritius olim Elector Saxoniæ anno 1552. Imperatorem Carolum V. ex insidiis fermè captivasset) intercipit, & haud multò pòst ejusdem roboris Reit seu Reutum cum 40. curulibus machinis, 4. mortariis, & ingenti commeatu per dimidium annum 30000. sufficiente. Hic se Bavarus dominum Tyrolis & possessorem venditans, publico indigenas omnes Manifesto ad fidem suam & obedientiam invitat, exigitque; clientelam vicissim & benevolentiam singulis clementissimam appromittens; immorigeros verò & rebelles ferro & flammâ persequendos & devastandos. Atque sic à terrore pannico corrupto magistratu Oenipontano delatas urbis primariæ claves, & totius provinciæ arbitrium Calendis Julii recipit, & solo novem dierum spatio latæ provinciæ dominio augetur, illud brevi amissurus majori tamen recuperantium difficultate. Interim Bavariam ducalis exercitûs robore destitutam Cæsarei clarigationis jure demoliuntur; ita ut gallicas copias, quæ eo sub Villario mareschallo pervenerant, facili negotio delendæ viderentur, si Badensis Princeps vincere, aut fortunâ uti voluisset. Sed Tyrolenses Cæsareo ècontra Manifesto per Heisterum publicato animati, suæ hactenus inviolatæ memores fidei Austriacis stipulatæ, in iniquum arma corripiunt invasorem, tum vel maximè, cùm intolerabiles extorquens ab illis exactiones, secretiora Tyrolis viscera per montem Brenner, ut vocant, Tridentum versus penetraturus jam jam accingeretur, Italiam penetraturus; at, non plus ultra; nam ad locum Finster-Mintz

Reutum

Tyrolenses se tandem opponũt & Bavarum expellunt.

Mintz accipit clariſſimam ſolutionem, & in tenebris capit lucida intervalla, quibus videt, agendum de reditu, jam penè intercluſo; nam montium incolæ, gens ſtrenuiſſima, Cæſari ſervatura fidem, patriæ ſalutem, datura poſteris gloriam, vicinis invidiam, arma viri! clamant, noſtris dominabitur antris non Leo bojus; ſed Leo-poldus. Pars inde ſclopis ſtriatis armatur, docta non tantùm jaculari cervos, ſed apros & urſos: pars clavis ſtellatis, ſudibuſque præacutis, imo abietibus affabrè excavatis tormentorum loco denâ ſaltem exploſione plures proſternit; pars per montium juga ſaxa degrandinat, ex iiſque grandes arborum trabes & truncos ad anguſta viarum devolvendo, ingenti ſtrage rebelles illi Abſolones, ut quidam ait, obruuntur: & hi quidem benè diſpoſiti, ſi non confeſſi, moriuntur ſaltem contriti. Hic demum Boicus efferatur Leo, flammas eructat faucibus, & unguibus obvia diſcerpit: hîc urſus ſanguinem ſitit, & non ſatiatur; aperitur in Tyrolenſes inauditæ ſcena crudelitatis: funibus enim per maxillas transfoſſis ad equos attrahebant, & immanibus adeo afficiebant tormentis, ut juſto ruſtici furore perciti anteſignanis Chriſtophoro Kindel, Martino Laningers, Joanne Auffſchneider veredorum magiſtro ex Watterich, octo ruſticorum millia tumultuarie collecta Generalis Güttenſteinii & Solarii copiis adjuncta Bavaros à tergo adorta repellunt, Rattenberg & Scharnitz recuperant, deditione occupant Ehrenbergam, quæ aliquamdiu fuerat Bavaro caſtellum honoris, factum eſt poſtea caſtrum doloris, illius im-

Tyrolenſes barbarè habiti ſua recuperât.

imprimis præfecto, capite minuto, quòd intra octiduum illam citra necessitatem tradiderit: tum Oenoponto & Hallâ, ceterisque passim eos locis excepto Kuffstein expellunt; Miltenwaldi demum ultima Bojorum agmina aggressi internecione cædunt, nulli omnino parcentes, sed resectis manibus primùm & pedibus postea trucidant, in ipsum etiam Electorem striata jaculati bombardâ, erroneè Comitem de Arco splendide vestitum de ejusdem latere globo trajiciunt, unde communis divulgabat fama Electorem mortuum, quem vilis dimachi vestis conservarat incolumem; qui postquam duobus necdum mensibus per Tyrolim ferocissimus ursus in humanum debacchatus sanguinem, 22. Augusti cum immortali nominis familiæque suæ dedecore, & insigni tot millium suorum strage Monachium reversus, à rusticis inter montium cacumina & hiatus absolutam belligerandi artem & modum est edoctus; omnibus exutus solùm ipsi remansit Kuffstein, ut habeant lapidem sepulchralem multa Bojorum millia in Tyroli tumulata. *Vid. num.* 403. 404.

Bavari periculũ & dedecus.

Vendomius ex Italia Tyrolim usque Tridentinum invadit, quòd irritò tentat.

Vendomius interim occupato per deditionem Bersello fortiter diu propugnato, 12. armatorum millibus alteram Tyrolis partem ex Italia jussu Regis ad Bavari postulationem petit; lacum Benacum, Torbulum, Nagum, Marium, Castelbarcum, arcem Arco & Rivam, aliaque plura loca Tridentum usque non sine exigua suorum cæde occupat, & tamen in tam periculosis viarum angustiis & montium recessibus cùm nihil de Bavari progressu expeditis iteratò nuntiis au-

audiret, sibique facile reditum occludendum metueret, ambiguus consilii, aut fame pereundum, aut perrumpendum, Tridentum desperatè aggressurus, aditum Ranto per 150. præoccupari jubet, qui omnes à confluentibus ibidem rusticis & militibus Cæsareanis cæduntur, Tridentumque recenti præsidio & commeatu adeo confirmarant, ut intentatas hostium minas exploderent. cumque Vendomius neque exactum ab urbe tributum injectis irritò pyrobolis, multò minus deditionem spontaneam extorquere, neque vi urbem superato necdum flumine cogere posset; Generalis autem Heisterus cum succursu non contemnendo approperaret, certâque interim famâ inaudiretur Bavarum Tyroli turpiter insigni expulsum esse strage, viam relegit, desideratis suorum 3. aut 4000. quo cæteroquin gallicæ politiæ magister primùm debuit mores à rustico Marte discere, qui hanc ipsi præscripsit lectionem: *Tange montes, & fumigabunt.*

Quam strage 3000. deserit

Purgatâ sic Tyroli furore frendentes rustici cum militibus Bavariam irruunt, & ferro flammâque circumquaque depopulando talionis pœnam inferunt: in superiori namque Palatinatu occupatâ per ultroneam deditionem Rotenbergâ, Generalis Erbeville 28. Novemb. Ambergam pyrobolis subjugat: rustici Lichtnckum & Landsbergum usque excurrentes, omnia circumquaque depopulando expilant; Gen. Reventlavius quoq; cum Danicis copiis suis Landaviam ad Isse usque excurrit; inde se vertens Schardingam pyrobolis incinerat; tentaturque qui-

Tyrolenses Bavariam vastant, & laudantur à Cæsare.

quidem Kuffsteinium; sed Bavarorum Gen. Lützelburg 6. armatorum millibus Cæsareanos rejicit. *Vid. n. 430.* Tum prædicti rusticorum antesignani Viennæ à Cæsare clementer & benevolè admissi, de fidei constantia & fortitudine admodùm commendati æris & frumentorum petunt sublevamen, à Bavarorum truculentia nimium exulcerati: tum ut Nobiles in hospitationibus militum, aliisque imposterum præstandis onesibus pares essent rusticis, & non exempti; Privilegiorum denique & immunitatum supplicant confirmationem: quibus omnibus benignissimè concessis, mnemosyno seu 100. ducatorum pignore munerati post basia manûs læti domum revertuntur.

403. Ludovicus Badensis interea temporis aucto exercitu, confirmatusque Ducis Wurtenbergici accessione castra ad Danubium Gundelfingen usque Gallis proxima figit, eos impetiturus, nisi & aëris tempestas, & roborata probè Gallorum castra moram injecissent; Helvetiorum tamen cum eis communicationem interrupturus, 31. Jul. mille sexcentos equites sub propræfecto Comite la Tour, & Christiano Duce Luneburgensi, Electoris fratre, Münderkingen demittit, quos incautos, ut putabat Marchio de Heron 2000. equitum & totidem peditum subito oppressurus, invenit non solùm vigilantes, sed in acie dispositos magna in se vi irruentes, & tribus omnino vicibus equitatum repellentes; unde succenturiatum Heron peditatum in Cæsareanos immittit, usque dum dispersus se recolligeret equitatus, & Cæsareanis ad latus Danubii

bii, ubi transvadari commodè flumen poterat, viam intercluderet, tantoque Galli pedites impetu strictis in Cæsareanos gladiis irrumpentes in fugam convertunt, quorum plures altâ fluminis ripa difficulter transcensâ tranato equis numine evaserunt; at Christianus Dux Brunsuicensis in meditullio fluminis globo trajectus periit. Cædes utrimque incerta variatur.

Cæsarei à Gallis funduntur.

Badensis conjuncto sibi Comite la Tour Bibracum contendit, Memmingam quasi invasurus; quod Gallo-Bavari suspicantes non tantum impediunt; sed Augustam Vindelicorum etiam aggredi pertentant, eo quòd contra pactam cives neutralitatem cum Badensi colludere dicerentur; ideoque Gallo-Bavaricum præsidium admitterent, aut urbis portam cum propugnaculo traderent: utrumque negant Augustani: audiensque hæc Badensis, cum parte exercitûs [alterâ in castris Haunsheimii sub Gen. Styrumio relictâ] magnis eo passibus provolat, præmittitque aliquos tribunos & chiliarchos urbem in constantia confirmantes: adest ipse 5. Septembr. & bina suorum agmina immittens jubet cives tormentis hostem editiori loco consistentem impetendo rejicere; qui diviso exercitu Bibergenum Donawerdam versus, & Com. de Arco Friedburgum versus ad aquæductum Ablaß dictum, progreditur, cùm ut aquam Augustæ interdiceret, tum ne Badensis superato flumine Lech in Bavariam irrumperet; hic immissis 2. peditum millibus, & 2. dimacharum legionibus cum 8. tormentis hostem ab aquæductu depellit Friedburgum, quod paulò pòst Baden-

Augustæ à Gallo-Bavaris tentatæ succurrit Badensis.

Ratisponæ Legati Principum captivantur.

densis intercipit. *Vid. num.* 404. Ratisponenses verò non solum majus bavaricum coguntur assumere præsidium; sed Præfectus Comes Santinus cives omnes armis exuit, armamentarium & binas urbis portas occupat, duos Principum legatos inde illam ob causam discessuros attinet, & universum veluti imperium Rom. in legatis repræsentatum inauditâ hactenus detinet captivitate, Cæsari, totique Imperio maximè injuriosa. *Vid. num.* 434.

Brisacũ à Gallis capitur.

Dux Burgundiæ motis ex Urlaffen castris Brisacum impugnaturus, ut præsidio militari & apparatu illud denudaret, Marsinum jubet Friburgi infestationem simulare; cujus præfectus cùm à Brisacensibus subsidium, pluresque curules impetrasset machinas, relicto Burgundus Friburgo 23. Augusti Brisacum 10000. acriter aggressus paucis pòst diebus 6. Septembr. nullâ adhuc urgente necessitate præfectus Arco non sine corruptionis suspicione ultroneam offert deditionem urbis inaccessæ, & tanta fortitudine roboratæ, ut meritò Germaniæ clavis & dicatur, & sit: præsidium deductum Rheinfeldiã cum præfecto, vinculis ibidem mancipato, & Brigantii postmodùm decollato; cui quidam hoc adscribit epigramma:

Fortia fœdifragis tradebas mœnia Gallis
ARCO; sed CARO res tibi tanta stabit.
Annis triginta pro Cæsare bella gerebas,
Bisque novem, credo, vulnera passus eras.
Postremum vulnus non cætera vulnera, fætet,
Nam facti laudem, qui benè claudit, habet.

404. Lud. Badensis Augustam Vind. tendens

dens ſupremum militum magiſtrum Com. Styrum in caſtris Haunsheimii reliquerat, ut hoſtium caſtra Dillingam intra & Lavingam probè munita & inacceſſa obſervaret, motibusque eorum invigilaret; liberatâ Auguſtâ Styrumius juſſu Badenſis Donawerdam 20000. tentaturus defectu tormentorum [quæ Circuli Suevicus & Franconicus illi denegabant] aliisque impeditus obſtaculis caſtra repetiturus audit condicta tormentorum ſigna ante & retro ſibi reſpondentia (nam Bavarus & Villarius ſuperato Donawerdæ Danubio ſignificarant Marchioni-Uſſoni, ut Styrumium à tergo, ſe in fronte & latere invaſuros) ſtructâ igitur 20. Septembr. tumultuariò acie in proximiorem & numero pauciorem Uſſonem Styrumius generosè irruens, equitatum ejuſdem confundit, opprimit, & in fugam verſus Hochſtadium adigit, obtentis aliquot ſignis equeſtribus; peditatus autem cum Uſſone Lavingam fugit; & ſex equitum agmina Dillingam meditantia, Palffius circumcingens in paludem compellit, ubi omnes paucis exceptis ſimul cum equis miſerrimè ſunt ſuffocati; ita ut Uſſonis copiæ omnes deleri tunc potuiſſent, niſi duplo major Bavari & Villarii adveniſſet exercitus, quem magno irrumpentem impetu Schulenburgus cum Saxonicis generosè excipit & reſicit; Cumque jam hoſtis alteram vellet adoriri lineam metu perterrita legio Bareutenſis fugam, nullâ adhuc urgente neceſſitate, capiens, alias primùm legiones in confuſionem, mox in fugam attrahit. Jamque novem continuò horis acriter pugnatum erat, ſed hoſtium multitudine

Styrumius oppreſſo Uſſone à Gallo-Batavis cæditur.

ne oppressus Styrumius relictis tormentis & impedimentis fugit Nordlingam, quo plures ex fuga conveniebant, ut certus cæsorum numerus iniri non potuerit, quorum aliqui 1500. alii duplo plures numerant. Haud dubiè non exiguus Gallorum ceciderit numerus, quòd Germanorum fortitudo & constantia gravissimos Gallorum impetus sæpenumerò non sine cæde gravi repulerit, viribus licet triplò potentiores, ideoque plures imputent Badensi, quòd tam periculosæ belli aleæ commiserit Styrumium, qui & generosi Ducis & militis fortissimi officio perfunctus, contra ternos omnino hostes imperterritè pugnavit. Post hæc Gallo-Bavari Donawerdæ Danubium transeuntes Guntzburgum & Memmingam abeunt, & latè per Sueviam se extendunt, cumque Villarius urgeret Ingolstadio, Ratisponæ & Donawerdæ gallicum imponi præsidium; illud autem Bavarus denegaret, præposito exercitui Marsino discessit Parisios.

Tallardus Landaviam cingit.

Quo & Dux Burgundiæ abierat, & Tallardus 17. Octobr. Landaviam cingit, quam eminente virtute præfectus Comes de Frielen 4300. præsidio acerrimè defendit. Confœderati Anglo-Batavi, ne magni momenti & roboris urbs hostium cederet potestati, rogatu Electoris Palatini hæreditarium Principem Hasso-Casselensem cum 12. peditum & 29. equitum agminibus in succursum destinant, qui haud procul Spira Comiti Nassovio-Wilburgensi & Palatinis copiis conjunctus, bellico habito consilio statuunt 16. Novembr. hostium castra invadere, modò advenerint copiæ Moguntinenses, Luneburgen-

ses

ses & Darmstadienses; sed cùm Nassovius [cui hæc imprimis ob locorum & hostium cognitionem commendata erat expeditio] sui nimiùm securus nihil per exploratores de Gallorum motibus, & Precontaltum adhuc longè abesse audivisset, ideoque 15. Nov. festivis securiùs epulis & potationibus divi Leopoldi festum in castris celebrarent, duo transfugæ Nassovio referunt Precontaltum hodie 15. Tallardo conjunctum plenis omnino passibus ad Imperialem approperare exercitum, & non longè jam abesse decem armatorum millibus; vix illud Nassovius significarat Hasso-Casselensi, vixque hic alam dexteram, & ille sinistram composuerant in aciem, adest ad torrentem seu amnem Spirensem Precontaltus, in quem Nassovius & Comes de Vehlen sinistrâ suâ alâ fortiter irruentes ultra 200. gressus repellunt: nec impiger Casselensis dexteram in hostem alam ducens tam generosè confligit & opprimit, ut 16. potiretur signis equestribus, & aliquot tympanis. Tum hostis resumptis viribus equitatum imperialem in fronte equitatu, & in latere ac tergo peditatu incredibili impetu & furore invadit, perrumpit, confundit, opprimit, & in fugam sinistram alam penitus convertit. Casselensis quidem Princeps ubique præsens, ubique suos adhortans rem strenuè, nec sine periculo præsentissimo agebat; at quia cæsâ sinistrâ totaliter alâ confusio & fuga magis invalescebat, Princeps Dudenhoffen relictis impedimentis & tormentis confugit, hoste illum neutiquam persequente. Cæsa sunt Germanorum 6000. cum Principe Hasso-Homburg

Precontaltus Cæsareos internecivè sternit, & occumbit.

burg. Hochkirchio, Steinhausen, Tettau, & Isselbach. Gallorum 3000. cum Procontalto in pugnæ statim principio occiso, qui obtenta 33. Vexilla pedestria & 5. equestria victoriæ signa ad Regem Parisios submittunt; Casselensis verò 20. signa equestria & 4. dimacharum vexilla ad Anglo-Batavos suæ signa fortitudinis ab hoste adepta transmittit. Cruentam hanc

Landaviæ deditio.

stragem mox secuta est ultronea Landaviæ deditio, tùm quòd nulla succurrendi spes affulgeret, tùm etiam quòd apparatus bellicus, nitratus imprimis deficeret pulvis & globi. *Vid. n.* 435. Cæterum præfectus singulari urbem arte, fortitudine & constantia propugnavit, quam ipsi laudabant hostes, admirabantur amici, Cæsar & commendabat datis ad eum literis, & rei tormentariæ viceprætectura munerabat; atque ideo etiam singulari militari honore cum 2000. præsidiariis, & eisdem quibus antehac Melacus conditionibus demissus est Philippopolim, quem aliàs Tallardus hoc rerum statu captivum cum præsidio detinere prætenderat.

Herbevillus interea in superiori Palatinatu Ambergam traditione intercipit, cum toto territorio, eductorum præsidiariorum plurimi Cæsaris amplexi sunt militiam, provinciæ autem

Bavarus Augustam capit & emungit

gubernator Gen. Auffsatz constitutus. Bavarusècontra cum Marsino Augustam Vindelicorum fractæ neutralitatis accusatam 18. Decemb. invadit, quam Gen. Bibra quidem sex millium præsidio defendit, sed desperato succursu, & patente murorum ruina, tum ne urbs opulentia & pulchritudine præstans pyrobolorum, ignium-

niumque missibilium deformaretur & destrueretur multitudine, præfectus cum præsidio liberum inde & militarem obtinet discessum, civitas verò Electoris se gratiæ & discretioni coacta est permittere, ut qui non potuit Leopoldum Augustum, opprimeret Augustam. Devictæ mox urbi arcem Elector imponit (arcium autem extructio in urbibus non tam firmamentum est salutis, quàm munimentum servitutis, ait *Demosthenes in arg. lib.*) remotoque senatu Lutherano substituit Romano-Catholicum, & ingentem auri, argenti, & divitiarum vim, belli aliquot annorum continuationi sufficientem extorquet, & miles gallicus præsidiarius civium sumptibus altus, vivebat pro lubitu immaniter & security ferociter.
Campidunum denique urbem imperialem Bavarus occupat, & copiam utcunque tormentariam offendit, à Cæsareanis illuc devectam; mox Principis violatur residentia, privatorum domus, & principale monasterium penitùs deprædantur, ornamentis spoliantur Ecclesiæ, & Altaria disturbantur. Tam felici elatus hujus anni expeditione Bavarus, tam iniquus erga innocentem patrem filius, quem initio facile armis, potentiâ & provinciis potuisset exuere; sed paternâ distulit longanimitate, si fortè prodigus ad frugem & obedientiam patris rediret; hic inquam Bavarus monetam excudit suâ insignitam imagine, cujus laureatum caput Regem Bohemiæ, Franconiæ & Sueviæ præferebat: alterius inscriptio partis hæc erat: *Devictâ Ulmâ, Ratisponâ, & Augustâ, ultroneè submittet se Norimberga*

EtCampidunũ

bergæ. Cui alius alium suppoſuit nummum, & laureato capiti inſcripſit Horatii Lemma:

Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus Auſter.

Altera hujus numini facies Bavaricum gerebat trophæum, devictarum urbium inſignibus exornatum, quæ cœli fulmen læſo trophæo dejecit, hac cum inſcriptione: *Cunctanti reſtituit rem.* Orbicularis verò circumſcriptio erat: *Facilis deſcenſus in orcum, ſed revocare gradum, hoc opus, hic labor. Vid. num.* 428.

Confœderati Trarbachum occupāt

405. Feliciori pugnant marte inferioris Germaniæ confœderati; Haſſi namque & Batavi armatâ recipiunt manu Trarbachum. *Vid. num.* 435. Et Cohornius ingenti tormentorum apparatu 140. curulibus machinis, 50. magnis, & 500. parvis & manuariis novæ inventionis mortariis Bonnam, inſigni Gallorum robore munitam circumcingit, atque è tribus oppugnat ſtationibus; Haſſo-Caſſelenſis primæ, Fagelus alteræ, tertiæ ex altera rheni ripa præſidebat Cohornius, qui 9. Maji terreum è regione urbis munimentum, [Burgundicum indigitatum;] vi armatâ capiens, undecimâ ejuſdem menſis, caſtrenſibus vallis apertis urbem ex hac rheni parte tanto tormentorum & ignium miſſilium impetu flagellat, ut patentibus latè murorum ruinis Præfectus Allegere 14. Maji ultroneam obtulerit deditionem, non ſine omnium admiratione urbem Gallis invictam, & rheni beneficio ea ex parte non facile impetendam, tridui captam ſpatio. Voluiſſet Allegerus urbis robora multis à ſe impenſis facta demoliri, ſed reje-

Et Bonnam cū toto rheni inf. tractu.

cta est conditionis petitio, & Electoris mobilia in palatio inventa Hagam Comitis sunt delata; atque ita totus omnino Archiepiscopatus Coloniensis, & inferioris rheni Tractus in confoederatorum devenit potestatem, quorum exercitum ad Lanaken, haud procul Trajecto consistentem Villerojus credebatur invasurus, quod non ausus, ideoque prædarum spe frustravit confoederatos, prælii desiderio supra modum flagrantes. Rhenobercka interim longiori coacta obsidione 16. Febr. Brandeburgicis fecit deditionem: quam omni etiam robore denudare meditabantur, protestante econtra Archiepiscopo Coloniensi Josepho Clemente, & Capitulo metropolitano: Cohornius cum Spartio fossilem torrente probè munitam Gallorum lineam in territorio Waes ultra Scaldim Antwerpiam usque se protendente feliciter occupat. Tum Marleborugus ad alteram haud procul Antwerpiâ Gallorum lineam invadendam ablegat General. Obdamum & Tillium, quos Boufflerus & Bedmarus magnâ usi celeritate majoribus inopinatè copiis prope Eckeren circumveniunt, & intercluso confoederatis omni exitu pugnatur utrimque acerrimè; jamque Obdamus ex arena subterfugiens conclamatum esse spargebat; sed Tillius, Fagelus, Schlangenburgus & Comes de Natto suos fortiter manu & verbis animantes prælium restituunt, eoque ad seram usque noctem producto plurimis deficiebat confoederatis pulvis & plumbum, qui sicis bombardæ infixis hostem propellunt, & tandem cogunt in fugam; permanentes in arena per noctem confoederati

Brandeburgus Rhenoberckam capit.

Galli funduntur.

derati; die alterâ Lillum perveniunt: de victoria pars utraque gloriabatur, & Gallus ubique more suo triumphabat, ut suos arenâ cæsos, animoque dejectos erigeret.

Marleborugus Hojum occupat.

Cæterùm Marleborugus Generalem Trognum Hoyum invadendum demittit, à Gallis hoc bello egregiè munitum, & novis munitionibus Picard, Ruge, & S. Joseph roboratum; nihilo tamen minus paucos post dies oppugnantium voluntati, capto 500. præsidio, se submittunt. Tum Villerojus quasi Marleborugum aggressurus, publicis hinc inde affixis literis eum ad fanum D. Job quasi prælii aleam tentaturus invitat; nec impiger Marleborugus cum exercitu Hochstratum tribus inde horæ quadrantibus distantem subsequitur, & Schlangenburgus magnis per noctem passibus Lillo cum legionibus aliquot contendebat, Gallos à latere invasurus, jamque suum tormentorum signis indicaverat adventum; sed Villerojus incensis præter opinionem castris ad suas revertitur lineas, pavoris non minus quàm inanis jactantiæ relinquens vestigia.

Hasso-Cassel. Limburgum.

Inde Hæreditarius Hasso-Cassellensis Princeps cum Barone Trogno Limburgum Marleborugi jussu adoritur, & spatio 24. horarum, jacturâque tantummodo duorum militum urbem captumque præsidum Bouflero inspectante subjugat, ac totam Limburgensem Provinciam in Caroli III. Regis fidem recipit.

Terræ motus in Italia.

Decimo tertio Calend. Febr. cum ingenti terrore terræ motus in Italia auditi, quibus multiplici succussione iteratis vix non integræ urbe Nursiæ in Piceno, & Spoleti in Umbria corrue-

run

runt. Terror ipsam Romam invasit, & plura Calabriæ & Abrutii loca, ubi non semel terra tremuit, & varia excussit ædificia, sub quorum ruinis plura hominum millia interierunt.

Lusitanus Brasiliensi classe ditatus confœderatur Cæsari &c.

406. Rex interea Portugalliæ ambiguus adhuc consilii à variis Principum legatis, continuò aulam ejus frequentantibus, ad suas sollicitabatur partes: Galli & Hispani initam non solùm neutralitatem confirmandam, sed absolutam secum plurimis promissis, emolumentis, subsidiis & jactantiis urgebant confœderationem, quam Cæsar, Anglus, Batavus aliique Principes convincentibus omninò argumentis & rationibus evertentes fœdus suadebant Austriacum, & magnam tot Principum, ut vocant, allianciam quotidianis cum Rege promovebant consiliis. Cautior interim Rex auctorare militem, communire præsidiis urbes & oppida, copiosum in omnem casum nervum colligere bellicum, atque ideo unicè desideratam Brasiliensem ex America classem expectare; quæ feliciter etiam tum temporis centum navibus, & copiosiori quàm unquam aliàs dives thesauro Ulyssibonam ingenti Regis & mercatorum gaudio appulit. Tum demum Regis subsecuta est resolutio Gallorum aures tinniens, amplexus inquam, 16. Maji Cæsaris & aliorum Principum confœderationem, maximo Austriacorum & Anglo-Batavorum emolumento, qui navali jam classe occlusis licet maritimis Hispaniæ portibus per Portugalliam modò penetrare Hispaniam, militemque semper subsidiarium exponere, haud difficulter possunt. Subscriptis itaque & sigillis confirmatis

hujus fœderis utrimque tractatibus, Angliæ Legatus Methwinus gravem auri summam offerebat, simulque promittebat cum appropinquante Ulyssibonam Carolo III. justum militare adventurum subsidium, quo plures adhuc tanquam securitatis asylum Hispaniæ Primates cum Duce Montalto profugerant, qui impigrè etiam ad hoc fœdus cudendum collaboraverant; Castiliæ namque Admiralis Ulyssibonensem continuò aulam & regia frequentabat consilia, cujus bona fisco Madritensis addixerat aula perpetuo damnatus exilio, non læsæ quidem majestatis, sed inobedientiæ reus, cujus confiscata post mortem bona ad filios demum redirent. Cunctis jam ritè hujus confœderationis ratificatis, Cæsaris Legatus Comes Wallensteinius dum Ulyssibonâ Viennam navigio rediret, à Coetlegono gallico Talasso capitur, qui dimissis continuò in profundum maris initis cum Lusitano consiliis, conducitur Tolosam, inde Parisios cum libertate tamen per urbem commeandi, redduntur que ei à Rege aliquot in captura ablata cimelia, & rari pretii gemmæ, aliæ etiam cum ipso captæ naves Lubecenses & Hamburgenses ob admissa & ibidem publicata Cæsaris mandata avocatoria tanquam hostiles in commissum ceciderunt.

Carolus Austriacus declaratur à Cæsare successor.

407. Et quia in Portugalliæ securitatem pactum erat, ut Carolus Austriacus jure successionis in Ibericum expulso Philippo introduceretur solium, urgebant illud instanter non modò Regina Angliæ Anna & Batavi; sed vel maximè Rex Lusitaniæ Petrus, quod intensissimus hacte-

nus

nus Cæſaris & Imperatricis in amantiſſimum filium, Auſtriæ delicium, & poſteritatis propagatorem, amor in tam ambiguo & periculoſo adhuc rerum ſtatu, & tam longinquo itinerum diſcrimine prohibuerat; ſed cum id univerſæ exigeret Europæ ſalus & proſperitas, Cæſar primò ceſſionis & declarationis actum duodecimâ Septembr. die decrevit, quo abſoluto Miſſæ & conſuetæ pietatis officio Cæſar in camera conferentiæ cum Romanorum Rege Joſepho, & Carolo Auſtriaco filiis ſuis prodiens facundâ eloquentiâ præſentibus 35. conſiliariis ſuis, aliorum Principum Legatis, aliisque Hiſpanicis & Neapolitanis Ducibus pridie ad hoc invitatis, devolutam morte Caroli II. ad ſe & Auſtriacam Domum Monarchiam Hiſpanicam ſolemniſſimè cedit in Joſephum Regem Romanorum, & hic in Carolum Auſtriacum fratrem pleno jure, titulo, formâ & modo, quibus Auſtriaci olim prædeceſſores Carolus V. & alii ceſſerunt, reſervatis ſibi hæreditariis regnis & provinciis, quibus omnino cedere Carolus debuit; proinde Cæſar Carolum verum & legitimum Regem Hiſpaniarum & Indiarum declarat & inſtituit; utque omnia authenticâ ſolemniter formâ fierent, aulæ cancellarius Frid. Julius Bucelinus bina ceſſionis & reſervationis inſtrumenta publicè prælegit. Tum traditâ juramenti formulâ Cardinali Colonitſchio Auguſtæ majeſtates, Imperator, Rex Rom. & Rex Hiſpaniarum in lateris altari coram Crucifixo ad ſacra evangelii verba jurarunt ſe omnia illis inſtrumentis contenta ſanctè & inviolatè obſervaturos, nec in minimo

contra facturos, quibus peractis, exceptisq; amplexibus & congratulationibus supremus aulæ præfectus Bonaventura Comes Harrachius ceteris foras ministris, & præsenti populo hanc Regis Hispaniarum declarationem solemniter publicavit, & regali convivio excellenti musicâ intermixto hæc terminata est solemnitas. Hanc Caroli in Regem Hispaniæ declarationem alterâ mox die Cæsar literis Reginæ Angliæ & Regi Portugalliæ significat. Biduo pòst Carolus Mariæ Cellam in Styria cùm voti ob restitutam priori anno valetudinem, tum pietatis, & Iberici itineris felicitandi causâ profectus, pretiosissimo argentei gemmis distincti crucifixi anathemate divinam deprecatus est gratiam, & Divorum, Angelorumque comitatum; decimâ nonâ autem Septemb. sol hic Ibericus Carolus totâ lugente Austriâ & Viennensi imprimis aulâ, sub comitatu Principis Antonii de Lichtenstein, supremi aulæ suæ præfecti, & supremi veredorum magistri Comitis de Paar, ad Hispanicum & Indicum veloci cursu properavit hemisphærium per Bohemiam Pragam, per Saxoniam Lipsiam, per Westphaliam &c. Dusseldorpium 16. Octobris appulit, omnibus ubique honoris, amoris & benevolentiæ officiis regia majestate dignis, exceptus in aula natali matris suæ Imperatricis, ab ejusdem fratre Joanne Wilhelmo Electore Palatino; ubi eodem adhuc vespere Angliæ nomine illum Dux Marleborugus salutat, & privatam habet audientiam, pretiosissimo postmodum gladio, & alio adhuc ab eo donatus munere: illuc Ibericus hic sol Carolus ingentem spe-

Carolus in Hispaniam abiens venit Dusseldorpiū Hollandiā &c.

ctato-

ctatorum Coloniâ, aliiſque locis accurrentium multitudinem ultra 12000. attrahebat. Duſſeldorpio 27. Octobris navigio vectus in Hollandiam ad Schenckenſchantz à Generalium Statuum Deputatis, & Slyndrecti ab Hollandiæ & Friſiæ ablegatis de proſpero congratulatus adventu, 3. Novembris die Hagam Comitis advenit immensâ hominum iteratò *VIVAT CAROLUS III. REX HISPANIÆ* acclamantium multitudine circumdatus difficile pertranſire potuit: adverſo hîc vento & inauditâ maris tempeſtate admirabilem rerum revolutionem, ut quidam autumabant, præſagiente, ad annum uſque ſequentem eſt detentus, variis confœderatorum conferentiis & conſultationibus occupatus, & multiplicibus interim cultus venerationibus. Cujus adventum totis animæ viſceribus deſiderabant, urgebantque Rex Luſitaniæ & Anna Regina Angliæ, cui illum Cæſar ut matri commendaverat, & illa Carolum ut filium in Hiſpaniæ Regem legitimè adoptatum videre affectabat: unde quidam non inconvenienter ſcribebat & ingenioſe: Magnus utrobique Caroli amor.

Hiſpanis regem improlis Regina Britanna
Quem Rex non dederat Carolus Anna dedit.
Terrarum eſſe Deos quis Reges eſſe negabit?
Non parit Anna homines, ſed parit Anna Deos. Vid. num. 411. 413.

Ipſe adeo Carolus II. dum adhuc viveret miſſo ad Leopoldum Epiſcopo Ilerdenſi, ejuſdem filii Caroli anhelabat Madriti præſentiam, quam cùm nullis tunc rationum momentis impetrare Ipſum! Carolus II. videre cupiebat.

possset episcopus, mœstus abiens dicebat: quod si modo Cæsar Carolum in Hispaniam dimitteret, multo parceret humano sanguini, qui immensum velut mare postliminio effundetur: & tamen quod nunc refugit, tunc dimittere cogetur; sed habuerit etiam Cæsar urgentissimas eum detinendi causas, aliis multò prævalentiores. *Vid. num.* 411.

Ragotzius Ungariam invadit.

408. Franciscus Ragotzius fuga è carcere elapsus, gallicis & Bavaricis consiliis, ære & milite confirmatus, gliscentem adhuc Töckelianam sub cineribus excitans factionem, haud exiguo ex Germanis, Ungaris, Polonis, & imprimis Bavaris conflato exercitu 30. ferme millium irrumpit Ungariam, Presburgum usque divulgatis per regnum literis ad arma sollicitat & cogit indigeans, inscriptis prætorio suo labaro his verbis: *Pro Deo, Patria, & libertate*; cujus avidissimi Ungari mirum quam ingentem brevi tempore exercitum sub prolegato suo Bereceno ad Tractum Tibisci collegerit, & quot minoris roboris oppida cæsis germanis præsidiariis oppresserit. Tribunus quidem Comes Carolus suo illum equitatu dissipat, conjunctus postmodum tribus Montecuculi legionibus Ragotzium haud procul Mongathio tam inopinate opprimit, ut vix interula tectus evaserit; sed collectis ille mox copiis Zeckelheidam invadit, expilat, & germanos crudelissimè trucidat præsidiarios: deinde occupat Somlojum, Silojum, Caluhustum, & civitates montanas Cremnicium, Lôvencium, Kapffenum; Kovarium munitissimum Transylvaniæ aditum ob aquæ defectum

Varia occupat loca.

ctum capit deditione, quod ubi rescit Transylvaniæ præfectus Rabutinus, magnis eò pervolans passibus, tumultuarie Rebelles aggressus dispergit, & cæsis 300. in fugam Nagibaniam agit. 21. Octobis trium Rebellium millia præstantissimæ ad Tibiscum fortitudinis Zolnockum armata capiunt manu, trucidatis cum præfecto Walters omnibus præsidiariis, alii sub ductu Pauli Orosi & Ibrani, quondam Cæsareæ militiæ tribunorum, sed quia in promotione neglecti ad Rebelles profugerant: ultra Tibiscum obsident Zathmarium: 25. ejusdem mensis ducenti eorum Barcanum è regione Strigonii transcendunt & diripiunt, crebris licet petiti Srigoniensium tormentis: Septembris initio Sebenium in comitatu Gepusiensi ad limites Poloniæ potestatis suæ faciunt: Berecenus paulò post arcem Posavam subjugat, & 12. curules ibidem machinas intercipit; econtra tribunus Kyba sexcentis equitibus tria rebellium millia prope Halus adortus, cæsis 300. reliquos in paludes propellit; illi autem Lippam opprimunt, generalem à Cæsare publicatam amnestiam & remissionem rejicientes, à Schlickio licet rursus quingentorum strage mulctati, & occupato Loventzo montanis privati urbibus: ad Weissenburgum quoque tribunus Thoche 250. equitibus in sexcentos irruens Rebelles internecione omnes præter 30. trucidat; nihilo tamen minus plurium accessione dynastarum, Comitis præsertim Caroli (cujus adeo bona & possessiones sunt depopulati, ut Cæsareo frustratus subsidio ad eorum cum non exiguo equitatu profugere castra

sit

ſit coactus) confirmati Leutſchaviam cingunt; & Ragotzius tam arcte Schlickium propè Altſolum circumcingit, ut vix, ſed non ſine vulgari ſtrage, perruperit: denique Presburgum usque pervagantibus Ungarica inde corona ſecuritatis ergo Viennam eſt translata, & in validam cuncta ſunt roborata defenſionem: immo factâ in Moraviam excurſione Scalitzium occupant, & Strasnitzii poſtulant deditionem; ſed cum Olmucenſis circuli Capitaneus vigoroſe non minùs quàm ſtrenuè ſe opponeret, relictis omnibus fugæ ſimiles evadunt, plura aliàs tentaturi, Galliæ Regis auro opitulati; qui Rex Proteſtantes omnino omnes læſæ majeſtatis reos declarabat, qui Languedociæ Sevennenſibus, ſeu Tractûs Cemmenii incolis, ceterùm morigeris, & nil aliud quàm conſcientiæ & Religionis ſuæ libertatem inter montium latibula, ut olim Helveti, exigentibus conſilia & ſubſidia præſtiterint; quantò impius & crudelius ipſe Rex Ludovicus læſæ Cæſareæ Majeſtatis reus, qui non modò cum Ragotzio in Cæſaris, & totius Auſtriæ familiæ, tam mirabiliter hucuſque à Deo conſervatæ necem, & omnimodam planè extirpationem conſpiravit, ſed ejuſdem etiam ſubditos ungaros, & imprimis heterodoxos tanto fidelitatis juramento obſtrictos, cum ingenti univerſæ Chriſtianitatis detrimento, & copioſiſſima innocentis profuſione ſanguinis in factiones, tumultus & crudeliſſimas ſeditiones, totiuſque irreptabile regni excidium, turpiſſimâ & inani ſua univerſalis monarchiæ ambitione turgidus concitavit, & omnibus adhucdum promovet viribus: ſed juſtus

Schlickiũ circumcincingit.

Moraviã invadit inſtigatus à Gallo.

Galliæ R. Impietas.

stus es Domine, & rectum judicium tuum, vindex omnium & ultor scelerum. *Vid. num.* 425.

Eugenius fit consilii bellici præses

409. Eugenius Dux Sabaudiæ commisso in Italia exercitu Guid. Starrenbergo Viennam reversus, toties promisis & desideratis admodùm frustratus suppetiis, Italiam hoc anno revisurus non videbatur, nec gloriæ famam tantis in præcedentibus expeditionibus emptam periculis & labore cum tam pusillo prostituere exercitu; sed consilii bellici constitutus præses expeditionum cónsilia zelosius fideliusque exequebatur, remoto inde Duce Mansfeldio, cui supremi camerariatûs cum annua 22000. flor. pensione collatum est officium. Crescente interim hostili exercitu deficiebat Cæsareus & nervo, & milite, sine quibus mars tepescit: quid hic ageret Starrenbergus undique ab hoste circumdatus, omni devorandus momento? Vendomius namque tripartito sexaginta millium instabat exercitu: ipse cum 31200. armatorum millibus haud procul Gouvernolo Canetti Mincium transit; Vaudemontius cum 19880. consedit prope Benedettum, Albergotus cum 2840. in Modenensi Ducatu castra figit; in talibus undique angustiis Starrenbergus animo fortior & generosior, infractæque sui exercitûs animositati confidens, militari castra sua munire sepimento, Ostiglium haud levis momenti oppidum, ob conservandam Tyrolis communicationem validis roborare operibus & munitionibus, castra sua præterfluentibus & perfossis torrentibus, ne hostilibus paterent excursionibus, circumcingere.

Variæ in Italia Starrenbergi cum Vendomio velitationes.

Præ-

Præter hæc ungaricus continuo equitatus in ducatum Mantuanum, & hosticum excurrens haud exiguis ditatur prædis, & in Februario Mediolanum usque incurrens dum Cremonenses præsidiarii interceptos ab eo captivos & prædam admodùm nobilem tentarent abigere, capto eorum ductore, peremptisque aliis fortiter repulit. Propræfectus marchio Barbesiers sub rustico habitu Cæsarea perrepens castra in Bavariam iturus, Brigantii captus ducitur Oenopontum, Vendomius tandem superatis Pado & Mincio ex Mantuano in Veronense solum Sanguinettum declinat & tormentis frustra Pontem Molinum tentat: uti & Vaudimontius dum propius Cæsareanis appropinquaret castris, cæsis aliquot suorum millibus per novæ inventionis tormenta turpiter repellitur.

Vendomius interea Mantuæ militari habito consilio, exponit quomodo & qualiter Cæsareani tota facile Italia ejici, & tribus simul in locis adorti castris omnino exui possent idque etiam intra triduum se effecturum Regi suo literis asseverabat, & tunc Tyrolim invasurum: neque factu id difficile sexaginta suis armatorum millibus contra pusillum Cæsaris exercitum esse videbatur, nisi mira illud Dei providentia, & Starrenbergii militaris scientia & generositas, militumque suorum prohibuisset fortitudo: Vendomius namque Bersellum gravissimis flagellabat tormentis & pyrobolis; præfectus autem urbis dejectis turrium tectis, impositisque tormentis sese acriter defendebat, & Starrenbergus desertâ Final di Modena (unde hostem

pau-

pauló ante Comes Sormanus non ſine levi dimoverat ſtrage) tres inde cum March. Viſconto. legiones ad caſtra revocat, quæ alio duorum millium ſupplemento confirmata, alia decem adhuc millia propediem adventura, ut promittebatur, expectabant, quorum tranſitum à Venetis impediri neutralitatis causâ urget Vendomius, qui ſexto idus Junii Starrenbergi caſtra Oſtigliam verſus tribus ſimul locis aggreſſus ex binis tormentorũ ſuggeſtibus impetit; at his apertis Padi inundantis cataractis præcipi Vendomium fugâ Tartarum uſque rejicit: ſimili quoq; modo Albergotus octo millibus in Uleteldũ haud procul Mirandola cum duabus legionibus equeſtribus, & 3. peditum agminibus in loci defenſionem commorantem impetum facturus, Starrenbergus decem ſubitò pyrobolariorum centurias, mille ducentos equites, & 12. campeſtria eo deſtinat è caſtris tormenta, jubetque Sabaudicam & Viſcontinam legiones Quatellæ conſidentes, per ambages hoſtem à tergo invadere, qui omnes opportune non minus quam inopinate Albergotti caſtra ad fanum S. Martini opprimentes, in confuſam adeo convertunt fugam, ut ſi expeditior ungaricus adfuiſſet equitatus, & non ingruiſſet nox, totus ejus tunc miles deleri potuiſſet: cæſi Gallorum ſunt 1200. capti & vulnerati 600. quæ hoſtium ſtrages Berſelli compenſabat jacturam, quod commeatûs inopiâ 26. Julii ſe hoſtium poteſtati cum 900. præſidiariis Reverum navigio delatis ſe debuit ſubmittere. Generalem quoque Vaubonnum cum 4000. Uſſolingi cogitabat irruere Ven-

Vendomius, hujus ille certior factus, reducto Rivolum milite campestribus aliquot instructus tormentis, irritò Gallos mature admonitos expectat, qui in reditu Lignano Veronam usque oppida, pagos, villasque barbare expilant, inflammant, matres cum liberis trucidant, Ecclesias & sacra profanant, obmutescentibus ad hæc Venetis, neutralitatem scilicet colentibus; Cæsareanis certe talia non permisissent. *Vid. num.* 422.423.

Sabaudi fœdus gallicū abjicit.

410. Sabaudus Princeps Victor Amadæus speciosis Gallici Regis Ludovici XIV. verbis & promissis ad Gallico-Sabaudicum fœdus sollicitatus, sive spe post Burbonicam & Austriacam lineam successionis in Monarchiam Hispanicam, sive filiarum cum Burbonicis Principibus connubio, sive alio quovis tractus emolumento, triennale subscripserat, quo hoc anno absoluto Princeps tum Gallorum injuriis læsus, tum fœderis arcto consanguinitatis vinculo confirmati prævaricatione irritatus, tum Ducatûs sui ob arrogantem gallorum ambitionem & rapacitatem motus periculo, illud primò ulterius differt renovare & confirmare, tum proximas discrimini urbes Susam, Vercellum, Novaram & Alexandriam sufficienti commeatu & bellico communit apparatu ac præsidio, omnique laborat studio suas clam copias gallicis castris subtrahere; sed Ducis intentionem & consilium Rex animadvertens, quòd rogatus Dux ut copias suas montibus magis assuetas expeditioni Tyrolensi ministraret, id renuit, eâ ratione prætextâ, quòd ditiones regis Philippi tueri, non Cæ-

Gallus Sabaudi militem captivat

Cæsareas invadere promisisset: unde Rex Vercellum, Nizzam & Susam in securitatem fidei extradi sibi exigit. Principe illud imperterritè recusante, Rex Sabaudum militem suo militantem stipendio cum omnibus tribunis & officialibus exuit armis, & Mantuæ Cremonæque 3400. detinet captivos; quam injuriam Dux ægerrimè ferens, regio conquestus expostulatusque legato Philippeaux, hoc tulit ab eodem responsum: an dubitaret Sabaudum non modò militem, sed ipsum etiam Ducem regio militantem stipendio in Christianissimi Regis & Monarchæ esse potestate? Dux ut se non Regis esse mancipium ostenderet, eundem mox legatum aulæ suæ exulem cum omnibus in Sabaudia commorantibus Gallis, jubet captivitatis innodare aresto, & gallicam equitum legionem ad regia tendentem castra captivat, Sabaudos & Pedemontanos armis [quorum insignem recens multitudinem è Gallia Susam devectam intercepērat] induit, Waldenses ad sua sollicitat castra, apud Helvetos militem auctorare, & in eorum admitti fœdus, societatem & tutelam [quanquam irritò] postulat; magnam tandem Cæsaris & confœderatorum amplectitur alliantiam, cum Aversbergo Cæsaris ad eum legato pactam, subscriptam, missisque ad eos legatis opem exigit, & subsidium mox in ære & milite subministratum: Starrenbergius namque tripartito divagatur hinc inde exercitu, Gallis varia suspicantibus, 19. Octobris Gen. Viscontum cum 1500. equitibus, germanis & 200. Ungaris vigore contractûs in Sabaudiam expe-

Et Sabaudus gallicū.

Cæsari confœderatur, & subsidio juvatur.

dit, qui militari per hosticum dexteritate simul & generositate progressus, Secchiam, & ternos ibidem canales sine impedimento citra Gallorum opinionem transiens, Novellaram inter & fanum D. Martini offensum tumultuariè hostem profligat, pluribusque cæsis & 42. captis feliciter rejicit; inde Stradam Romanam & versus fanum S. Sebastiani tendens, à præscripto Carolo Castellino proditus est Vendomio, qui ter mille expeditos armatos, & mille rusticos Serravellam destinatos montibus imponit, Visconto transeundis, alios 4000. clam Ovatam, Acquium aliaque ablegat loca, ut hostem vigilanter observarent; jam Viscontus Acquium prætergressus in valle Ratti ad pedem montis Dernice videt se undique à Vendomio circumcinctum: hic fortiter aut pugnandum aut moriendum statuens, per montes ferro sibi viam sternit, hostem perrumpit & in fugam conjicit, desideratis è suis 30. ducentis aliis aliò dilapsis, castra sensim repetentibus; inde campum Maronem versus progrediens, intelligensque ibidem hostis ad S. Arenam insidias, per aliam viam ad Genuense declinat solum neutralitate gaudens, ideoque omnis expers periculi, tandem feliciter cum omnium, etiam hostium admiratione ad Ducem Sabaudum pervenit, majus brevi adfuturum subsidium ab ipso adducendum Starrenbergo appromittens, *Vid. n. 423.* sicq; omnes Vendomii potentiâ quadruplo superioris machinationes, per tot gravissimas itineris & periculorum difficultates, summa cum laude, & hostium ignominia delusit, amissis solummodò 150. equitibus

Viscontus ex insidiis in Sabaudiã eluctat.

bus & totidem equis, cum omnibus simul impedimentis, quem Galli, & Vendomius ipse literis ad internecionem abs se adeo cæsum jactabant, ut assolent, ut pauci restarent in fuga cædendi.

Gallia Rex Sabaudum à cæsareo fœdere nequit avellere.

Rex tam inexpectatum Principis abs se discessum ægerrimè ferens, dum variè sollicitatum neutiquam posset in suas partes reducere, propriæ manus literis eum admonet: si neque Religio, nec honor, nec proprium emolumentum, nec pactum inter nos fœdus, ejusdemque manu propriâ subscriptio nullius esse debent valoris & roboris, meam vobis in fronte exercitûs mentem aperiet Vendomius, vestram intra 24. horas resolutionem expectaturus. Mitior Vendomius non unius sed octo dierum spatium Principis deliberationi indulgens, dum reperit ejus animum probrosa militis sui exarmatione & captivitate, aliisque immeritò læsum injuriis, nullis blanditiis, nullo metu, nullâ Regis potentissimi offensâ, nullo periculo, nullá consanguinitatis reverentiâ, nullo armorum terrore à Cæsaris & confœderatorum abduci posse societate; sed uti filiârum, ita & filiorum saluti, Ducatusque sui securitati prospiciendum dictitaret, ne iniquissimæ simul, & tot annis cruentissimæ nunquam non perfidi Regis ambitioni fieret mancipium, Vendomius in Pedemontio Astam & Villenovam occupat, & Mareschallus Thesse Annecium. Camberium & la Roche sine resistentia intercipit: Montmelianum robore inexpugnabile Fevilladus militari invasurus dolo, fallitur, & ulterior sistitur hic gallicorum progressus armorum; quod exposita periculis loca suffi-

Galli Sabaudiam invadunt.

sufficienti Princeps apparatu bellico & præsidio tumultuariè munierit; suo autem inopinato à Rege defectu incredibile Gallis intulit detrimentum & impedimentum; nam duplicato in Italia jam hoste, iis in Italiam per Sabaudiam aditus est interclusus, ut majoribus nunc multò sumptibus & difficultatibus omnem bellicum apparatum, commeatum & militem per salebrosa montium itinera & ambages è Gallia cogantur in Italiam transmittere. *Vid. num. 423.*

Monarchia Hispanica validam requirit classem.

411. Politicorum est sententia, ut qui vastam hispanicæ monarchiæ machinam meditatur gubernare, maris obtinere dominium necesse sit, quo validâ semper & expeditâ classe nunc ex Hispania in Indiam, Americam, Mexicum, Insulas fortunatas, Canarias, &c. tum in Italiam, Neapolim, Sardiniam, Siciliam, Mediolanum; jam in Belgium, Burgundiam, aliaque multis intervallis loca distantia pro rei exigentia & reipublicæ incolumitate, ac conservatione provolare possit: prægrandia enim corpora multis magnisque communiter subjecta sunt morbis, haud diu negligenda; frequentioribus hostium periculis & ambitioni sunt exposita, maturiori præsidio conservanda; ea de causa Cæsar necessariam Anglorum & Batavorum tam studiosè sollicitavit societatem, qui omnes prope respublicas & regna opibus, milite, apparatu bellico & navali imprimis classe præstantes maris longè lateque dominium obtinent, terribilem 58. navium militarium classem, præter multas onerarias, pyrobolarias, præsidiarias sub Architalassis Schovelo Britanno, & Allemondo Bata-

Classis Anglo-Batavica Carolum III. per Italiam Regem Hispaniæ manifestat.

Batavo in altum provehunt, directo in Lusitaniam cursu Ulyssibonam appellunt, inde à Rege cum plausu classis spectata, in Italiam petit Livornum, ad mare Ligusticum mercaturâ & robore celeberrimum, toti Italiæ, Hispaniæ & Galliæ terribilis, haud levem Pontifici, Cæsari minus addicto, metum & tremorem incutit; præsertim dum Cæsaris legatum Lambergum, cum marchione de S. Cruce & Bentivoglio se insalutato Livornum ad classem contendisse intelligeret, à qua vario tormentorum applausu & convivio Lambergus exceptus, convocatis simul navarchis, naucleris, gubernatoribus, cunctisque classiariis Carolum III. à Leopoldo Cæsare Hispaniarum & Indiarum Regem publicè proclamatum, & talem à Lusitanis, Anglis & Batavis agnitum prælegi jubet, qui omnes solemni jubilo, & grandi tormentorum boatu hanc Caroli Regis publicationem Italiæ toti, & Hispaniæ provinciis personantes indicabant, non aliũ nisi hunc Carolum Regem agnoscendum & admittendum. Transiens inde classis Hispaniæ provincias Alteæ mille classiarios ad procuranda victualia expositos, incolæ ut amicos excipiunt, quamvis à loci præfecto ad arma conclamati, ideoque publico proclamarunt Manifesto se non ultionis, sed defensionis advenisse causâ eorum, qui rejecto intolerabili gallico jugo & mancipatu, Caroli III. fidem, & jure debitam amplecterentur obedientiam; contradictores verò & turbatores semper persecuturos; atque ita ingens & pretiosa illa classis toti formidabilis Europæ omnis expers expeditionis & famæ re-

dit in Angliam & Hollandiam, qui gravibus urgentibusque tamen literis germanorum Principum & Statuum socordiam in tam præsentissimo Imperii Rom. discrimine excutientes, ad vigilantiorem sui securitatem, & validiorem patriæ defensionem excitabant urgebantque.

412. Ex Italia Dux Aurelianensis repetens Hispaniam Genuæ aliquot miræ raritatis cistis muneratus Barcellonæ convocatis regni Statibus irritò belli expetit subsidium: Madritum reversus Ducis de Moles, Caroli II. ad aulam quondam Viennensem legati, & successionis Austriacæ ibidem stabiliendæ promotoris, & Comitis de Melgar Castiliæ Admiralis bona fisco addicit; & hujus quidem, non ex crimine læsæ majestatis; sed quod Caroli Austriaci biberit sanitatem, *ut dixi suprà*. ad vitæ tempus, post mortem ejus liberis restituenda; ille verò Cæsaris assecutus protectionem, & dignitati suæ competentia vivendi media, fidelitatis juramentum, ut status consiliarius, præstat, & clandestina Gallorum consilia, & iniquas in evertendo Austriacæ successionis jure machinationes publicè variarum linguarum scripto manifestat. Eodem quo Andegavensis die Cardinalis etiam Estreus pervenit Madritum, regni negotia cum Rege primarius tanquam minister imposterum administraturus, ægerrimè illud ferentibus Protocarero, Medinâ Celi, aliisque regni Statibus, non sine reipublicæ turbatione & discrimine metuendo; nam mox quatuor ad Ludovicum XIV. destinantur cursores ab Andegavensi, Protocarero, Estreo & Ducissa Ursina querelas singuli de-

In aula Hispan. turbæ & discordiæ, propter Cardin. Estreum

deponentes: re utcunque à Ludovico composi-tâ Protocarerus (qui facilè poterat regulæ meminiſci politicæ: proditionem adamandam, odiendum verò proditorem) prætorii militis efficitur Generalis, (itane Sacerdos, & Epiſcopus, & Cardinalis, & miles!) Urſina Romam remittitur, interventu demum Reginæ ad tempus remanere Madriti permiſſa: Dux Medina Celi, Præſes Statuum Indiæ ſuam petit demiſſionem: Mercatores eorumque cameræ ſuam argenti ad Vegos conſervati partem ſibi debitam, & jure competentem irritò exigunt; de eo namque 2. milliones Ludovico XIV. in damni ſui ad Vigos paſſi reparationem, & inſignis Bavaro ſumma ad continuandam belli ſocietatem tranſmittitur, reliquum in nervum bellicum & regni neceſſitatibus eſt applicatum, maximo mercatorum dolore, indignatione, & totius mercaturæ jactura: primarii præterea regni dynaſtæ Medina Celi, Com. Aguillarus, Dux Infantadus, & Veraguarus, Conneſtabilis Caſtiliæ, & Comes Montrejus privata frequentabant conſilia, Andegavenſi non modò ſuſpecta, ſed & odioſa, & offenſionis indicia: nemo quippe Hiſpanorum tam inſanæ erat mentis, quin facilè proſpiceret Hiſpaniam demum futuram Galliæ ancillam, & mancipium; propterea odia & mutuæ non rarò cædes inter utramque ex genio ſibi contrariam nationem ſunt exortæ, ideoque plerique aulæ miniſtri, ſeu Grandes, ut vocant, Andegavenſi ſuſpecti ad Belgica & Italica amandati officia & miniſteria, extra regnum illa recuſarunt, ne in pejus ſibi verterentur; ipſe Protocaretus aulam de-

deserturus infirmam prætendens valetudinem & senectutem, tot negotiorum & difficultatum sentibus imparem Estrei declinabat præsentiam gallico omnia modulo informantis; justus igitur gentem universam offendendi timor Regem Ludovicum impulit, ut Estreum primò à publicis consiliis abstinere, dein etiam post aliquot menses in Galliam reverti juberet. *Vid. num.* 268.

Publicatio Caroli in Reg. Hispaniæ turbat Hispaniam.

413. Effari vix potest, quantum illa Caroli III. in Regem Hispaniæ publicata declaratio Ibericam perturbaverit aulam, & universam prope Hispaniam, infinitarum haud dubiè miseriarum, bellorum & subsequentium calamitatum prodroma; jamque Hannibalem modò ad portas, Carolum cum exercitu jam Hispaniam ingressum effingentes, omnes Hispaniæ Grandes, ministri, bellicique officiales ad aulam vocati, fidem juramento renovare debebant; sollicitabantur per Ducem de Alba, Ibericum in aula gallica legatum, aliquot millium armatorũ subsidia, ex Wallonibus, Hibernis, Italis & Helvetis [neutiquam Gallis jam pridem odiosis] collecta; quorum tamen exigua spes erat, quòd ipsamet illis indigeret Gallia. Nec minus pungebat inopinatus Sabaudiæ Ducis ad Cæsarem & Confœderatos accessus; novus hostis tantum Hispaniæ quantum Galliæ metuendus. In his aulæ & negotiorum turbationibus & consiliariorum dissensionibus Cardinales ambo Estreus & Protocarerus aulam fugiebant, & Andegavensis Ducatum Modenensem fisco subjicit, quòd Dux ejusdẽ Austriacas foveret partes.

In Languedocia Galliæ provinciæ Reforma-

ti seu Hugonottæ gravioribus exhausti exactionibus, tum etiam temporis & turbatæ Galliæ occasione, tum ob interdictam hucusque religionis & conscientiæ suæ libertatem rebellantes, quo crudelius à Rege reprimuntur, eò copiosiores in Catholicos sæviunt truculentiùs. Hugonottarū in Gallia, in Catholicos sævities

Gallicæ hoc anno à Villerojo & Boufleuro intentatæ civitatum Graviæ ad Mosam, & Juliaci proditiones sunt detectæ: hanc Gallus quidam cum aliis 50. ibidem captivis etiam Gallis occupatâ tumultuariè in absentia præfecti Baronis de Lubeck Dusseldorpium abeuntis arce, urbem præsidiariorum Luxemburgensium ope haud difficulter intercipere confidebat; inter complices Germanus sceleris gravitate commotus factionem aperiens, auctores quadripartiti, ceteri condignis sunt pœnis castigati. Proditiones Graviæ & Juliaci Galliæ non succedunt.

Rex Sueciæ urbem Thorunium Culmensis præfecturæ post longam generosamque defensionem, & Mariopolim deditione occupat. *Vid. num. seq.* Suecus Thorunium & Mariopolim occupat

Adrianopoli Mustapha solio dejectus illi subrogatus est Achometes frater. Mustapha throno dejectus

Hildesii civibus in magistratum ob malam reipublicæ administrationem insurgentibus, ne publici concitarentur tumultus, Dux Cellensis circuli præses & urbis tutor, præsidium 1500. militum urbi imposuit, contradicente Capitulo, & de læso territoriali suo jure Ratisponæ & Viennæ apud Cæsarem conquerente: Elector quoque Brandeburgicus sibi per hoc præjudicari asserens, urget militis demissionem: Re tandem utrimque per Ducem Cellensem composita, re- Hildesii discordiæ sopitæ.

novatoque magistratu, impositum Dux militem reducit.

Reformati ad consiliũ Ratisponense admittuntur.

Ad imperiale Ratisponæ Collegium Cæsaris hoc anno consensu (urgente illud imprimis Electore Brandeburgico) reformatæ religionis consiliarius, Fridericus Carolus Danckelmannus est admissus, quod solis hactenus concessum erat Catholicis & Lutheranis, exclusis Reformatis, sed cum Osnabrugensis pacis tractatu *art.7.* §.7. eodem debeant jure Reformati gaudere, ab imperiali-aulico consilio excludi non posse demonstrabant.

Eodem hoc anno Viennæ variolis consumpta obiit Maria Josepha Archiducissa Austriæ, anno ætatis suæ 18. ac duobus Cæsar liberis intime sibi charissimis uno hoc anno est privatus.

Annus 1704.

114. Nonis Septembris nomine & titulo ablegati insignitus Adrianus Seghed Abyssinorum, seu Æthiopiæ Imperatoris Romam venit, & Josephus ex ordine reformato S. Francisci epistolas & munera Clementi Pontifici oblaturus, quibus rogabatur, ut Principem ejusque populos uniret Romanæ Ecclesiæ, & in Æthiopiam presbyteros mitteret, quibus ad pleniorem doctrinæ & rituum Romanorum informationem uterentur. Annuit Clemens, & propriâ manu paucis inde diebus solemniter unum ex Abyssinis baptizavit, qui cum Patre Ablegato venerant; suasque ad imperatorem literas, affectûs, & gratulationis plenas, cum reciprocis muneribus, & bono sacerdotum numero remisit.

VIII. Idus Decembris Rex Ludovicus immissis

missis Mutinam copiis fisco suo addixit quidquid juris Ducis Mutinensis erat, & à magistratibus & populis sacramentum subjectionis sibi dici imperavit, eo quòd Dux Archiducem Carolum Hispaniarum Regem agnovisset. Dux eventura prospiciens Bononiam se subduxerat cum conjuge & liberis; unde postea Romam se contulit, ubi Clemens Pontifex aliquamdiu inutili operâ laboravit, ut Ducem Regi reconciliare. Sub id temporis idem Ludovicus Ducatum Lotharinringiæ occupavit: & quod Civitas Coloniensis, cui sicut & Lotharingiæ Ducatui neutralitas fuerat concessa, Cæsareis copiis transitum, & aliquot ad bellum subsidia promittere, & permittere coacta fuisset.

Erupit circa primos hujus anni 1704. dies in Scotia conjuratum inter multos Magnates fœdus, pro restituendo in paternam dignitatem Jacobi II. magnæ Britanniæ Regis filio. Sed detectis consiliis varii ex conspiratione in carceres abducti sunt. Propositum igitur est Gentem Scoticam proprio exuere parlamento, & illam Anglicis legibus ex integro, conflatâ unâ ex duabus gente subjicere.

415. In fine anni præcedentis Rex Sueciæ suum Mariæburgo in Borussia exercitum traducit Elbingam, ultroneam urbis postulans deditionem: hæsitantibus ad hæc civibus & magistratu, demum ægrè consentientibus Rex urbem cum aliquot legionibus ingressus ultra 410. Imperialium millia pro condonatione incendii, ære militari & contributionibus exegit, denudat cives armis, deposita ibidem Polonorum

Elbingam Suecus occupat

rum & Saxonum bona & facultates confiscavit: & cùm cives aurum, argentum totamque suam substantiam ad curiam detulissent, vix tertiam exactæ pecuniæ summam attingebant.

Augustus interim Rex Poloniæ dum in Saxoniam cursim ad provincialem ibidem properat conventum: & Palatinus Culmensis designatus ad aulam Moscoviticam legatus contra Senatorum mentem cum 600. equitibus Czaaro donandis proficiscitur, institutus 13. Januarii Varsaviæ confœderatorum conventus incipit, in cujus prima sessione Cardinalis Primas regni Radziocowskius, & pauci senatores comparuêre confœderati, ideoque ob Suecicorum commissariorum absentiam est dilatus: in quo omnium opinione Augustum Regem throno dejecturi, aut coacturi, ut Electoratum Saxonicum in filium hæreditarium transferat: quod si negaret, facturi Rokoschum, hoc est, omnem Augusto Regi renuntiando fidem & obedientiam, alium throno Regem introsuri essent: quod quamvis Suecicus Residens Wachschläger omni modo & studio omnibus Regni senatoribus suaderet, persuadere tamen non potuit. Ne verò Augusti absentia locum daret interregno, amicorum suasu & consilio illicò rediit in Poloniam: imo Castellania Nur suis destinatis ad Varsaviensem conventum commissariis causam Regis ac Reipublicæ singulariter commendavit, utque intolerabiles Suecorum exactiones tollerentur, vi aliàs & armis repellendæ: à solo namque Wärmlandensi episcopatu præter hybernorum sumptus 320. florenorum millia.

Confœderatio Varsaviensis contra Regem.

Suecorū exactiones.

millia, majoremque à palatinatu Massoviensi summam exigebant, arma propterea in Suecos arripientes. Dumque Rheinscildum Suecorum Generalem cum exercitu Cracoviæ audirent appropinquare, majori illam præsidio Polono-Saxonico confirmarunt. Nec minus metuebant non exigui in monte roboris Czenstokovæ, ubi dives annonarium, & ingens servatur B. Mariæ V. thesaurus, Lauretano in Italia haud dissimimilis: duo igitur millia Rusticorum ad ultimum vitæ spiritum se defendentium in præsidium admiserunt, uti quondam etiam Carolum Gustavum Suecorum regem rejecerunt.

Augustus throno dejicitur

Varsaviæ interea temporis Cardinalis Primas (quamvis præsentissimum prævideret, palamque prædiceret regni excidium) & Palatinus Posnaniensis cum octo circiter palatinatuum deputatis initam contra Augustum regem confœderationem subscriptam, juramento 16. Februarii 1704. confirmant, absolvuntque omnes & singulos regni senatores, ministros & indigenas à fide & obedientia Augusti regis, legum prævaricatoris; illum, & omnes illi adhærentes patriæ hostes declarant, & interregnum publicando, novam à Primate electionem postulant instituendam; hujus deinde confœderationis acta per duos deputatos notificant Palatinatui Sendomiriensi approbanda, longò aliam pro Rege Augusto & religione catholica confœderationem fabricanti.

Jacobus Sobiesregni candidatus capitur.

Porro Rex Sueciæ publico per Poloniam manifesto notificat, suadetque Jacobum Sobieskum, Joannis recens defuncti Regis filium in

in thronum elevandum ſuadet, à ſe, ſuiſque armis contra omnes adverſarios fide regiâ defendendum & manutenendum. Quo factum, ut Auguſtus prædictum Jacobum læſæ majeſtatis reum, & Conſtantinum (hic innocens ultroneè fratrem comitatus) Uratislaviâ Olaviam tendentes, in itinere captos traduxerit Lipſiam Pleiſſenburgum: Jacobus namque Polonicam occultis machinationibus ambiens coronam, à Cæſare licet dehortatus, ad Varſavienſem tamen confœderationem, de Auguſto coronâ & ſceptro privando agitantem, jam jam properabat. Hanc fratrum ſuorum captivitatem Alexander protinus Varſavienſi ſignificans confœderationi petit ſubſidium, quæ haud parum ideo offenſa, ſubſidiales Suecorum urget tractatus. Hiſce omnibus nihilominùs poſtpoſitis pars regii exercitûs Auguſti regis factionem ſecuta Sendomirienſi ſe conjungit palatinatui & confœderationi, quæ contrariis Cracoviæ reſolutionibus Varſavienſis congreſsûs & confœderationis acta omnino annullat, perjurii & perduellionis condemnat, paratque pro Rege defenſionis arma. Clemens XI. præterea graviſſimis literis & rationibus Cardinalem Primatem à tam periculoſa, & ad totius regni ac reipublicæ ruinam, religionis catholicæ exitium, regiæ majeſtatis contemptum, libertatis excidium, & tot animarum perditionem præſentiſſimè vergente confœderatione eſt dehortatus. *Vid. num.* 455. Speciosis ſe quidem literis Cardinalis apud pontificem excuſavit, nec tamen à perniciosiſſima contra Auguſtum deſtitit conſpiratione, quamvis

Sandomirienſis palatinatus ſtat pro rege.

vis abs Nuntio Apostolico Spada iteratò admonitus; sed cum rege Sueciæ hos iniit tractatus. 1. Promittit Rex Reipub. Poloniæ promissam securitatem sine ulla provinciæ aut reipub. dismembratione. 2. Declarato interregno, & novo Rege electo coronatoque suum regno militem educet, mutuoque dabit polonicæ militiæ 50000. florenorum. 3. Quidquid conjuncto utrimque exercitu fuerit conquisitum, Poloniæ remanebit. 4. Captivos omnes Suecus liberos dimittet. His ita pactis publicatum interregnum, & gravium exactionum remissio à Sueco expetita.

Pacta Polono-Suecica.

Econtra Augustus Rex Poloniæ publico Manifesto hanc Varsaviensem Card. Primatis confœderationem perjuram & perduellem declarat, cujus impias contra se machinationes Cæsaris, & Rom. Imperii subsidio se eversurum confidit: Senatores, ac regni status Sandomirum ad comitia convocat, eisque omnia pacta conventa, contentaque in diplomate Lubliniensi, Reipub. insuper libertatem, immunitatem ac securitatem, leges patrias, privilegia, statuta, & Romano-Catholicam religionem juramento confirmat, nec unquam regnum & rempub. deserturum, & securitatem ejus corroboraturum sanctè appromisit &c. suumque eo loci quamprimum contrahit exercitum.

Augusti in Comitiis juramentum.

416. Rex autem Sueciæ missis Varsaviam commissariis Hornio & Wachschlägero tractatus Olivienses renovat, novique panguntur, ut pax, quies & securitas reducantur, & mutuum inter se fœdus confirmant. Tunc per universalia

in

in Polonia parvi dies comitiales, & Versaviæ 19. Julii nova Regis electio indicantur, cujus etiam confœderationem urbs Dantiscum Polono-Borussiæ metropolis, summâ Sandomitiensium offensâ est amplexum.

Nova Regis electio publicatur.

Adpropinquarat jam duodecima Julii dies, qua Varsaviæ 56. Electores cum Card. Primate, ac ipsomet regiæ coronæ candidato (contra antiquam reipub. consuetudinem) ad novi regis electionem convenerant, & postquam meridionassent, in consueto extra urbem electionis loco multis rixis, contentionibus & tumultibus ad solis usque occasum Cardinale Primate absente (qui in diem 14. electionem prorogaverat) minaciter invicem disceptabant: quidam enim sine Primatis præsentia & denominatione nullam fore & irritam; alii Cujaviensis ex more præsentiam sufficere, & hanc supplere posse denominationem contendebant: plures liberam inter arma, & hostiles Saxonum & Suecorum exercitus electionem fieri posse negabant: alii necdum indicto electionis die apparente, absentibusque adhuc pluribus palatinis & senatoribus necessariò concurrentibus impossibilè regem posse eligi, coacte sibi ab aliis præscriptum & quasi intrudendum protestabantur: Post varias demum minas & mutuas contradictiones, sed Podlachiensium imprimis Deputatorum protestationes Brornikowskius super onerosissima & importabilia Saxonici & Suecici exercituum gravamina & exactiones excandescens, nomine omnium majoris Poloniæ Palatinatuum eligit altâ voce & voto in

Re-

Regem Poloniæ Stanislaum Leschinckium Palatinum Posnaniensem, protestantibus econtra deputatis Podlachiensibus, & dissentientem confœderationem Sandomiriensem opponentibus: quorum ad hoc consensum episcopus Posnaniensis dum tertio frustra postulasset, ipse aliquoties ab aliis rogatus, horâ decimâ noctis denominat & proclamat Stanislaum Leschinckium in Regem Poloniæ, contradicentibus iteratò Electionis mareschallo, Deputatis Podlachiensibus, & aliis inde abeuntibus. Neoelectus Rex eâdem adhuc nocte ad templum Varsaviæ deductus, & ab infulato ibidem episcopo Posnaniensi exceptus, benedictus, congratulatus, & loco absentis regni mareschalli à Varsaviensi Canonico Leib proclamatur *Vivat serenissimus Stanislaus I. Rex Poloniæ.* ætatis 26. annorum. Sub ipsa Regis denominatione, & aliorum protestationibus Varsaviensis confœderationis mareschallus altè exclamans: *Nostra hic, cujus nobis tanti interest, perit libertas, pedum igitur mareschalli depono, & Deum invoco vindicem*, se contulit ad Card. Primatem, illegitimæ electionis seriem expositurus. Dicitur autem Primas à Rege Suecorum ad consensum sub archiepiscopatûs sui direptione fuisse coactus; alii ex condicto cum Sueco scenam ajunt simulanter peractam, ideoque paulò post Card. Primas, electionis mareschallus, & præcipui tunc dissentientes & protestantes aliorum mediatione neoregis partes amplexi eidem sunt congratulati; & Suecorum Rex postridie literis eidem felicitatem precatus, obtulit in sui defensionem decem ar-

Leschinckius Rex eligitur.

matorum millia, atque ad confirmationem electionis coronationisque sex in ære milliones: hanc autem coronationem aliis urgentibus Card. Primas ad ceterorum palatinatuum consensum suadet differendam, consulitque pacta inter rempublicam Poloniæ, Regem Sueciæ & Neoregem, commissariis ex parte Sueciæ Wachschlegero & Palmentino, ex parte Poloniæ palatino Sieradskio & Castellano Inowroilovio assumenda, Neoregi equidem difficulter adimplenda. His auditis Augustus Rex suum Sandomiriâ exercitum in Russiam Tarnagrodum ducens, jam tertiò armorum universalia per universam indixit Poloniam, rogavitque Romani Imperii Reges & Principes, ne Stanislaum Leschinckium Poloniæ regem agnoscerent, nec ejus admitterent notificationem; sed suam contra imminentem Suecorum in Saxoniam irruptionem defenderent, mutuam vicissim suo tempore Imperii Rom. contra hostes suos defensionem appromittens. Russorum Imperator Czaarus audiens novi regis Poloniæ electionem, graviter offensus, dicitur ex vindicta Livoniæ comitem Livium in Regem Sueciæ declarasse, & in ejus tutelam decem armatorum millia appromisisse. Præludium fortè Regis Sueciæ, ut qui Augustum regio dejecturus throno, de suo perichitaturus sit: nam pauco pòst tempore ab eodem Czaaro ad internecionem cæsus, fugiens in Turcicam ultra annum regno suo privatus ibidem delituit; permissus tandem ad sua redire à quatuor Regibus Daniæ, Poloniæ,

Czaarus Livium Sueciæ regem declarat.

Bo-

Borussiæ & Russiæ ad summas anno 1715. redactus est angustias.

Porro Sandomiriensis confœderatio, & regni Poloniæ status datis ad Cæsarem & Imperii Rom. Principes literis, imo publico etiam Manifesto coactam à Suecis, & aliquot Palatinorum ambitione Leschinckii electionem irritam, nullamque, jurium & libertatis statuum violationem, & Palatinum Posnaniensem Leschinckium patriæ hostem declararunt: major autem Polonia Augustum verum & legitimum Poloniæ Regem agnoscit. Qui audiens Suecum magnis Sandomiriam passibus ad suî oppressionem approperantem, incredibili velocitate Varsaviam cum exercitu præter omnium expectationem 1. Septemb. venit (unde Cardin. Primas & Leschinckius cum familia magnâ consternatione jam tum in Borussiam effugerant) & occupata quatriduo per deditionem urbe & arce, intercipit 500. Suecos, episcopum Posnaniensem, & Suecicos commissarios Hornium, Palmberg, & Wachschläger. Generalis deinde Brand Latowiciæ 700. Suecos in tributorum collectione offensos aut cædit, aut captivat omnes, atque adeo Augusti exercitus ad 20. millia excreverat; Leschinckius vero cum 65. Polonorum vexillationibus, & 5. Suecorum legionibus an Saxoniam invadere, an Suecus Leopolim adveniens Augustum impetere, an verò invasæ à Russis Livoniæ vellet succurrere, tunc dubitabatur; tandem hic Leopolim in minori Russia, exigui roboris urbem armatâ capit manu cum Palatino Calissiensi præfecto, pluribusque tribunis

Sandomiriensis congregatio Augustũ Regem confirmat, rejicit Leschinckium.

Augustus Varsaviam capit.

Suecus Leopolim.

& 140. tormentis bellicis, destructis omnibus, quæ secum conferre nequibant; cives ignis & direptionis condonationem 300000. Imperialium redemerunt; urbis tamen pars improvisò postea deflagravit. Lôwenhauptus etiam Suecorum archistrategus 6. Augusti cum Wisniowickio collisus, 2400. Lithuano-Moscos prostravit, captis 28. tormentis, & 40. signis equestribus & pedestribus. Econtra tribunus Pflug Schlippenbachium Suecum devicit, & Czaarus validam Estoniæ urbem Dorpum cum arce, universitate, & supremo Livoniæ dicasterio seu cancellariâ celebrem deditione, & Narvam armatâ manu occupavit, de quo infra *num*. 439. Deinde Czaarus cum Poloniæ repub. & Rege Augusto hoc off & defensivum fœdus contraxisse dicitur: ut plena sit inter utriusque partis Generales harmonia: pax vel armistitium absque utriusque partis consensu non conficiatur: loca per General. Pallesum in Ukrania occupata restituantur: Livoniam si Czaarus interceperit, Polonis restituet: idem Czaarus subsidium 12. armatorum millium cum necessario bellico apparatu suis sumptibus Polonis submittet, polonicoque exercitui annuè dabit millionem, prætet illud quod Augusto est traditurus: sicque expulsis ex Polonia Suecis in hostico illos simultaneâ ope persequentur. Fœdus hoc ideo pactum & evulgatum dicitur, ut Suecus ad pacem facilius compelleretur.

Moscus Dorpū capit & cum Polonis transigit

Porro Augustus Rex Card. Primatem cum suis confœderatis in Borussiam fugitivum persequendo, Brandeburgus ne ad suæ Borussiæ

fines

fines belli sedes transferretur, cum 30. circiter armatorum millibus eo approximavit, ut partes belligerantes ad pacem Anglorum mediatione disponeret, nolentem compelleret. Pontifex interim Augusto decimas omnium in Polonia clericorum proventuum permisit, simulque Card. Primatem, & episcopum Posnaniensem Romam intra trimestre citavit, rationem suæ in Augustum confœderationis & electionis regiæ redditurus; quos tamen Nuntius Apostolicus omni modo pontifici reconciliare conabatur.

Pontifex Card. Primatē citat Romam.

418. Suecus captâ Leopoli, ex minori Russia, peste infecta, Varsaviam cum Leschinckio, episcopo Leopolitano & Reinschildo 20. Octob. reversus audiens Augustum Cracoviam abiisse, & saxonicum suum peditatum, terque mille equites sub Schulenburgo in Borussiam misisse, hos tumultuarie insecutus in itinere hinc inde carpit: duobus autem à Silesiæ finibus milliaribus prope Punitz eum assecutus cogit ad conflictum, in quo Rex alâ sinistrâ, dextrâ Leschinckius Schulenburgum Saxones generosè adhortantem irruit, & Saxonicum equitatum itinere fessum, & numero imparem cum suo 8. millium equitatu circumcingit; Saxonicus autem peditatus incredibili pugnans fortitudine quatuor omninò vicibus Suecos repellit & fugat, & obtentis aliquot signis & tympanis, perruptoque magnâ vi equitatu, amissis aliquot impedimentis fugit Guraviam in Silesiam: ubi insuper eos Suecus est insecutus, & nisi Schulenbergus 5. vulneribus saucius, ideoque ad certamen ineptus, inde se tempestivè proripuisset, ad interecio-

Suecus Saxones insequitur & cædit in Saxoniā fugientes.

necionem cæsus fuisset. Cæsorum utrimque par fermè erat numerus 2000. & uterque sibi arrogabat victoriam; Saxones peditatu Suecos, & hi equitatu Saxones devicerunt, hisque ultra Viadrum in Silesiam pulsis, Posnaniam obsidione liberant, quam Saxonum Generalis Brand longâ arctâque cinxerat obsidione, & jam muris latè patefactis decretorium parabat insultum, cùm ecce adest Smigelskius referens Suecos Schulenburgum persequentes approximare: deserens igitur obsidionem succurrit Schulenburgo Saxoniam repetentem: quo etiam nuper Varsaviæ captivi consiliarius Wachschläger, Secretarius Reuterholm, Vicecancellarius Palmberg, duo Lubomirskii principes in singulares translati sunt custodias. Leschinkius autem post prædictum conflictum publico manifesto totam polonicam nationem ad suî obedientiam, Saxonum Moscorumque è regno communibus armis expulsionem, & ad pristinæ libertatis restitutionem defensionemque exhortatus invitavit: imo Costini ad 16. Decembris ex plurium palatinorum erga se affectu & favore magnam coronationis suæ spem concipit.

Sobieskios captos Augustus dimittit.

Ceterùm Augustus Rex recepto Cracoviæ in gratiam regni mareschallo Lubomirskio inde decessit in Saxoniam, ubi Lipsiæ captos duos Sobieskios principes invisens, interventu Cæsarei legati Comitis Stratman, sub fide & stipulatione polonicis negotiis & bellis se neutiquam immiscendi, liberos dimisit, cum spe assequendi à Cæsare Styriæ præfecturam; junior vero Constantinus Romam ad matrem est profectus. Carolus

volus Suecorum Rex assignatis suo exercitui in majori Polonia hyberniis graves ibidem contributiones de singulo camino 7. Imperiales rigidè exegit. Ambitiosa à plerisque censetur hujus Caroli in hoc bello temeritas, qui, ut ipse fassus, ne latum quidem unguem in regno polonico desiderans, tam exitiali periculosoque se tamen implicet bello, regiam suam personam, familiæ & stirpis suæ ultimam præsentissimo sæpius exponat discrimini; meritò pacificâ sive Leschinckii sive Augusti, id ambientis vicinitate contentus; nunc autem deserto suo regno, occupatis & exhaustis ab hostibus Livonia, Ingria & Carelia regni sui panariis, commerciis cum aliis regnis & provinciis, tum ob belli hujus atrocitatem, tum ob pestis Leopoli Varsaviam usque grassantis sævitiem impeditis, aliena curet negotia sibi perniciosissima.

Sueci Regis temeritas.

419. In extremum quoque hactenus ubique discrimen & præcipitium adducta est Domus Austriaca, & Romanum Imperium: nam Orientem versus imminebat ingens Rebellium indies accrescentium multitudo, & insanus furor, ad Viennæ usque mœnia incredibili ubique tyrannide effusus, & in suamet regni viscera debacchatus, ut in sua vix Cæsar & Rex Josephus residentia essent securi; In Germania & ad Rheni tractum omnia Gallo-Bavarorum votis respondebant, subjugatisque Sueviâ & Franconiâ ad ruinam cuncta inclinabant: universa Sabaudia sub Gallorum gemebat potentia, præterquam unum Montmelianum, quod armis arctissimè gallicis adhuc cingebatur: occidentem ver-

versus Dux Andegavensis Hispanicæ monarchiæ possessionem involaverat, & submissâ armorum potentiâ, dynastarumque consilio & favore ita firmaverat, ut abs Carolo Austriaco vix ejici posse crederetur, qui quarta prioris anni Novembri Hagam Comitis adveniens, iter in Angliam maturaturus, adversis ventorum tempestatibus ad 4. usque Januarium ibidem detentus, eodem inde die sub firmo classis batavicæ præsidio Portsmudam 6. Januarii appellit: inde per deputatos Ducem Sommersetum, Devonschitum, & Marleborugum deductus Petworthum à Daniæ Principe Georgio, & Windsorii ab ipsa Regina Anna incredibili gaudio, & omnigeno officiorum genere exceptus, & ab eadem 50. librarum sterlingarum millibus, totidemque in cambialibus literis Ulyssibonæ solvendis donatus Portsmudam rediens, inde validâ Anglo-Batavica classe 150. navium tum militarium tum vectoriarum sub architalasso Roock, & Duce Schombergo cum 1000. desultoriorum & octo peditum millibus decimo septimo Kalendas Februarii prosperis Ulysabonam versus ventis abnavigat; jamque ultra 30. milliaria Siburum transvectus insulas horribilis illum maris tempestas (quæ & totam turbabat Europam) in sinum rejicit Torbaicum, qua in tempestate imperterritum Caroli in superioribus navis foris seu pergula, absque ulla nausea consistentis animum neque decumani maris fluctus, nec aquarum montes & vortices, omni naufragium momento minitantes, nec terribiles undarum sonitus & impetus navigii latera con-

Carolus III. navigat in Angliã & Lusitaniam.

Imperterritus in tempestate Caroli animus.

conquassantes, nec procellarum multitudo navem continuo involventes, nec horrisonus ventorum nubiumque concursus & conflictus in navigii quasi submersionem & jacturam conspirantes potuerunt permovere, ut ob præsentissimum periculum Roockii rogatu ad interiora navis descenderet, sed ut suâ remiges & navarchos animaret præsentiâ, & indefessum eorum laudaret promoveretque laborem, qui tam sollicitam fidelemque suî causa præstarent operam, pedem loco non removit: levatis demum 24. Februar. anchoris prosperis deinde ventis 8. Mart. in portum Ulyssiponensem appulsus, magnifico regioque per Regem Portugalliæ acceptus est apparatu & gaudio (quamvis ejusdem filia Theresia Josepha Carolo sponsa destinata 16. Februar. non sine exiguo utriusque regni mœrore vitâ fuerit defuncta) non urbs modò tota 30. domorum millibus splendida, sed omnes in flumine Tago diversarum nationum naves jovialibus festivè ignibus, & sacra urbis templa triduana campanarum compulsatione applaudebant; populus verò intimè Carolo devotus præ gaudio effundebatur in lacrimas: immo in navigationis cursu candida alauda iterato in prætoriæ Carolinæ navis malo requiescens, demum capta boni ominis nuntia Carolo fuit oblata.

420. Rebus ita constitutis Petrus II. Rex legatum gallicum, March. Chauteauneufum Ulyssiponæ & Lusitaniæ regno exire jubet, qui cum suis adhærentibus iteratò monitus licet invitus 8. Mart. in Hispaniam Badajos abit, & Carolus

Suum in Hispania manifestat adventũ

rolus ſuum publico in Hiſpaniam Manifeſto evulgat adventum, ſimulque ad debitam ſibi provocat obedientiam & ſubmiſſionem; refractarios vero, & Andegavenſi Duci adhærentes tanquam regiæ majeſtatis reos ferro & igne perſecuturus comminatur; quæ literæ per Seviliam, Granadam, Corduam aliasque diſſeminatæ provincias haud levem Andegavenſi incutiunt terrorem, qui Hiſpanorum, ut ſibi devinciret animos, & abs Carolo abſtraheret, ad conſtantem avitæ Catholicæ Religionis defenſionem [cujus ipſi ſunt ſtrenui æmulatores] contra imminentium hæreticorum invaſionem adhortatur: & ut aliorum, præſertim Arragonum ſibi admodùm adverſantium declinaret odium & invidiam, Regem ſe Caſtiliæ, Portugalliæ & Algarbiæ, non Hiſpaniæ totius (uti Carolus faciebat) indigitat: quia prætèrea facile ſibi perſuadere poterat plures Auſtriacos apud Mariam Annam P. Neoburgicam, relictam Caroli II. viduam Toleti clam deliteſcere fautores ſolerter obſervandos, illam humaniſſimè Madritum ad ſuam invitat uxorem Philippus, de regni negotiis cum illa conſultaturus; illa cautior ob præſentis temporis conjuncturas admodùm periculoſas ſe excuſatam volens fraudem eliſit. Ille interim perluſtratis limitaneis Portugalliam verſus Hiſpaniæ urbibus & munimentis, habitoque Alcantaræ & Albuquerqui armiluſtrio, bellum Carolo Hiſpaniæ, & Petro Luſitaniæ Regibus denuntiat, quod hic viciſſim Philippo indicit; ille verò, Carolus, novo per Vice-talasſum Laacke militari confirmatus 13. Mart. ſupple-

Indicit Andegavenſi bellum, & hic Carolo & Luſitano.

plemento, antequam in campum progrederetur, singulari munificentiâ Architalassos, naucleros, navarchos, cæterosque classis officiales, pro strenua navigationis industria & labore suî causâ exantlato, regiis mactavit præmiis. Tunc ambæ regiæ majestates mense Majo cum justo exercitu sub Archistratego Schombergo, Eboram progressæ, avocatoriis primùm mandatis Hispanos subditos ad sua provocant castra, certa sub spe & sponsione earundem functionum & militarium officiorum, quibus in Andagavensis functi fuerant castris; qualiter & Schombergus ob reformatam religionem ex Gallia quondam in Angliam profugus exposcebat Hibernos, multo numero Gallorum castra, ob Regem suum in Gallia exulem, secutos: nec irrita fuit provocatio; multi enim, imo totæ vexillationes ad Carolum & Lusitanos transfugerunt, quos dynastarum plures forent secuti, nisi carceris & mortis eos retraxisset metus; eos namque certò manebat incarceratio, in quos vel minima cadebat suspicio, Philippusque diffidens Hispanis, Esti eo, & Gallis tutiùs, non sine exigua illorum displicentia, se credebat, ut Protocarerus neglectus & ingratitudine offensus aulâ, regnique negotiis abstinuerit, magnus licet regni Inquisitor à Philippo Pontificis consensu fuerit declaratus.

Plures ad se avocatoriis allicit.

Protocarerus neglectus abstinet aulâ.

Galli interim expeditione priores Salvaterram, ignobile in finibus Lusitaniæ oppidum, 30. munitum præsidiariis deditione capiunt [7. Maji] uti & paulo post Seguram & Montfortinum; alibi Tserclas Tillius irrito tentata Aronche, Portalegrum, haud procul Elvasio, invadit,

Galli Lusitaniam invadunt.

dit, & incensâ turri pulverariâ præsidium 1000. Lusitanorum & 400. Britannorum discretioni Gallorum se submittit; cives verò 150. scutatorum millibus urbis redimunt direptionem. Marchio deinde Villadarias Mouram, Serpam, Pena-Mocor & Castelbrancum haud levis momenti munimentum ultroneâ deditione, vel ut alii, proditione, intercipit cum ingenti bellico apparatu, commeatu, & Lusitani Regis Caroli-que papilionibus, quasi sedem hic belli fixuri fuissent. Sex interea Gallorum millia 700. Britanno-Batavos ad pedem montis Sarzedæ sub Generali Welderen considentes, quòd Fageli imperio non maturius pedem retulissent, hostium multitudine circumcinctos in suam redigunt potestatem: unde haud exigua Madriti exorta est ovatio, quam paulò post Ronquilli turbavit profligatio: Marchio enim Das Minas Portugallorum in provincia Beira gubernator & archistrategus cum exercitu 15000. Lusitanorum in campum 2. Jun. progressus, Comitem S. Joannis cum 700. equitibus, totidemque pyrobolariis ad oppidum Fuentem-Grinaldum, quo Argentaonis incolæ [vallis in regno Castiliæ ditissimæ & fertilissimæ] sua deportarant pretiosa, invadendum destinat, qui primo impetu urbem capiens in prædam militibus cedit; hinc Franc. Ronquillo provinciæ gubernator cum 300. equitibus Rodrigo, Castelbranco, aliisque oppidis relictis in Castiliam fugit: Das Minas autem arcem Monsantum cingens dum Ronquillum subsidio succurrentem audit, obviam cum indigenis, Gallos ob exercitam in se crudelitatem

Variæ utrimq; velitationes & occupationes urbium.

litatem ubique trucidantibus, progressus profligat, cæsis 300. [alii 500.] obtentisque impedimentis, apparatu bellico & signis 6. equestribus; rustici insuper 1500, per montes & valles eos insecuti 118. equos deprædati, ad finem mensis Augusti Joan. Alencastro Barcarotam oppidum intercipit, & persolutâ militari collectâ in fidem Caroli III. recipit. Philippus econtra Castellum la Vide terno vigoroso impetu frustra fere 1000. suorum cæde aggressus primùm debuit abscedere; postmodum vero Marchionis d'Aytona potestati se permittit vi coactum. *Vid. num.* 440.

421. Princeps interea Hasso-Darmstadiensis navali expeditione in Cataloniam cum classe circiter 50. navium sub Architalasso Laccke ad Barcinonem pauco tunc munitam milite invadendam destinatur, clandestinâ civium, Emanuelis Toleti imprimis factione & correspondentiâ, introducto per Angeli portam milite certò occupandam: pyrobolis quidem urbs dum flagellatur, detecto factionis auctore Darmstadiensis irrito discedit conamine. *Vid. num.* 441. Quo infelici expeditionis successu, & citra spem, pactumque armorum, bellicique apparatûs in Portugallia defectu turbatus Carolus, nisi auctius à Confœderatis suppeditaretur subsidium, de ulteriori dubitabat armorum progressu, quòd Barcinonem fixam regni sui sedem constituerat, ita nunc frustratam. *Vid. num.* 441. Sed ecce Kalendis Augusti validiori adsunt classe Dux Darmstadiensis, Architalassi Roockius & Callenbergus, & Gibraltarum obsidione cingunt

Darmstadiensis Barcinonē spe frustratus Gibraltarum capit.

gunt, moxque Capitaneus Whitakerus portum involans navem 12. tormentis munitam incendit, tantoque urbis aggeres irruunt impetu, ut ſex horarum ſpatio 15000. tormentorum fulminibus omnes inde balliſtarios & præſidiarios abegerint: tum Capitanei Hickes & Jumper cum ſuis munimentum ſeu molem, meridiem verſus, invadunt, efflatoque ibidem per præſidiarios cuniculo, molem diruente, capiunt, cæſis ſuorum 40. læſisque 60. alterâ denique die, 4. Auguſti, ſpontaneam præſidiarii offerentes deditionem, militari honeſtoque more, relictâ copioſâ annonâ, bellico apparatu & C. tormentis liberè cum tribus colubrinis demittuntur.

Darmſtadienſis urbis gubernator validioribus eam mox vallis firmat & propugnaculis; utpote primum confœderatorum portum, & in Hiſpaniam aditum, cautè conſervandum; ad quam unicus & anguſtus terrâ datur acceſſus, paucis contra totum exercitum armatis defenſibilis. Andegavenſem pupugit hoc vehementer; quare Baronem de Pointis cum claſſe 19. navium & 3. armatorum millibus Villadariæ exercitui conjungendis eo deſtinat, & 4. Octobr. acriter impugnat: quo mature per Darmſtadienſem ad Confœderatos delato, in ſubſidium Laackius claſſe 21. navium provolans, novum urbi commeatum infert & militare 800. præſidium, Gallis inde incenſis 4. ſuorum navibus, ne hoſtium cederent poteſtati, diffugientibus. Andegavenſis ex de Pointis relatione oppidi debellationi diffidens plura illuc ſubmittit ſubſidia; quibus

Quod Galli impugnantes rejiciuntur.

bus Villadarias quidem monticulum urbi vicinum depulsis præsidiariis occupaverat, sed mox ducentorum strage à pyrobolariis rejectus, decretoriam non ausus est in murum variis hinc inde fatiscentem ruinis tentare impressionem, quia varios recessus, aggeres & loricas magnâ Darmstadiensis substruxerat industriâ, ut recuperandi spes superesset exigua, nisi dolus suppleret & proditio, qua duo in urbe sacerdotes sub militari habitu subornati plures induxerant centuriones ac milites, ut re jam ferè, ut ajebant, desperatâ, Darmstadiensi persuaderent, ut eductis bellicis machinis, eversoque oppido discederet, idque conceptâ scripturâ aliis communicaverant; hæc casu in platea noctu delapsa, à circitore principi oblata est, qui proditionis complices, publico in hostium conspectu supplicio afficiens, irritam demonstrabat spem proditionis. Nihilo tamen minus Villadarias recenti De Pointis classe, & 4000. auxilio confirmatus, turrim Pate indigitatam militibus unâ Crucifixum, & alterâ manu gladium gestantibus irruit, occupat; sed factâ paulò post excursione cæde & læsione 800. repelluntur, novoque tumultuariè extructo aggere ingentia obsessoribus inferunt detrimenta. Hæc enormis militum ex insultibus jactura magna fuit inter Villadariam & Marchionem de Thony discordiæ (quã unus alteri imputabat) causa, ut Andegavensis Marchionem de Thesse submiserit oppugnationis moderatorem, quæ jam tum ab Octobri in sequentis anni Martium, propter martiam Darmstadiensis defensionem excurrerat. Villadarias

Fortius Iteratò impetitur à Thesseo

ac-

accessu & præsentiâ Thessei sibi præfecti offensus, cùm à Philippo, tum à Ludovico demissionem petens castris excedit. Thesseus interim acerrimè oppidum tormentis flagellat, sed generalem, urgente licet de Pointe, impetum hactenus recusabat, aut qua de causa, nescio, differebat, cujus oppugnationis exitum [summi revera momenti] totus suspiciebat orbis; hinc Britanno-Batavi validam 35. navium classem Ulyssibonâ, illuc sub equite Laacke expediunt, qui 21. Mart. in ipsum Gibraltari portum maris tempestate spe hostem circumveniendi opportunè jactatus, dum audit hostem eadem inde tempestate ad portum Carnerum abreptum, ibidem super anchoras stare, ocyssime eo velificatus tres Gallorum naves post duarum horarum pugnam capit, elapsas De Pointis prætoriam, & alteram Le Lis in brevia allisas & rimosas exemptis tumultuariè classiariis ipse Pointis, ne hosti cederent, incendit; & magnæ profectò erat felicitatis cæteras naves gallicas tempestate fuisse dispersas, certa aliàs hostium præda futuræ. Fusis ita fugatisque Hispano-Gallis Laackius Gibraltarum renavigans, postquam re frumentariâ, bellico apparatu, militari subsidio, aliisque abunde providisset necessariis, hostem ulterius insecuturus, offendit neminem, suis cautè latibulis inhærentem. Rebus taliter constitutis obsidionem Thesseus quidem aliquamdiu continuat; metuens verò ne reverso victore mari, Laackio non sine ingenti castrorum jactura, & honoris discrimine vi inde repelleretur, obsidionem tanto sanguine, impensis, & tempore frustra

Laacke classem gallicam Gibraltaro depellit & naves aliquot capit.

Thesseus metu solvit obsidionē.

stra intentatam solvit, magno Caroli & Confœderatorum gaudio & emolumento, maxime autem Gallo-Hispanorum per Europam dedecore & detrimento; sed summa & æviterna Georgii Ducis Darmstadiensis & Laackii gloria. Est autem Gibraltarum urbs Andalusiæ in Hispania ad fretum Gibraltarium, adjacet velut insula promontorio, supernè valido castello, in utroque latere binis communita munimentis seu propugnaculis, quæ urbis portum, & in statione naves defendunt: ubi oceanus & mare mediterraneum conjunguntur; vocaturque à nautis communiter: *Via maritima*, seu die Strasse / quæ Europam distinguit ab Africa. Cæterum oppida hactenus à Gallo-Hispanis occupata Portugalli postliminiò vi, aut deserta recuperarunt.

422. Dici vix potest quantæ Gallo-Hispanis fuerit molestiæ & dolori tam inopinata Gibraltari 4. Augusti occupatio, utque maris obtinerent, aut saltem non amitterent dominium, ingenti 90. navium & 25270. epibatarum, tormentorumq; 3762. classe sub Architalasso Comite Tholoso Malagam provolant hostē Anglo-Batavicum inquisituri, qui Gibraltari sub Architalasso Anglico Roockio & Vice-talasso Batavico Calenburgo in statione hærebant; hi quamprimum 23. Aug. intelligunt Gallo-hispanicam duobus vix milliaribus abesse classem, capto militari consilio prælium decernunt tentandum, & eodem die Angli gallicam in brevia navem prope Fingerolam protrudunt, seipsam igne consumentem. Die altera 24. structa utrimque a- Naumachia anglo-gallica Malagæ

cie, primum agmen gallicum Marchio Villettus, cui succenturiatus Dux de Tursis, medium seu corpus Comes Tholosus cum Marchione de Roye, postremum denique ducebat agmen Marchio Langeronus, quem Marchio Forvillus sustinebat; Classis verò Britanno-Batavicæ totidem fere navium agmen primum Schovelus, medium seu corpus Roockius, & extremum Callenbergus Batavus provehebat, atque ita à decima diei matutina usque ad seram noctem acerrimè invicem collisi, continuis fulminationibus se feriunt, & conquassant, ut binæ Gallorum naves à pyrobolis incensæ acie excedere, incendium extinguendi causâ, sint coactæ, defecitque ferme Britanno-Batavis pulvis nitratus copiosissime in hostem, 600. licet tormentis bellicis superiorem ejaculatus. Nox prælium diremit, & Galli Malagam, Britanni Gibraltarum discedentes, utraque sibi parte victoriam arrogante; illi, Galli, literis fatentur 5. suarum navium amissionem, & architalassum Tholosum vulneratum; Britanno-Batavorum autem octo naves igne consumptas, 16. captas, & 7. perforatas salo demersas; quod omnino negant Britanno-Batavi, nullam ex suis aut periisse, aut captam esse asseverantes, præterquam unam post finitum prælium infortunio ignem concepisse, & in aërem evibratam; altero sed die in secundam se paratos naumachiam & Gallos frustra expectasse, & investigatos nullibi comparuisse; ut ut sit, certum est, & sæpius hoc belli tempore compertum, quòd Galli victi ovare tamen gestiant, & Ludovicus XIV. Parisiis

Victoriâ dubiâ victi ovant Galli.

Te Deum laudamus solemniter mandaverit ob navalem victoriam intonari, idipsum pluribus etiam Gallis ridiculum dissimulantibus. Madritum quoque singularibus lætitiæ signis non sine causa triduo de hac exultavit victoria, ut tumultuandi rebellandique occasionem, quam plurimi fautores Caroli impense classe devictâ quærebant, cautè removerent; Galli vero non tam de victoria, quàm Anglo-Batavorum hostium suorum recessu gaudebant, ulterioris invasionis metu liberati. Anglia verò fugatis hostibus æquiore jure naumachiæ victoriam sibi adscribens, jovialibus per regnum ignibus triumphavit. Malaga urbs hâc naumachiâ celebris, in regno Granatæ 25. milliaribus Gibraltaro distans, ad mare mediterraneum assidet monti, in quo duæ arces una supra alteram se mutuo, & urbem & portum omnigenis semper mercimoniis celebrem defendunt; ideoque divitiis potens, & ædificiis splendida, admirabili & præstantissima collegiatâ ecclesiâ, olim Maurorum Moschea, superbit, cujus in choro Canonicorum stalla, seu sedes 105000. Impp. æstimantur: estque totius Hispaniæ armamentarium copiosissimum. Portus ejus 570. passibus est longus, & 20. latus &c. *Vid. num.* 441. 442. &c.

423. Adeamus nunc proximam Italiam, & Pedemontium, quo Rex Ludovicus longam epistolam, pridie Nonas Januar. scriptam transmisit ad Clementem Pontificem, questus defectionem Ducis Sabaudiæ à partibus suis; offert tamen Duci neutralitatem, dummodo urbes suas

præsidiis Helvetis sinat teneri; copiis gallicis innoxium per status suos transitum concedat: & inermis denique belli finem expectet, quo de Hispanica contenditur successione. Rex non dissimulanter etiam asserit in epistola sua, quo Pontificis mediationem apud Ducem obtineat, testamentum Caroli II. & effectus inde secutos probatos fuisse prædecessori suo Innocent. XII. quod tamen Clemens in responsione sua visus est inficiari.

Starrenbergus subsidiũ in Sabaudiã perducit

Interim sub gallico Sabaudus Dux jugo graviter ingemiscens promissas à Cæsare expectabat suppetias, quas etiam incredibili labore & inauditis molestiis per hosticum in media hyeme Guidobaldus Starrenbergus feliciter illuc totâ stupente Italiâ & Galliâ perduxit: nam relicto in castris Ostigliæ & Mirandulæ Generale Trautmansdorffio, ipse cum parte exercitus 20000. & 22. tormentis bellicis, multoque apparatu & impedimentis, superata per tres pontes Secchiâ per Ducatum Parmensem & Placentinum adeo magnis semper passibus illuc properat, ut Vendomius aliàs vigilantissimus & industrius illum in itinere vix cum suis 18000. assequi potuerit: nam quingenti antecedentes rustici lutosas admodùm & pluviosas sternebant vias, quas totidem Starrenbergum subsequentes destruebant, ut Vendomius curules conducere machinas prohiberetur: & quamvis hic omnes etiam transitus & aditus probè occluserit; generose tamen omnes, & imprimis Concordiæ, cæsò March. Vautrajo cum pluribus aliis, & vulnerato March. Bezonte perrupit. In finibus

bus Mediolanensibus & Placentinis binos inter montes communitum 6000. Stradellæ aditum dum non ita facilè transiturum speraret Vendomius, usque dum ipse adveniens à tergo circumfunderet, delusus est; nam 3. Januar. Carolus Vaudemontius expeditis mille equitibus, totidemque selectis pyrobolariis (qui primum constituebant agmen) præsidium gladio aggressus, cæsis pluribus, in fugam agens pertransit, capto cum 50. officialibus Stradellæ præfecto; haud procul hinc Mareschallus Tesse cum 3000. & magnus Prior Vendomius cum 10000. invigilantes, viso vix Starrenbergo, clam se inde proripiunt. Jamque Cæsareani 10. Jan. ad fluv. Bormiam feliciter, sed itineris & aëris incommodis multum exhausti credebantur in fronte à Thesseo, & in tergo à Vendomio indubitatè invadendi; sed absque ullo impedimento totus fermè exercitus flumen, præterquam ultimum Comitis Solarii agmen transierat, qui fracto interea ponte hac in parte detentus, tumultuariè à subsequentibus Gallis adortus fortiter se defendit, donec aliquot equitum à Starrenbergo expeditæ legiones fluvium tranantes succurrerent, cæsisque eorum plusquam mille in fugam vertunt; ipse tamen etiam Solarius cum 200. omnium dolore occubuit. Tandem 12. Jan. Starenbergius Canellum, duobus Nizzà milliaribus dissitum prosperè magno Principis Sabaudi gaudio & admiratione advenit, eidemque conjunctus 24000. exercitum Gallis formidabilem effecit; tum miles ut reficeretur in hyemalia est distributus, & ad futuram sedulo expeditio-

 nem

nem præparatus: nec feriabantur interea emissitii Hungarorum equites, omnium velocissimi, ideoque sine præda raro revertebantur; tandem tamen eorum hipparchus Paulus Diack à gallico obrutus agmine captus Casalium ducitur, ubi ab Vendomio benevole acceptus est cum libertate urbem oberrandi.

424. Trautmansdorffius interea temporis occupato Buon-Porto & Bastigliâ cum 109. præsidiariis, & tribus potitus tormentis adversus comminatam hostium se præparat invasionem: qui pluribus aucti copiis transmisso Casalii Pado in Sabaudum Vercelli cum parte exercitûs confidentem 6. Maji erant ruituri, nisi Dux viribus Gallorum impar, & multò inferior Trinum versus declinasset, ubi primum ducente agmen 1500. Vaubonno, captus denuntiabat Gallus, omnem hostilem exercitum, qui Balzobæ pernoctaverat, Trinum contendere; & jam modò primum aderat 8000. agmen, in quod Vaubonnus, postquam viribus inferior pedem primò retraxisset, postmodum faciens impetum, trajecto ejus equo capitur, milesque Ramissanam usque vicum in fugam à Gallis actus, à pyrobolariis, quos Starrenbergus ibidem opportune constituerat, defenditur, hostiumque hic furor sistitur, amissis uno equestri signo & 60. gregariis, & unico centurione; è Gallisècontra capti 30. dimachi, 5. centuriones, unus protribunus & aliquot subcenturiones: Vaubonnus Casalium, inde ad arcem ductus Mediolanensem, nec permutari, nec redimi lytro passus; quòd natione Gallus diceretur: Dux ipse Sabaudus

Vaubonnum in Italia Galli opprimunt

dus in fuga fermè circumdatus captivitatem vix effugit, qui exercitum suum ducit Crescentinum, locum castris opportunum. Vendomius interea ingenti in Pedemontium traducto exercitu totum occupat Ducatum, Sabaudumque expellit; nam Fevilladus Susam 12. Jun. & Vendomius 20. Jun. Vercellum optimi roboris in finibus Mediolanensibus urbem spontaneâ deditione, libero tamen cum discessu capiunt; sed Vercellense 3000. peditum, 238. equitum præsidium vix mille ab urbe passibus armis & libertate turpiter nudabatur, urbisque postmodum robur à Gallis non sine ingenti Principis detrimento & dolore fuit destructum, proptereaq; proditionis vel inertiæ reos Susæ præfectum Bernardi capitis, cæteros officiales triremium mulctavit pœnâ, & in Vercellense præsidium criminalem formavit processum. Magnus autem Prior Vendomius Serravallum irritò impugnavit. Ludovicus deinde Vendomius Ivream seu Eperediam fortiter à Grimpavo quidem non exiguâ Gallorum cæde defensam, subsidii tamen defectu 30. Septemb. suæ facit potestatis, capto 2500. præsidio plurimùm læso, aut morbis affecto. Attentabat interea Sabaudus 2000. peditum, & 800. equitibus Vercellum tumultuariè, spe Gallis commeatum intercipiendi, & Ivreæ obsidionem reddendi difficilem, Mediolanensi portâ opprimere; sed ab excubitore die illucescente deprehensus, irrito excidit conamine. Sperabat præterea valido suo inter duos opportunè montes constructo munimento la Thuille Fevilladi cum Vendomio meditatam impedire conjun-

Vendomius Sabaudum Pedemontio expellit.

Susam & Vercellum capit & destruit.

Item Ivream.

ctionem, & liberum sibi in Helvetiam aditum reservare; at Fevilladus eo vi occupato 26. Septemb. Ducatum irrumpit Augustanum, & coactâ arce Bardo, omnem Sabaudo in Helvetiam aditum intercludit. Tum conjunctis Vendomius viribus 14. Octobr. Veruam ad Padum in monte sitam magno aggreditur, sed majori defenditur animo & inauditâ cunctis nationibus constantiâ: Sabaudus quippe ex altera Padi ripa (ubi castra ad Crescentinum fixerat) recens iteratò subsidium & omnia subministrabat necessaria pontis beneficio, ut cruentissima in alterum excurreret annum impugnatio, nisi quòd eodem adhuc anno Vendomius transvadato Pado Sabaudi ad Crescentinum castra, absente ad urbis defensionem peditatu, oppressurus, eo tumultuariè revocato, & copiosâ aëris pluviâ impeditus, irritò tunc quidem abscedit; sed translatis inde ex metu à Sabaudo castris, loco succedit Vendomius, ingenti Gallorum emolumento, & Veruæ damno. *Vid. num.* 442.

Impetit Veruam

In Mantuano interim Trautmansdorffius adversus Gallorum minas se probe terreis ad Padum firmans munitionibus, morbo afficitur, cujus vicem ex Sabaudia redux Carolus Vaudemontius gerens, dum prævideret Reverum vix contra hostium vim posse propugnari, majorem inde præsidii partem ad castra reducens, Castigliam ceteraque adjacentia conservare loca impigrè laborat; sed & ille malignâ correptus febre 12. Junii Ostigliæ fato cedit. Atque ita Galli ubique ad Padum prævalebant, ut Cæsareanis cum Germania communicationem interdice-

Galli tractum Padi occupant.

dicerent & interciderent. Et quia Ferrariensis Pontificis Ducatus non exigua ab utraque belligerantium parte damna passus fuerat, amborum urgebat discessum pontifex, utrimque etiam paratum; sed paucis pòst diebus copiosiores Galli Stellatam repetunt, quâ mox illos Germani vi ac tormentis ejiciunt; sed Pontifex eo admodùm offensus, utrique excessum parti inter quindenam per Legatum Cardinalem Ferrariensem indicit, morigeræque suis se armis contra immorigam adhæsurum & hostem declaraturum: parentibus utrisque, sed Germanis ultimò sub stipulatione Gallos deinceps non admittendi, vix cedentibus totum hi Ferrariense territorium, permittente id non sine clandestinæ factionis suspicione, Pauluccio, occupant, magno Cæsareanorum 400000. Imp. detrimento, & apertissimô Clementis XII. erga Gallos favore & partialitate (qui toti se orbi tamen venditabat neutralem & omnium patrem) cujus non immeritò Cæsar justam à Pontifice postulabat reparationem; hic autem in Pauluccium Generalem rejiciens causam speciosissime excusabat, arrestum Pauluccio, & Fasanino, reique inquisitionem indicit, quam cum Pasquino Romæ tota explodebat Europa. Uti nec quicquam Comitis Melgar Castiliæ Admiralis effecêre ad pontificem Clementem literæ, quibus ocularis ipse testis totum Caroli II. testamenti, & Ibericæ successionis mysterium, omnesque Gallorum candidè aperuit imposturas, sed surdo cecinit, cujus postmodum aures tinnuerunt. *Vid. num.* 342. 497. 500. Comes igitur Leiningus, Vau-

Pontifex ejectis Cæsareis Ducatû Ferrariens. Gallis permittit.

Com. Melgar. gallorū fraudes in ficto Caroli testamento demonstrat.

Vaudemontii in imperio militari successor omni orbatus minime, ne hostibus impar omnino opprimeretur, desertis & robore nudatis Ostigliâ, Serravallo, Pontmelino, aliisque locis in Tridentinum superatâ athesi concedit. Sola supererat Mirandola, quam Galli (intercepto etiam tumultuariè Sanguinetto) à longo cingentes, iteratis, eisque cruentis lacessebantur Germanorum excursionibus; *Vid. n.* 445. Nihilo tamen minus suberat occultæ proditionis in urbe periculum, quia Dux ejusdem erga 20000. dalerorum pensionem Regis Ludovici XIV. manibus eam tradere meditabatur; quâ maturè detectâ, reisque debitè mulctatis, Ducatus, Ducisque bona Cæsareo addicta sunt fisco. Haud multò pòst Leiningus territorium subit Brescianum, ut per Benacum commodius lacum annona ipsi & supplementa suppeditarentur; quod irrito quoque galli conamine impedire tentarunt, ubi Marchio Davia in Mantuanum cum 300. equitibus excurrens dum hostilem commeatum carragine arcte inclusum frustra aggreditur, in humero trajectus globo, 28. Novembris globo licet feliciter exsecto Bresciæ moritur, maximo militum dolore, quos ut pater filios diligebat, & sollicite providebat, legatis testamento ægrotis vulneratisque militibus quatuor florenorum millibus.

Cæsarei Italiâ ferè exuti.

Mirandoli ducatus à Cæsare confiscatur.

Sævam hactenus crudelitatem mareschallus Montrevellus in Hugenottas, seu montiũ Sevennensium incolas, vel ut alii vocant, Camisardos, exercuit, quâ in majorẽ illi acti furorẽ captos catholicos sine ulla miseratione trucidabant, pagos co-

Hugonottæ Sevẽnẽses Gallos cædunt.

eorum & domos inflammabant, & mutuis iteratò velitationibus ex insidiosis suis montium diverticulis multum humani sanguinis crudeliter profundebant : signo namque dato mox 500. protinus 1500. non rarò etiam 2000. armatorum conveniebant. Hinc Montrevellus ad finem mensis Martii duas in illos immittit legiones oppugnandos, quos Sevennenses fortiter excipientes, pugnando sensim ad diverticula sua alliciunt, usque dum audito signo socii undequaque approperantes gallos admodùm consternatos à tergo & latere irruunt & circumcingunt, adeoque in loco certaminis mille ducentos cum pluribus officialibus prosternunt, novis potiti cæsorum vestimentis & armis non sine exiguo contra hostes suos futuro adjumento : pluresque à Gallis vernaculi milites ejusmodi spoliorum spe ad illos transiverunt. Quare Rex Montrevello ob crudelitatem Guyennam similiter tumultuantem ablegato substituit Villarium, qui usus linitatis moderamine, promissâ imprimis amnestia generali illos ad pacem & quietem his ad pagum Vesenobre conditionibus composuit. 1. Sit generalis omnium amnestia. Pacifcuntur.
2. Cavalierus eorum primipilaris habeat cum 400. popularibus aliorsum abeundi licentiam. 3. Omnes capti & proscripti libertate donentur. Ac 4. confiscata eorum bona & substantia restituantur &c. petitam à Cavaliero conscientiæ libertatem dubitatur an obtinuerit. His amicè peractis centum pistolettis donati, abjectis armis inter scyphos & cantharos exhilarescunt. Sed non longe post copioso iterum spumarunt sanguine

guine: nam licet Cavalierus (rustici filius) se Regi subjecerit, Catinatus tamen, Ravanelus & Rolandus Nannetense exigebant renovari & reduci edictum à Rege sublatum; ideoque ipse subsidii 800. fugitivorum Nizâ advenientium frequenter in Regios excurrentes non exigua, nec sine sanguine, colligebant spolia.

Cavalierus autem Parisios citatus officio tribuni, & annuâ 2000. florenorum pensione, libertateque conscientiæ à Rege donatus, multos ad regias partes pertraxit Cemmenienses; ubi verò clam animadvertit promissa sibi non ritè subsecutura, missus à Rege cum pluribus sociis ad fines Montbelgardenses, in via ad cauponam digressus, sociis vino sepultis, ipse cum fratre, & 32. aliis popularibus suis, quindecimque equis Lausanam in Helvetia, inde ad Cemmenienses suos aufugit, de Gallis se vindicaturus. Rex admiratus ut finem rebellioni imponeret, privatum Cemmeniensibus religionis suæ exercitium cum omnimoda securitate, & quidquid aliud desiderarent adpromisit, publico tantùm in templis exercitio, eorumque restauratione abstinerent. Quibus omnibus constanter rejectis plenam edicti Nannetensis restitutionem exigebant, sociorum aliàs sanguinem vindicaturi: superiorem enim Tractum Cemmenium planè incolentes, in inferiorem, & Montbergardum sub Ravanelo primipilari excurrentes, Regios sæpius devicerunt; hi econtra in arcis Castelnovæ invasione Rolandum trajecerunt, & undecim Cemmenienses captos vivos in quatuor disfecarunt partes. Illi, Cemmenienses, paulò pòst cæsis

cæsis vicissim 150. Regiis 58. captos omnes occiderunt, quorum tres Hibernos officiales vivos quadrigis in diversum actis discerpserunt; quia Rex mutuam captivorum denegabat extraditionem, simulque graviter Bernenses de libero Cavalieri cum 100. sociis per territorium Bernense transitu, per legatum suum conquestus retulit Bernensium inde offensorum reprehensionem non minus aculeatam. Cavalierus autem in valle Augustana cum Regiis interim confligens devictus, vix Turinum salvus evasit. Ceterum Villarius illos ulterius persecutus, oblato demum salvo conductu aliorsum transmigrandi securè dedit licentiam, unde plures familiæ cum barone Aygalliz Genevam se contulerunt, alii alibi, atque ita rebellione utcunque extinctâ Rex militem suum inde revocavit. Immo spargitur à Villario Ravaneli percussori aut traditori mille promissos imperiales, ille seipsum stitit præmium deposcens, quem Villarius benignè excipiens reconciliavit. Cavalierus nunc tribunus pro Sabaudo legionem in vallibus conscribit.

In Ungaria Ragotzianæ factionis incendium non tantum regnum universum, sed alias etiam adjacentes provincias Gallorum maxime instinctu depopulatur: gallicus enim ad Ragotzium & Rebelles emissarius Honore Bounet, vel Baulin cum socio Joanne Georg. Bolcke deprehensus Viennæ à Martino Schepbach, à militari judicio examinatus ultroneè confessus, & ex creditivis mareschalli Marsini propriâ ejus manu sub 17. Januarii 1704. Augustæ Vindel. subscriptis, inque clavo ejus caligari Hosfenknopff,

nukuopff, inventis literis est convictus, quarum hic erat tenor & instructio: ut Ragotzio, Berezeno, ceterisque Rebellibus plenissimum Gallobavarici exercitûs statum, felicesque ejusdem priori anno in Suevia & Germania progressus, & urbium occupationes notificaret, incitaretque ad constantem rebellionis continuationem, nullâ particulari usque ad pacem universalem amnestiâ finiendam; sed omni possibili conatu Domum Austriacam ad extremas redigerent unanimes angustias. Ad hoc copiosum apparatum & nervum bellicum, omniaque Regis Galliæ nomine & fide offerret necessaria, eaque transportandi modum vel per se, Baulin, vel per alium Ragotzius Marsino significaret &c. Hæc, inquam, Bounet confessus, convictus, & condemnatus, patibulo suspensus periit, sociusque ejus Bolcke ad perpetuos Jaurini condemnatus est labores.

Cæsar mediatoribus Anglo-Batavis amnestiam rebellibus frustra offert.

426. Cæsar ut internecinos hos Rebellium motus componeret, per legatum Batavicum Hamel Brunings ex Bevenrode, Britannicum Stepney, & archiepiscopum Colocensem generalem offert amnestiam, legum & religionis libertatem, bonorum & officiorum secundum Bosniensem 1681. & Oedenburgensem 1687. Recessus restitutionem, & in futuris regni comitiis salis minuendum tributum, militares collectas tollendas, & vina extra regnum alio transferenda libere concessum iri; quare armistitium ad finem usque Septembris declaratum, & in Octobrem prolongatum Chemnitii ad congressum 13. Octob. ex parte Cæsaris convenêre

Baro

Baro de Seiler, Comites Coharri & Lambergus; ex altera Ragotzii parte Comes Karoli, Radajus & Janockus, mediatore legato Batavico; ubi hi ante omnia Ragotzio Transylvaniæ Ducatum, se autem & confœderatos Regni Ordines constitui, haberique prætendebant: & quia minister gallicus Alleurs Tholono per Siciliam, Albaniæ Dyrrachium, & Belgradum, in superiorem perrepserat Ungariam, & multo Rebelles auro, consiliis & literis ad ulteriorem factionis continuationem, & Austriacæ Domûs interitum lactaverat, imo instigaverat, hæc ausu exigebant temerario: Regnum Ungariæ sit electivum; Transylvania cum omnibus dependentiis, per modum tamen feudi tradatur Ragotzio, & Berezenus regni esto Palatinus: Germani omnibus tam civilibus quàm militaribus exuantur officiis, solis Ungaris & indigenis conferendis: omnes Protestantibus ecclesiæ, & religionis reddatur libertas, Patribus Soc. Jesu penitùs eliminatis: Privilegium denique Andreæ Regis de anno 1222. restituatur, & maneat in vigore. Hæc quia ingenuis auribus animisque erant absurda, unde potius inevitabilis regni eversio foret subsecuta, omnino sunt repudiata, & congressus 6. Novemb. dissipatus. Uti militare Viennæ consilium dilucidè præviderat, hunc Gordium Ragotzianæ factionis nodum stricto nonnisi Augusti gladio dissolvendum.

Auctore Gallo insulsa rebelliū postulata.

Ante publicatum verò armistitium Rebelles Quinqueecclesias 31. Jan. occupant & Czakaturnum, Canischam usque excurrentes: Karolus quoque ad Viennæ usque portas ferro & igne

Rebelles ad Viennensia usq; mœnia excurrunt.

igne depupulatus, Cæsaris ad Novum ædificium, ut vocant, theriotropheum seu Vivarium destruens, præter feras plurimas etiam duos leopardos à Sultano Cæsari donatos, eique charissimos, ut eorum vestiretur exuviis, interfecit: hi leopardi venationibus mirum assueti, ferario seu moderatori suo à tergo assidentes equo, quamprimum feram observassent, pernicissime desilientes eam capiebant, captam offerebant magnâ Cæsaris recreatione, ideoque majore indignatione. Ingens autem tunc erat suburbanorum ad urbem confugientium consternatio; ideoque tumultuario Viennæ opere & studio Romanorum Rex Josephus fossilem lineam 4. milliaribus longam, à danubio ad S. Marcum circum omnia suburbia, per montem Viennensem usque Lichtentalium rursus ad Danubium, 12. pedibus altam, unâque & dimidia ulnâ profundam, munitionibus hinc inde terreis, sudibusq; vallaribus septam, ab urbano præsidio ac civibus sub cura Gronsfeldii præfici jussit. Non tamen semper impune & sine sanguine grassabantur Rebelles, in quos Canischense excurrens præsidium mactat 200. & Croatiâ trecentorum cæde expelluntur: Palffius illos Czakaturno exuit, desideratis eorum mille, cunctoque præsidio capto. Cùmque Karolus iteratâ Viennam usque excursione pagos Zwolffestingen, Marniswerth & Heimburgum flammis subjecisset, terroremque ingentem intra & extra urbem circumferret, Heisterus ex depopulatione cum præda reducem haud

Viennæ fossili linea munitur

Variæ utrimq; velitationes.

Heisterus Carolum cædit internecive.

haud procul Perscho cædit strage 600, quatuor bellicis potitus tormentis; altera pòst die Arabonem inter & Danubium haud procul S. Nicolai fano iteratò consistentem irruit, & internecione cædit, peremptis eorum 700. totidemque Leitâ fl. aut lacu Neusidel submersis, captis 19. tormentis & vexillis pluribus.

Hæc Caroli strages, & publicata rursus amnestia plurimos Rebellium ad Cæsaris revocavit submissionem, quam plures etiam inferioris Hungariæ admittebant comitatus; & tribunus quoque Niskius cum sua eam amplexus phalange, duo eorum millia Cæsari transcribit, reliquos domum demittit. Heisterus deinde cum exercitu Papam urbem contendit, ultroneè se submittentem: tum Albam Regalem properat, irruensque ibidem Danielem Esterhasium haud exiguo cinctum milite in fugam præcipitat & paludes, occupata ultronea deditione urbe, rusticos rebellibus militantes suis orbatos equis ad lares suos remittit, præsidium verò militare Cæsareis conjungit castris. Alia interea hostilis phalanx Verowetizam opprimit, & alia item sub Laurentio Perckeso in Moraviam insiliens, postquam aliquot flammis consumpsisset vicos, per Brezoverum accessum repetit Ungariam: nec Generalis Trampius ex insula Schut Rebelles potuit expellere, sed irrito conamine, nec sine jactura, debuit discedere; uti & Heisterus Vivarino à rebellibus ad extrema redacto frustra tentavit succurrere. Ritschavius Gradiscæ præfectus collecto in Moravia vernaculo milite 4. Aprilis Marchiam præteriens rebelles Trenschinum

Rebelles Moraviam insiliunt

num eminus includentes dissipat, urbemque liberat: 5. ejusdem Marchiam repetens Scaliczum deditione occupat. Heisterus interea superato Danubio prope Serethum Karolum & Berezenum offendit magnâ fugientes ultra Wagum fl. præcipitatione, mandatque Ritschavio ad se venire, viresque conjungere; audiens autem paucis pòst diebus Forgatschium Cæsaris deseruisse perfide castra, & transito infra Budam Danubio cum Rebellibus inferiorem irrumpere Ungariam, non expectato Ritschavio per Danubium regressus eo quoque traducit exercitum; Ritschavius verò in suo ad Heisterum itinere à 12. Rebellium millibus prope Weisenbergum circumdatur, pugnatur utrimque fortiter; sed viribus imparibus amissis suorum mille, totidem fugâ evaserunt, ipse quoque Ritschavius tribus confectus vulneribus in arcem Jablunkam est elapsus, alii vero illum cum uxore, aliis tribunis, impedimentis, & 2. tormentis captum referunt. His non obstantibus Heisterus Commorrâ versus Albam Regalem 23. Aprilis Oerzum contendit, & ibidem Antonium Esterhasium cum 3000. considentem irruit, cæsisque 300. & captis 12. plaustris sat bene onustis, reliquos in fugam vertit. Post hæc Forgatschius insulam Schut, & Altenburgum Ungaricum, ut vocant, eminus cinctum tenebat octodecim armatorum millibus, castraque vallo munita, à dextra lævaque monticulis defensa erant, quem Heisterus 13. Julii plenâ acie oppressis rejectisque procubitoribus fortiter aggressus, ab hoste quidem circumcingi tentabatur; sed mox

Ritschavium cædunt.

Variæ utrimq; velitationes.

mox tormentorum tribunus Baro de Weiler reductis ex prima in postremam lineam tormentis, hostis impetum sistit; ille tamen furiose in dextram Croatarum involans alam, dum in circulatione aliquam lateris daret aperturam, Haisterus subitò Schlickianam dimacharum legionem in idem immittit latus, & succenturiatis aliis stationem aciemque perrumpit, confundit, & in fugam propulsat, cæsis præter equites non paucos tribus peditum millibus, obtinetque sex tormenta, & vexilla 28. per Weilerum Cæsari Viennam delata victoriæ testimonia: pugnæ supervenit cum 3000. Karolus, spectans socios fugæ modò intentos, volucre aliò avolat velocior. Stragem hanc suam compensavit Forgatschius Cassoviæ occupatione, 15. Septembris deditione interceptæ.

427. In Transylvania General. Comes Rabutinus provinciæ Cancellarium Com. Bethlenium capite minuit, quòd Ragotzium Transilvaniæ Ducem à populo proclamari induxerit. Tum Torozkajum rebellium antesignanum haud procul Cibinio fundit, deletisque 880. viginti capit vexilla; deinde fugatis pulsisque prope Muhlenbach in Maroschium fl. mille Arnautis Claudiopolim liberat obsidione, ubi duodecim Rebellium millia illum circumcingere tentantia cæde 3000. singulari militum suorum fortitudine trucidat, quam Rabutinus remuneraturus propter æs deficiens escario suo argento in nummos cuso dilatum militi persolvit stipendium.

Ragotscius econtra Vivarinum proditione

Tolpatſchiorum, ut vocant, occupat; ſed Peſtum applicatis mòdò ſcalis, & tranſcenſo 23. Decemb. aliquot locis muro fruſtra tentat, quia duo] centutiones vigilias urbis noctu viſitantes, hoſtemque advertentes, excitato tumultuariò milite eum feliciter rejiciunt: inde Ragotſchius Tirnaviam verſus (quia Leopoldopolim ab aliquo jam tempore à longè cinxerat) cum Berezeno, Otskajo, duabus Eſterhaſiis & Bongors cum 30000. exercitu contendit, inſecutumq; (26. Decemb.) ibidem Heiſterum magno irruit impetu, ejuſque peditatum, ex tyronibus recens ſuppletum, primò terrore confundit & diſſipat; Heiſterus autem ſuum in hoſtem ducens equitatum (in quo potiſſima ejus erat vis & fortitudo) hoſtilem peditatum ab equitatu opportunè ſeparat, quo perculſus Ragotſchius periculo cum 28. vexillationibus Neitram aufugit, peditatûsque tria millia ſunt cæſa, quos inter Galli plurimi; captus autem miniſter gallicus Carolus Vervillus peditatus tum campi ductor (addunt alii Bavaricum miniſtrum cæſum) Viennam eſt conductus, militariſque judicii ſententiâ mortis condemnatus; quæ certis de cauſis poſtmodùm eſt ſuſpenſa, ex Cæſareanis 381. deſiderati, vulnerati 273. obtenta hoſtium 12. tormenta. 7. mortaria & ſigna quinquaginta, impedimentis eorum alii Freiſtadelii in tuto dicunt relicta, alii capta. Hac ſtrage ultra tria Rebellium millia metu perterriti depoſitis armis domum redierunt, & fuit poſthac ſolum Heiſteri nomen ubique terribile. *Vid. num.* 448.

428. Fuit in Germania anno ſuperiori fortu-

na Ludovico XIV. adeo ſecunda & proſpera, ut hoc ſperaret proſperiorem, novis licet Luſitani & Sabaudi hoſtilitatibus expoſitus: potiſſimas igitur in eam vires, & totius regni gallici robur immittit, qua militaris fortitudinis nutrice Germania ſubjugatâ, Angliam & Hollandiam facili ſupprimendas negotio exiſtimabat, idque eo certius ſibi perſuadebat, quòd Bavari ope & adjumento Germaniæ modo viſcera (quod tot fruſtra tentaverat annis) penetraſſet, & occupaſſet. Atque ita Bavarus imprimis collatis cum Marſino Gallorum archiſtratego Auguſtæ Vindelicorum conſiliis, 9. Januarii Paſſaviæ urget deditionem, niſi præparatis jam modò 24. tormentis curulibus, totidemque mortariis urbem flammis ſubjiciendam velint univerſam. Cardinalis Joannes Philippus Comes Lambergus urbis epiſcopus ob exigui præſidii defectum, metumque deſtructionis maturiorem offerens traditionem à Gronsfeldio urbis præfecto proditionis accuſatus, publico retorſit ſcripto, & à Cæſare declaratur innocuus. *Vid. num.* 433. Captâ Paſſaviâ hæreditariæ Cæſaris patebant provinciæ, & militares Bavarus collectas à ſuperiori exigebat Auſtria, quas denegabant ruſtici vim vi repulſuri. Dum hæc Paſſaviæ fierent, Marſinus Auguſtâ Vindelicorum cum phalange 7000. Donawerdam properat, ibidemque transmiſſo Danubio Wendingam, Pappenheimium, Monheimium, aliaque tumultuariò intercipit oppida; & Marchio Blainvillus cum phalange 5000. Ulmâ exiens occupat Gingen, graves ambo utrobique imponentes contribu-

butiones. Cæsar ubique pressus urbi Ratisponensi ob comitia, & imperialis collegii negotia permisit quidem neutralitatem, sed hæc rem non restituit; verum Bavarus & Marsinus cives Augustæ Vindel. ad sanguinem usque emungunt, ut 76. dierum spatio tredecim auri tonnas (quælibet centum mille censetur) extorserint, & 14. Martii fidelitatis à civibus juramentum; tum Bavarus urbi arcem impositurus veteres demolitur munitiones & propugnacula: reformato acatholico magistratui restituit catholicum; armamentario satis copioso plane evacuato omnes curules machinas, ceteraque armamentarii arma Monachium abducit, atque ita urbem Romani Imperii speciosam, opulentam, nec minus validam robore, divitiis & elegantiâ denudatam ad ultimas præcipitat calamitates. *Vid.* *n.* 432.

Bavarus Augustã Vind. omni exuit robore & ære.

Interea temporis utraque belligerantium pars ferventi se studio in proximam præparat expeditionem; bellici quidem nervi defectus Gallos aliquamdiu; sed & in Tractu Cemmenio cruenta indigenarum calvinistarum in Regem factio detinebat, quam barbarà marefchallus Montrevellus crudelitate conatus, sed frustra, supprimere, ut supra memoravi, Villarius tamen postliminiò composuit benignitate, facta omnibus liberè domum redeundi licentiâ; tum succursum Bavaro destinatum sub Comite Tallardo maturant. Nec impigri in nervo bellico conquirendo Britanno-Batavi Gallis promptiores validum sub Marleborugo Germaniæ jam fermè agonizanti submittendum 30000. subsidium expediunt, quale Germania vix hominum memo-

Marleborugus tendit cum subsidio in Germaniam superiorem.

moria vidit viribus, armaturâ, & animi generositate excellentius, magnis in Germaniam contendens passibus. Priores tamen Galli & Bavarus Ulmæ veris initio ad deribitorium convenientes 25000. exercitu properant ad Hercyniam silvam, gallicum ibidem succursum excipiendi promovendique, aut irrito ejus successu alia tentandi causâ: Cæsareus vicissim & imperialis sub March. Bareutensi & Com. Styrumio exercitus Nordlingæ collectus Heidenheimum tendit, hostiles observando motus & molitiones, simulque Würtenburgensem ab hostili invasione Ducatum defendendo. General. Tungenus castra decem millium à lacu Acronio ad Hercyniam usque silvam fixerat, eaque ante & retro vallis ac fossilibus lineis tam arcte communierat, silvamque obstruxerat concædibus, ut impossibilis ex Brisgovia per eam pateret transitus: paulo infra turmæ Borussæ, Suevæ & Würtenbergicæ omnem intercludebant Hercyniæ aditum. Approximante autem Bavaro Thungenus viribus impar inde castra prope Rothweilum transfert, locum Bavaro cedens, qui mox castra Dutlingam inter & Villingam metatur, quem Bareutensis, Würtenbergensis & Styrumius 18000. conjuncti Thungio insecuti, multis quotidie illum velitationibus ad prælium lacessunt; ille vero detrectans 6000. plaustrorum carragini condensatim suum includens exercitum, splendidam annonæ & pabuli patitur inopiam & famem, donec tandem Tallardus citra omnium opinionem Brisgoviæ Friburgum prætcriens per vallem petrinam, seu cavam, ut vocant, foveam, 20. Maji sine ullo impedimento

Bavarus præliũ detrectans fame arctatur

Tallardus per Hercyniam Bavaro conjungitur.

ſe Bavaro 24000. conjungit; Ludovicus propterea Badenſis cum inſigni Cæſarea accedit caſtra ſupplemento, & conflictum irrito tentat; quia magnis Bavarus fugæ ſimilis paſſibus verſus Danubio - Eſchingam, Pfullendorffium, Elium fl. adeo properat Ulmam, ut homines plurimi & equi deficerent; cujus inſiſtens Badenſis veſtigiis opulentâ potitur prædâ, 15. enim clitellares Bavari mulos & 40. equos cum arcana militari cancellaria, pretioſa veſte adamantibus clavata, & argento eſcario intercipit. Bavarus juxta Elium Badenſis haud procul Ulmâ caſtra metati, quæ eodem hoc tempore in Majo accedit Eugenius Sabaudiæ Princeps, imperialem ducturus exercitum; Tallardus autem ad ſuum reverſus exercitum Friburgi conſidentem, verſus Kehl movet & Rheinaviam.

Marleborugus Gallos ad Moſellam decipit.

Dum hæc fierent, Marleborugus cum ſelecto 30000. exercitu incredibili celeritate in ſuperiorem feſtinat Germaniam: utque juxta priori anno Francofurti conventionem hoſtium vires diſtraheret falleretque, evulgatâ paſſim ſtudioſè famâ in tractu Moſellæ Trarbachum aut Theonisvillam invadendam, atque ideo plures in rheno inferiori naves annonâ, & ingenti bellico apparatu Coloniam & Confluentiam deductæ ſunt, ac Villerojus ex Belgio è regione ſubſecutus Marleborugum obſervabat, prævenire autem illum non poterat; hic verò Confluentiæ ad ſiniſtram declinans dum tranſito ibidem rheno moveret Moguntiam, rurſus decepti Galli Landaviam, vel Alſatiam impetendam exiſtimabant; ubi verò Ladenburgi ſu-

ſuperato Nicro ad dextram verſus ducatum moveret Würtenbergenſem, tunc primùm in Bavarum expeditionis capiebant myſterium; fiebatque 22. Junii Marleborugi cum imperiali Cæſareo exercitu (ad quem recens Boruſſici & Weſtphalici circuli copiæ acceſſerant) conjunctio admodum deſiderata. 80. millium armatorum.

429. Tum Bavarus ſibi metuens caſtra prope Lavingam & Dillingam transferendo validis firmat loricis & vallis impenetrabilibus, utque Confœderatis Danubii obpeſſularet tranſitum, Schellenbergum prope Donawerdam militari tumultuariè ſepimento, aliisque munitionibus firmiter circumvallat, quem una ex parte urbs Donawerda, ex altera denſa defendebat ſilva & Generalis Arco cum 7000. ſelectiſſimorum militum propugnabat, pro loci tamen capacitate non erat præſidium ſufficiens, & ſepimentum necdum abſolutum. In militari igitur convocato conſilio aliquorum cum Badenſi erat ſententia oppugnationem in dies aliquot differendam, quod miles itinerum difficultatibus debilitatus & exhauſtus, integris Bavarorum viribus veriſimiliter cedet & rejicietur; Marleborugus autem cum potioribus celeritate utendum, ne aut hoſtis elaberetur, aut ſepimentis ſe adeo communiret, ut expelli nequaquam poſſet, cunctandoque periculum Germania non evaderet, ſed inevitabili exponeretur exitio; miles otio interiret, aut diffluerer, & cujuslibet horæ mora plus quam mille virorum ſtaret ſanguine.

Badenſis & Marleborugus Schellēbergum occupant.

In hanc itum sententiam, & Marleborugus 2. Jul. Hemerdingo cum 32. equitum turmis, & sex peditum millibus eo contendens, non expectato Badensi, qui postremum ducebat agmen, circa quartam vespertinam tormentis primùm curulibus Schellenbergum aliquamdiu flagellat; circa quintam verò Generalis Goor cum peditatu irruit præsidiarios, qui fortiter, ac desperatè pugnantes, bis demum gladiis armati sepimento erumpentes Anglos repellunt, repellunturq;. Alteram jam etiam sepimenti adhuc imperfecti partem Badensis aggreditur, & post cruentam unius & dimidiæ horæ impugnationem transcendit & occupat: Arco interim Schellenbergi præfectus tres Gallicas catervas urbis Donawerdæ moderatori submiserat, ut opertas inde in castra tendentes vias tutoribus nudatas defenderent, cujus neglectum Angli advertentes, magno mox irruunt in illas impetu, & capiunt; fit utrobique atrox pugna, cædes & fuga partim ad urbem, cujus aliquamdiu porta manebat clausa, aut aliter interdicebantur; partim per navalem danubii pontem, quem tamen priores metu persecutionis resciderant, ita ut plurimi 800. aquis suffocati, pauci natando cum Præfecto Arco vitam conservarint. Cæsum est tunc bavaricæ robur militiæ [7000. quinque scilicet peditum, & duæ dimacharum legiones] aut captum scil. 1200. cum 16. curulibus machinis & impedimentis; nec minus cruenta Confœderatis cessit victoria, quatuor namque millia occubuere, vel universim tam cæsorum quàm vulneratorum 5704. censentur; inter illos numeran-

Bavarū internecivè profligant.

rantur Generales Styrum, Goor, Beinheim, Dux Beverensis &c. inter hos Badensis, Hasso-Cassellensis, Thungenus, Hornius, Dux Wurtenburgensis, Com. Friese, Furstenbergus, & plures alii tribuni & officiales non graviter læsi. Eadem adhuc nocte misso ad Donawerdæ præsidiarios nuntio jubet Bavarus pontem, granarium & urbem quatuor in locis flammis subjici, & maturâ sibi fugâ consulere; sed præoccupantibus illos confœderatis, ignibusque civium studio extinctis, fugam maturarunt noctis beneficio, Donawerdam confœderati 4. Jul. occupantes insignem offendunt bellicum apparatum & commeatum. Hæc victoria liberum ad ulteriores progressus, & in Bavariam aperuit aditum; neve Bavarus cum Marsino ab illa separaretur, sua castra Lavingâ & Dillingâ Augustam Vindel. ad Lechum fl. locum omnibus securiorem & opportuniorem transfert, omniaque dispersa ad se revocat militaria præsidia, & alterum gallicum exorat succursum: dein denegatam & hucusque 10. hebdomadibus dilatam Ratisponæ, & imperiali ibidem Legatorum collegio permittit assecurationem pro reciproca sui ab ea assecuratione; sed oblatam ab Herbevillo Cæsaris nomine tutelam & præsidium recusat admittere, quod indignè ferebat Cæsar, dignas autem literis Marleborugo pro obtenta victoria gratias agebat, unde meritò:

Bavarus irritò Donawerdam & pontem jubet incendere.

Non tibi cunctator Fabius, sed fulmina belli
Scipiade, ac Cæsar Marleborunge placent:
Tarda nimis visa est victoria parta sedendo,
Audendo potius te properata juvat.

Nota-

Notabilis hujus victoriæ dies fuit Visitatio B. Mariæ V. Bavarorum patronæ, cujus ante annum favore, ut ajebant, Ulmam in ejusdem nativitate fraudulenter Elector ceperat; ita in singulis ejus festivitatibus sibi fore propitiam non dubitabat: sed ubi deest belli justitia, deerit fortè etiam D. Virginis imposterum clementia, & boni hactenus successûs continuatio. Testatur Donawerda ab eodem derelicta, quæ olim libera Imperii Rom. civitas, ante annos circiter centum immedietate per Bavarum est privata. Habuit proprios antiquitus Comites; sub Henrico VI, Sueviæ Ducibus subjecta: anno 1266. oppignorata Bavaro: à Carolo IV. anno 1348. facta libera Imperialis civitas: post annos 28. denuo hypothecata Bavaro: abhinc in fidem & leges LudoviciBarbati juravit: anno verò 1414. per Sigismundum Cæsarem libertate rursus donata, & à Friderico III. contra Bavarum in tutelam usque ad annum 1607. recepta; à Rudolpho II. ob illatam Abbati S. Crucis in processione violentiam banno proscripta, à Maximiliano Bavaro executore occupata, & tum propter antiqua jura, tum executionis sumptus pro pignore sibi reservata, municipalis est effecta. Demum anno 1632. Suecus illam invadens bavaricum præsidium internecione delevit; sequenti tamen anno eam Bavarus recuperavit, & ejusdem hucusque juris permansit. Hoc autem temporis statu à proscripto Imperii hoste Bavaro liberata, pristinam sibi vendicat libertatem & immedietatem, juxta pacis monasteriensis pacta §. 12. art. 5. *Quod ad Donavverdam attinet,*

Donawerda vult esse libera imperialis.

si

si in proximis venturis comitiis universalibus in pristinam libertatem restituenda esse judicabitur ab Imperii Statibus, eodem gaudeat jure in ecclesiasticis & politicis, quo cætera Imperii liberæ civitates; ideoque ad Suevici circuli conventum Eslingæ habitum suos postmodum submisit deputatos, ab ipso forte circulo invitatos.

4. Jun. Fuggerus Com. Dillingam cum arce capit deditione, Hochstadium jussu Badensis munit præsidio, & Schellenbergica castra rusticorum ope destruit: turma alia emissitia hostiles 16. æreas naves ponti instruendo accommodatas intercipit. 5. Jun. Confœderatus exercitus trajecto diversis locis per æreos pontes Danubio hostem insecuturus, prope Mertingen castra figit, indeque missus Com. Friese Lecho pontem imponit, quem 10. Jun. tribus exercitus locis emensus Rainæ frustra postulat deditionem, quam tamen tormentis flagellatam, murisque dejectis 16. ultroneè offert cum 24. turulibus machinis, mediocri commeatu & bellico apparatu. Neoburgum etiam à Gallo-Bavaris desertum occupant Confœderati.

Confœderati capiunt Dillingam,

Reinam

Neoburgum.

Hoc eodem tempore General. la Tour & Orientalis Frisiæ Comes cum tribus equitum Britannorum millibus Monachium usque in Bavariam excurrentes, supra centum vicos & oppida igne & ferro crudeliter depopulantur, cùm quòd Bavari captivos asperè tractarent Britannos, tum ut eorum Ducem ad saniora traherent, cogerentque consilia, cujus etiam spes aliqua in Cæsareis Fridbergæ castris affulgebat, unde Elector Wratislavium Comitem evocabat

Angli Bavariam depopulantur.

igne depopulatus, Cæsaris ad Novum ædificium, ut vocant, theriotropheum seu Vivarium destruens, præter feras plurimas etiam duos leopardos à Sultano Cæsari donatos, eique charissimos, ut eorum vestiretur exuviis, interfecit: hi leopardi venationibus mirum assueti, ferario seu moderatori suo à tergo assidentes equo, quamprimum feram observassent, pernicissime desilientes eam capiebant, captam offerebant magnâ Cæsaris recreatione, ideoque majore indignatione. Ingens autem tunc erat suburbanorum ad urbem confugientium consternatio; ideoque tumultuario Viennæ opere & studio Romanorum Rex Josephus fossilem lineam 4. milliaribus longam, à danubio ad S. Marcum circum omnia suburbia, per montem Viennensem usque Lichtentalium rursus ad Danubium, 12. pedibus altam, unâque & dimidia ulnâ profundam, munitionibus hinc inde terreis, sudibusq; vallaribus septam, ab urbano præsidio ac civibus sub cura Gronsfeldii præfici jussit. Non tamen semper impune & sine sanguine grassabantur Rebelles, in quos Canischense excurrens præsidium mactat 200. & Croatiâ trecentorum cæde expelluntur: Palffius illos Czakaturno exuit, desideratis eorum mille, junctoque præsidio capto. Cùmque Karolus iteratâ Viennam usque excursione pagos Zwolffestingen, Marniswerth & Heimburgum flammis subjecisset, terroremque ingentem intra & extra urbem circumferret, Heisterus ex depopulatione cum præda reducem haud

Viennæ fossili linea munitur

Variæ utrimq; velitationes.

Heisterus Carolum cædit internecive.

haud procul Petſcho cædit ſtrage 600, quatuor bellicis potitus tormentis; altera pôſt die Arabonem inter & Danubium haud procul S. Nicolai ſano iteratò conſiſtentem irruit, & internecione cædit, peremptis eorum 700. totidemque leitâ fl. aut lacu Neuſidel ſubmerſis, captis 19. tormentis & vexillis pluribus.

Hæc Caroli ſtrages, & publicata rurſus amneſtia plurimos Rebellium ad Cæſaris revocavit ſubmiſſionem, quam plures etiam inferioris Hungariæ admittebant comitatus; & tribunus quoque Niskius cum ſua eam amplexus phalange, duo eorum millia Cæſari tranſcribit, reliquos domum demittit. Heiſterus deinde cum exercitu Papam urbem contendit, ultroneè ſe ſubmittentem: tum Albam Regalem properat, irruensque ibidem Danielem Eſterhaſium haud exiguo cinctum milite in fugam præcipitat & paludes, occupata ultronea deditione urbe, ruſticos rebellibus militantes ſuis orbatos equis ad lares ſuos remittit, præſidium verò militare Cæſareis conjungit caſtris. Alia interea hoſtilis phalanx Verowetizam opprimit, & alia item ſub Laurentio Perckejo in Moraviam inſiliens, poſtquam aliquot flammis conſumpſiſſet vicos, per Brezoverum acceſſum repetit Ungariam: nec Generalis Trampius ex inſula Schut Rebelles potuit expellere, ſed irrito conamine, nec ſine jactura, debuit diſcedere; uti & Heiſterus Vivarino à rebellibus ad extrema redacto fruſtra tentavit ſuccurrere. Ritſchavius Gradiſcæ præfectus collecto in Moravia vernaculo milite 4. Aprilis Marchiam præteriens rebelles Trenſchi-

Rebelles Moraviam inſiliunt

num eminus includentes dissipat, urbemque liberat: 5. ejusdem Marchiam repetens Scaliczum deditione occupat. Heisterus interea superato Danubio prope Serethum Karolum & Berezenum offendit magnâ fugientes ultra Wagum fl. præcipitatione, mandatque Ritschavio ad se venire, viresque conjungere; audiens autem paucis pòst diebus Forgatschium Cæsaris deseruisse perfide castra, & transito infra Budam Danubio cum Rebellibus inferiorem irrumpere Ungariam, non expectato Ritschavio per Danubium regressus eo quoque traducit exercitum; Ritschavius verò in suo ad Heisterum itinere à 12. Rebellium millibus prope Weisenbergum circumdatur, pugnatur utrimque fortiter; sed viribus imparibus amissis suorum mille, totidem fugâ evaserunt, ipse quoque Ritschavius tribus confectus vulneribus in arcem Jablunkam est elapsus, alii vero illum cum uxore, aliis tribunis, impedimentis, & 2. tormentis captum referunt. His non obstantibus Heisterus Commorrâ versus Albam Regalem 23. Aprilis Oerzum contendit, & ibidem Antonium Esterhasium cum 3000. considentem irruit, cæsisque 300. & captis 12. plaustris sat bene onustis, reliquos in fugam vertit. Post hæc Forgatschius insulam Schut, & Altenburgum Ungaricum, ut vocant, eminus cinctum tenebat octodecim armatorum millibus, castraque vallo munita, à dextra lævaque monticulis defensa erant, quem Heisterus 13. Julii plenâ acie oppressis rejectisque procubitoribus fortiter aggressus, ab hoste quidem circumcingi tentabatur; sed mox

Ritschavium cædunt.

Variæ utrimq; velitationes.

mox tormentorum tribunus Baro de Weiler reductis ex prima in postremam lineam tormentis, hostis impetum sistit; ille tamen furiose in dextram Croatarum involans alam, dum in circulatione aliquam lateris daret aperturam, Heisterus subitò Schlickianam dimacharum legionem in idem immittit latus, & succenturiatis aliis stationem aciemque perrumpit, confundit, & in fugam propulsat, cæsis præter equites non paucos tribus peditum millibus, obtinetque sex tormenta, & vexilla 28. per Weilerum Cæsari Viennam delata victoriæ testimonia: pugnæ supervenit cum 3000. Karolus, spectans socios fugæ modò intentos, volucre aliò avolat velocior. Stragem hanc suam compensavit Forgatschius Cassoviæ occupatione, 15. Septembris deditione interceptæ.

427. In Transylvania General. Comes Rabutinus provinciæ Cancellarium Com. Bethlenium capite minuit, quòd Ragotzium Transilvaniæ Ducem à populo proclamari induxerit. Tum Torozkajum rebellium antesignanum haud procul Cibinio fundit, deletisque 880. viginti capit vexilla; deinde fugatis pulsisque prope Muhlenbach in Maroschium fl. mille Arnautis Claudiopolim liberat obsidione, ubi duodecim Rebellium millia illum circumcingere tentantia cæde 3000. singulari militum suorum fortitudine trucidat, quam Rabutinus remuneraturus propter æs deficiens escario suo argento in nummos cuso dilatum militi persolvit stipendium.

Ragotscius econtra Vivarinum proditione

Tolpatschiorum, ut vocant, occupat; sed Pestum applicatis mòdò scalis, & transcenso 23. Decemb. aliquot locis muro frustra tentat, quia duo] centuriones vigilias urbis noctu visitantes, hostemque advertentes, excitato tumultuariò milite eum feliciter rejiciunt: inde Ragotschius Tirnaviam versus (quia Leopoldopolim ab aliquo jam tempore à longè cinxerat) cum Berezeno, Otskajo, duabus Esterhasiis & Bongors cum 30000. exercitu contendit, insecutumq; (26. Decemb.) ibidem Heisterum magno irruit impetu, ejusque peditatum, ex tyronibus recens suppletum, primò terrore confundit & dissipat; Heisterus autem suum in hostem ducens equitatum (in quo potissima ejus erat vis & fortitudo) hostilem peditatum ab equitatu opportunè separat, quo perculsus Ragotschius periculo cum 28. vexillationibus Neitram aufugit, peditatûsque tria millia sunt cæsa, quos inter Galli plurimi; captus autem minister gallicus Carolus Vervillus peditatus tum campi ductor (addunt alii Bavaricum ministrum cæsum) Viennam est conductus, militarisque judicii sententiâ mortis condemnatus; quæ certis de causis postmodùm est suspensa, ex Cæsareanis 381. desiderati, vulnerati 273. obtenta hostium 12. tormenta. 7. mortaria & signa quinquaginta, impedimentis eorum alii Freistadelii in tuto dicunt relicta, alii capta. Hac strage ultra tria Rebellium millia metu perterriti depositis armis domum redierunt, & fuit posthac solum Heisteri nomen ubique terribile. *Vid. num.* 448.

428. Fuit in Germania anno superiori fortuna

na Ludovico XIV. adeo ſecunda & proſpera, ut hoc ſperaret proſperiorem, novis licet Luſitani & Sabaudi hoſtilitatibus expoſitus: potiſſimas igitur in eam vires, & totius regni gallici robur immittit, quâ militaris fortitudinis nutrice Germania ſubjugatâ, Angliam & Hollandiam facili ſupprimendas negotio exiſtimabat, idque eo certius ſibi perſuadebat, quòd Bavari ope & adjumento Germaniæ modo viſcera (quod tot fruſtra tentaverat annis) penetraſſet, & occupaſſet. Atque ita Bavarus imprimis collatis cum Marſino Gallorum archiſtratego Auguſtæ Vindelicorum conſiliis, 9. Januarii Paſſaviæ urget deditionem, niſi præparatis jam modò 24. tormentis curulibus, totidemque mortariis urbem flammis ſubjiciendam velint univerſam. Cardinalis Joannes Philippus Comes Lambergus urbis epiſcopus ob exigui præſidii defectum, metumque deſtructionis maturiorem offerens traditionem à Gronsfeldio urbis præfecto proditionis accuſatus, publico retorſit ſcripto, & à Cæſare declaratur innocuus. *Vid. num.* 433. Captâ Paſſaviâ hæreditariæ Cæſaris patebant provinciæ, & militares Bavarus collectas à ſuperiori exigebat Auſtria, quas denegabant ruſtici vim vi repulſuri. Dum hæc Paſſaviæ fierent, Marſinus Auguſtâ Vindelicorum cum phalange 7000. Donawerdam properat, ibidemque transmiſſo Danubio Wendingam, Pappenheimium, Monheimium, aliaque tumultuariò intercipit oppida; & Marchio Blainvillus cum phalange 5000. Ulmâ exiens occupat Gingen, graves ambo utrobique imponentes contribu-

butiones. Cæsar ubique pressus urbi Ratisponensi ob comitia, & imperialis collegii negotia permisit quidem neutralitatem, sed hæc rem non restituit; verum Bavarus & Marsinus cives Augustæ Vindel. ad sanguinem usque emungunt, ut 76. dierum spatio tredecim auri tonnas (quælibet centum mille censetur) extorserint, & 14. Martii fidelitatis à civibus juramentum; tum Bavarus urbi arcem impositurus veteres demolitur munitiones & propugnacula: reformato acatholico magistratui restituit catholicum; armamentario satis copioso plane evacuato omnes curules machinas, ceteraque armamentarii arma Monachium abducit, atque ita urbem Romani Imperii speciosam, opulentam, nec minus validam robore, divitiis & elegantiâ denudatam ad ultimas præcipitat calamitates. *Vid. n. 432.*

Bavarus Augustâ Vind. omni exuit robore & ære.

Interea temporis utraque belligerantium pars ferventi se studio in proximam præparat expeditionem; bellici quidem nervi defectus Gallos aliquamdiu; sed & in Tractu Cemmenio cruenta indigenarum calvinistarum in Regem factio detinebat, quam barbarà marefchallus Montrevellus crudelitate conatus, sed frustra, supprimere, ut supra memoravi, Villarius tamen postliminiò composuit benignitate, facta omnibus liberè domum redeundi licentiâ; tum succursum Bavaro destinatum sub Comite Tallardo maturant. Nec impigri in nervo bellico conquirendo Britanno-Batavi Gallis promptiores validum sub Marleborugo Germaniæ jam fermè agonizanti submittendum 30000. subsidium expediunt, quale Germania vix hominum memo-

Marleborugus tendit cum subsidio in Germaniam superiorem.

moria vidit viribus, armaturâ, & animi generositate excellentius, magnis in Germaniam contendens passibus. Priores tamen Galli & Bavarus Ulmæ veris initio ad deribitorium convenientes 25000. exercitu properant ad Hercyniam silvam, gallicum ibidem succursum excipiendi promovendique, aut irrito ejus successu alia tentandi causâ: Cæsareus vicissim & imperialis sub March. Bareutensi & Com. Styrumio exercitus Nordlingæ collectus Heidenheimum tendit, hostiles observando motus & molitiones, simulque Würtenburgensem ab hostili invasione Ducatum defendendo. General. Tungenus castra decem millium à lacu Acronio ad Hercyniam usque silvam fixerat, eaque ante & retro vallis ac fossilibus lineis tam arcte communierat, silvamque obstruxerat concædibus, ut impossibilis ex Brisgovia per eam pateret transitus: paulo infra turmæ Borussiæ, Suevæ & Würtenbergicæ omnem intercludebant Hercyniæ aditum. Approximante autem Bavaro Thungenus viribus impar inde castra prope Rothweilum transfert, locum Bavaro cedens, qui mox castra Dutlingam inter & Villingam metatur, quem Bareutensis, Würtenbergensis & Styrumius 18000. conjuncti Thungio insecuti, multis quotidie illum velitationibus ad prælium lacessunt; ille vero detrectans 6000. plaustrorum carragini condensatim suum includens exercitum, splendidam annonæ & pabuli patitur inopiam & famem, donec tandem Tallardus citra omnium opinionem Brisgoviæ Friburgum prætериens per vallem petrinam, seu cavam, ut vocant, foveam, 20. Maji sine ullo impedimento

Bavarus præliũ detrectans fame arctatur

Tallardus per Hercyniam Bavaro conjungitur.

se Bavaro 24000. conjungit; Ludovicus propterea Badensis cum insigni Cæsarea accedit castra supplemento, & conflictum irrito tentat; quia magnis Bavarus fugæ similis passibus versus Danubio-Eschingam, Pfullendorffium, Elium fl. adeo properat Ulmam, ut homines plurimi & equi deficerent; cujus insistens Badensis vestigiis opulentâ potitur prædâ, 15. enim clitellares Bavari mulos & 40. equos cum arcana militari cancellaria, pretiosa veste adamantibus clavata, & argento escario intercipit. Bavarus juxta Elium Badensis haud procul Ulmâ castra metati, quæ eodem hoc tempore in Majo accedit Eugenius Sabaudiæ Princeps, imperialem ducturus exercitum; Tallardus autem ad suum reversus exercitum Friburgi considentem, versus Kehl movet & Rheinaviam.

Marleborugus Gallos ad Mosellam decipit.

Dum hæc fierent, Marleborugus cum selecto 30000. exercitu incredibili celeritate in superiorem festinat Germaniam: utque juxta priori anno Francofurti conventionem hostium vires distraheret fallleretque, evulgatâ passim studiosè famâ in tractu Mosellæ Trarbachum aut Theonisvillam invadendam, atque ideo plures in rheno inferiori naves annonâ, & ingenti bellico apparatu Coloniam & Confluentiam deductæ sunt, ac Villerojus ex Belgio è regione subsecutus Marleborugum observabat, prævenire autem illum non poterat; hic verò Confluentiæ ad sinistram declinans dum transito ibidem rheno moveret Moguntiam, rursus decepti Galli Landaviam, vel Alsatiam impetendam existimabant; ubi verò Ladenburgi

su-

ſuperato Nicro ad dextram verſus ducatum moveret Würtenbergenſem, tunc primùm in Bavarum expeditionis capiebant myſterium; fiebatque 22. Junii Marleborugi cum imperiali Cæſareo exercitu (ad quem recens Boruſſici & Weſtphalici circuli copiæ acceſſerant) conjunctio admodum deſiderata. 80. millium armatorum.

429. Tum Bavarus ſibi metuens caſtra prope Lavingam & Dillingam transferendo validis firmat loricis & vallis impenetrabilibus, utque Confœderatis Danubii obpeſſularet tranſitum, Schellenbergum prope Donawerdam militari tumultuariè ſepimento, aliisque munitionibus firmiter circumvallat, quem una ex parte urbs Donawerda, ex altera denſa defendebat ſilva & Generalis Arco cum 7000. ſelectiſſimorum militum propugnabat, pro loci tamen capacitate non erat præſidium ſufficiens, & ſepimentum necdum abſolutum. In militari igitur convocato conſilio aliquorum cum Badenſi erat ſententia oppugnationem in dies aliquot differendam, quod miles itinerum difficultatibus debilitatus & exhauſtus, integris Bavarorum viribus veriſimiliter cedet & rejicietur; Marleborugus autem cum potioribus celeritate utendum, ne aut hoſtis elaberetur, aut ſepimentis ſe adeo communiret, ut expelli nequaquam poſſet, cunctandoque periculum Germania non evaderet, ſed inevitabili exponeretur exitio; miles otio interiret, aut difflueret, & cujuslibet horæ mora plus quam mille virorum ſtaret ſanguine.

Badenſis & Marleborugus Schellẽbergum occupant.

N 5 In

In hanc itum sententiam, & Marleborugus 2. Jul. Hemerdingo cum 32. equitum turmis, & sex peditum millibus eo contendens, non expectato Badensi, qui postremum ducebat agmen, circa quartam vespertinam tormentis primùm curulibus Schellenbergum aliquamdiu flagellat; circa quintam verò Generalis Goor cum peditatu irruit præsidiarios, qui fortiter, ac desperatè pugnantes, bis demum gladiis armati sepimento erumpentes Anglos repellunt, repelluntúrq;. Alteram jam etiam sepimenti adhuc imperfecti partem Badensis aggreditur, & post cruentam unius & dimidiæ horæ impugnationem transcendit & occupat: Arco interim Schellenbergi præfectus tres Gallicas catervas urbis Donawerdæ moderatori submiserat, ut opertas inde in castra tendentes vias tutoribus nudatas defenderent, cujus neglectum Angli advertentes, magno mox irruunt in illas impetu, & capiunt; fit utrobique atrox pugna, cædes & fuga partim ad urbem, cujus aliquamdiu porta manebat clausa, aut aliter interdicebantur; partim per navalem danubii pontem, quem tamen priores metu persecutionis resciderant, ita ut plurimi 800. aquis suffocati, pauci natando cum Præfecto Arco vitam conservarint. Cæsum est tunc bavaricæ robur militiæ [7000. quinque scilicet peditum, & duæ dimacharum legiones] aut captum scil. 1200. cum 16. curulibus machinis & impedimentis; nec minus cruenta Confœderatis cessit victoria, quatuor namque millia occubuere, vel universim tam cæsorum quàm vulneratorum 5704. censentur; inter illos numeran-

Bavarû interne-civè pro fligant.

rantur Generales Styrum, Goor, Beinheim, Dux Beverensis &c. inter hos Badensis, Hasso-Cassellensis, Thungenus, Hornius, Dux Wurtenburgensis, Com. Friese, Furstenbergus, & plures alii tribuni & officiales non graviter læsi. Eadem adhuc nocte misso ad Donawerdæ præsidiarios nuntio jubet Bavarus pontem, granarium & urbem quatuor in locis flammis subjici, & maturâ sibi fugâ consulere; sed præoccupantibus illos confœderatis, ignibusque civium studio extinctis, fugam maturarunt noctis beneficio, Donawerdam confœderati 4. Jul. occupantes insignem offendunt bellicum apparatum & commeatum. Hæc victoria liberum ad ulteriores progressus, & in Bavariam aperuit aditum; neve Bavarus cum Marsino ab illa separaretur, sua castra Lavingâ & Dillingâ Augustam Vindel. ad Lechum fl. locum omnibus securiorem & opportuniorem transfert, omniaque dispersa ad se revocat militaria præsidia, & alterum gallicum exorat succursum: dein denegatam & hucusque 10. hebdomadibus dilatam Ratisponæ, & imperiali ibidem Legatorum collegio permittit assecurationem pro reciproca sui ab ea assecuratione; sed oblatam ab Herbevillo Cæsaris nomine tutelam & præsidium recusat admittere, quod indignè ferebat Cæsar, dignas autem literis Marleborugo pro obtenta victoria gratias agebat, unde meritò:

Bavarus irritò Donawerdam & pontem jubet incendere.

Non tibi cunctator Fabius, sed fulmina belli
Scipiade, ac Cæsar Marleborugo placent:
Tarda nimis visa est victoria parta sedendo,
Audendo potius te properata juvat.

Nota-

Notabilis hujus victoriæ dies fuit Visitatio B. Mariæ V. Bavarorum patronæ, cujus ante annum favore, ut ajebant, Ulmam in ejusdem nativitate fraudulenter Elector ceperat; ita in singulis ejus festivitatibus sibi fore propitiam non dubitabat: sed ubi deest belli justitia, deerit fortè etiam D. Virginis imposterum clementia, & boni hactenus successûs continuatio. Testatur Donawerda ab eodem derelicta, quæ olim libera Imperii Rom. civitas, ante annos circiter centum immedietate per Bavarum est privata. Habuit proprios antiquitus Comites; sub Henrico VI. Sueviæ Ducibus subjecta: anno 1266. oppignorata Bavaro: à Carolo IV. anno 1348. facta libera Imperialis civitas: post annos 28. denuo hypothecata Bavaro; abhinc in fidem & leges Ludovici Barbati juravit: anno verò 1414. per Sigismundum Cæsarem libertate rursus donata, & à Friderico III. contra Bavarum in tutelam usque ad annum 1607. recepta; à Rudolpho II. ob illatam Abbati S. Crucis in processione violentiam banno proscripta, à Maximiliano Bavaro executore occupata, & tum propter antiqua jura, tum executionis sumptus pro pignore sibi reservata, municipalis est effecta. Demum anno 1632. Suecus illam invadens bavaricum præsidium internecione delevit; sequenti tamen anno eam Bavarus recuperavit, & ejusdem hucusque juris permansit. Hoc autem temporis statu à proscripto Imperii hoste Bavaro liberata, pristinam sibi vendicat libertatem & immedietatem, juxta pacis monasteriensis pacta §. 12. art. 5. *Quod ad Donavverdam attinet,*

Donawerda vult esse libera imperialis.

si in proximis venturis comitiis universalibus in pristinam libertatem restituenda esse judicabitur ab Imperii Statibus, eodem gaudeat jure in ecclesiasticis & politicis, quo cæteræ Imperii liberæ civitates; ideoque ad Suevici circuli conventum Eslingæ habitum suos postmodum submisit deputatos, ab ipso forte circulo invitatos.

4. Jun. Fuggerus Com. Dillingam cum arce capit deditione, Hochstadium jussu Badensis munit præsidio, & Schellenbergica castra rusticorum ope destruit; turma alia emissitia hostiles 16. æreas naves ponti instruendo accommodatas intercipit. 5. Jun. Confœderatus exercitus trajecto diversis locis per æreos pontes Danubio hostem insecuturus, prope Mertingen castra figit, indeque missus Com. Friese Lecho pontem imponit, quem 10. Jun. tribus exercitus locis emensus Rainæ frustra postulat deditionem, quam tamen tormentis flagellatam, murisque dejectis 16. ultroneè offert cum 24. curulibus machinis, mediocri commeatu & bellico apparatu. Neoburgum etiam à Gallo-Bavaris desertum occupant Confœderati.

Confœderati capiunt Dillingam, Reinam, Neoburgum.

Hoc eodem tempore General. la Tour & Orientalis Frisiæ Comes cum tribus equitum Britannorum millibus Monachium usque in Bavariam excurrentes, supra centum vicos & oppida igne & ferro crudeliter depopulantur, cùm quòd Bavari captivos asperè tractarent Britannos, tum ut eorum Ducem ad saniora traherent, cogerentque consilia, cujus etiam spes aliqua in Cæsareis Fridbergæ castris affulgebat, unde Elector Wratislavium Comitem evocabat

Angli Bavariam depopulantur.

Bavarus pacem simulat

bat Augustam de pace ibidem acturus; hunc autem vix urbem ingressum præfectus momento jussit excedere, securitatis licet literis à Bavaro instructum; tanti valent Germaniæ principes & Electores gallico compediti aureo jugo; at ubi Tallardum cum altero appropinquare 36000. subsidio percipit, omnia concordiæ evanuêre consilia, ad temporis solummodò prolongationem proposita. Interim continuo premitur Elector metu, ne à confœderatis, in ejus conspectu Fridbergæ considentibus, opprimeretur, annonâ indigens & pabulo. Monachium quidem in urbis defensionem 3. armatorum millia submiserat; sed à la Tour præventi cæde 1500. Augustam repelluntur. Generalis etiam Guttensteinius perruptâ prope Kuffsteinium cum tyrolensi militia Oenivalle, & fossili ibidem lineâ Bavariam irruit, & 22. Jul. validam Hohen-Aschau arcem, propugnaculum Schlâgen, & Marquartstein occupat, & 26. Jul. arcem Traunsteinam: alii ferri ustrinas, plumbi fodinas & officinas destruunt, & ingentem pecorum jumentorumque abigunt multitudinem, in pœnam talionis Tyrolim versus abducentes, ut miseranda utrobique esset Bavariæ facies.

Novo per Tallardum subsidio firmatur

Tallardus interea temporis variis ad rheni tractum ultrò citroque motibus aut Philippopolim, aut Stollhovenses invasurus lineas ab Eugenio ibidem invigilante credebatur; at ubi infelicem ad Schellenbergum inaudiit Bavarorum stragem, Electoris rogatu, & Regis imperio alterum 35000. succursum Friburgum versus & silvam herciniam traducit, succedente illi

cum

cum 20000. Villerojo, & Coigno in Alsatia cum 8000. remanente. In itinere autem Villingam 16. Jul. aggressus, vineis tumultuariè factis illam 18. tormentis acriter ad infimas adeo murorum ruinas flagellat, ut 20. Jul. decretoriam tentaturus impressionem crederetur; Præfectus igitur urbis Baro de Wilsdorff singulari studio & vigilantiâ ruinas trabibus intermixtâ terrâ & fimo, aliisque materiis obstruere, milites & cives 600. gnaviter paratos opponere, novos per viros & mulieres internos aptare recessus, cunctaque in vigorosam magnanimiter præparare defensionem, quod Tallardus observans omisso insultu, ignitis continuò globis urbem, modico sed detrimento, vexat, & 22. Jul. attentâ indefessâ urbis propugnatione, & exercitu Eugenii approximante, Rege etiam succurrendi Bavaro maturitatem urgente, solvens obsidionem, Ulmam; inde properat Augustam, & Bavaro se conjungit; quem Augustæ cum plus quam 800. tribunis, centurionibus aliisque officialibus invisens ajebat: Ecce Elector præsento, & adduco vobis exercitum hactenus invincibilem, qui Landaviam fortitudine occupavit, hostem ad rivum Spirensem gloriosè triumphavit, & optata secundabit ulterius consilia, desideriaque vestra consummabit.

Tallardus Villingam frustra tentat.

431. Eugenius interea relicto Rothweilum inter & Villingam Generale Com. Vehlen, ut Villeroji motus observaret, Danubium versus cum 18000. festinat, & dum confœderatus exercitus apud Straubenhaussen & Steingreist castra figeret, ipse Hochstadium venit, cum Marleboru-

Exercitus utrimq; conveniunt.

borugo, hostem prælio aggressurus, cujus eo collimabant consilia, aut cum confœderatis confligere, aut Wurtenbergensem imprimis opprimere ducatum, tum ut Villerojo propter correspondentiam esset proximior, tum ut ipsum Principem Wurtenbergensem ad gallicas partes traheret, aut totam Sueviam & Franconiam servitutis jugö submitteret, ideoque Gallo-Bavarus exercitus eodem die Danubium versus movet; Badensis autem, Eugenius & Marleborugus Neoburgi in militari consultabant consilio, an cum hoste prælio decertandum foret consultum, dissuadebat, seu potius votum suspendebat Eugenius, leonem vulpi, seu potius elephanti immiscens; si namque ajebat succumberent, nihil, vel exiguum Britannia; Cæsar autem amitteret exercitum vix recuperabilem: quod admodùm affligebat Marleborugum, prælium exoptantem; Eugenius autem quod palam prudenti studio dissuadebat [ne hosti per corycæos invigilanti sua proderentur consilia] id occultis ad Marleborugum datis literis suadebat, imo urgebat prælium, & de conjunctionis loco conveniunt. Abeunte igitur, ut decretum erat cum parte exercitûs ad oppugnandum Ingolstadium Badensi cum Balvino & Mercio, Marleborugus, quòd per explotatores audierat Eugenium haud procul Donawerdâ cum 18000. considentem ab hoste tumultuariè opprimendum, citatioribus hostium opinione passibus ad conjunctionem cum illo festinat; & jam modò unâ tantùm horâ hostis aberat, castra juxta Hochstadium, Lavingam & Dillingam metatus, loco admo-

ad modùm opportuno , quorum ala dextera haud procul Danubio vicos includebat Blindheim & Oberklau, valido peditatu repletos, cui præerat Tallardus; alæ sinistræ Bavarus & Marsinus, quæ usque ad montana, & vastam se extendebat silvam, ubi major quoque vis peditatûs erat collocata, frontem verò ingens defendebat tormentorum multitudo, rivus quoque transitu difficilis tota eorum circumdabat castra, eminentiori loco posita; jamque totus in acie 12. Augusti paratus stabat Gallorum exercitus, & confœderatos expectabat, qui die altera orto vix sole alacres superato rivo Kessel supra oppidum Schwemmingen suam instruebant aciem, cujus alam dexteram ex Cæsareis, Danis, Brandenburgicis, Luneburgicis & Hanoveranis compositam Eugenius in Bavarum & Marsinum ducebat, Marleborugus sinistram Anglorum, Batavorum & Hassorum alam in Tallardum, atque ita in octo distincti columnas, ut ajunt, in hostem procedunt, tormentis acriter in se fulminantem; nec impigri confœderati ad horam usque secundam pomeridianam tormentis Gallos vicissim impetunt; sed quia Eugenius iniquiore stabat loco, qui multis adeo foveis, inviis, lacunis & paludibus erat impeditus, ut has tribus difficulter horis pertransiens haud exiguum ab hostilibus interim tormentis passus sit detrimentum. His licet obstantibus ingenti tamen animi ardore Eugenius hostem equitatu aggressus primum Bavarorum ordinem, seu lineam perstringit; sed repellitur à secunda (hinc plures peditatum equitatui intermixtum expedivisse

existimant) dumque hic se recolligit, peditatus multò inferior à Bavaris invasus ultra 400. passus rejicitur, reductusque tumultuariè ab Eugenio hostem adeo in fugam agit, ut quasi de victoria jam certus esset; sed sexaginta rursum passibus deturbatus intra horam sese congregans in cruentiorem generosius pugnam se præparat; præliatur interim fortiter equitatus, debet tamen ob hostium multitudinem cedere, donec tandem Eugenius duos cataphractos milites fugam meditantes ex indignatione globo trajiciens, militemque ad fortiter agendum confirmans furiose hostem adoritur; & Danus quidem sub Gen. Scholten, & Brandeburgicus sub Principe Anhaltino Dessaviensi peditatus viribus quamvis impar, tam generose constanterque hostis impetum sustinet, & mox etiam irruit, ut illum confunderet & turbaret, quâ occasione succenturiatus usus equitatus Bavaros perrumpit, turbat, cædit, & in fugam adigit, ut vix Dux ipse Bavarus captivitatis elapsus sit periculum. Sinistrâ interim Marleborugus alâ incredibile est, quantâ etiam alacritate & fortitudine cum Gallis conflixerit; nam cum prævideret se frustra laboraturum, nisi Blindheimium pagum prius occupasset, binos Britannos equites Kutz & Wilkes cum selectis eò legionibus expedit; quod Tallardus observans totum alæ suæ peditatum cum 4. dimacharum legionibus pago immittit, qui & militari sepimento, vallaribus sudibus, intercurrente rivo, & carragine validè erat communitus, ex altera vero parte omnem sistit equitatum, & rivum pertranseuntem Kutzium invadit;

Eugenius Bavarum in fugã propellit

Marleborugus Tallardum cædit.

dit; fit cruenta utrimque collisio, usque dum totus Anglo-Batavicus equitatus rivum transvadatus, hostem quatuor generose vicibus, sed non sine sanguine, adortus, conjicit in fugam, salutem natando quærens in Danubio (quia alia non patebat via, nisi ad pagum Sondersheim paludibus obstructa) mortem invenit, quam & ipse Tallardus in eodem certò subiisset Danubio, nisi à Boineburgo Friderici principis Hasso-Casselensis protribuno sub certa vitæ securitate revocatus renatasset; captivitatem tamen non effugit, licet insigne auri pondus, regium è collo pendentem ordinem, legionis tribunatum, & aureos pro dimissione Boineburgo promitteret montes; sed ille munerum & promissionum contemptor Principi suo Hasso-Cassel. eum tradit, qui ad Tallardum ajebat: Domine Mareschalle, doleo vices nunc vestras, sed est compensatio & talio stragis rivi Spirensis. Multæ præterea Gallorum phalanges ibidem sunt captæ; tres autem pertinaciter muri instar se defendebant, quas Hasso-Casselens. circumcingens, paucis elapsis, dedit omnes internecioni. Peditatus interea Anglo-Batavicus ad pagum Blindheim properat, & militare ejus occupat sepimentum, ipsumque in pagum irrumpit; sed ab hostium multitudine repulsus, injectis ignibus ad horribilem licet clamorem & ejulatum coangustaret, desperate tamen se quinque omnino horis tuebantur inclusi, donec confœderatorum equitatus ex persecutione redux totum circumcingendo pagum, ad ultroneam, pluribus licet contranitentibus, sed sine spoliatione,

Tallardus capitur.

cogunt deditionem 27. phalanges peditum, & quatuor desultoriorum legiones, cum summa omnium admiratione, quòd veteranus adeo miles & Galliæ robur tempore prælii nullam ex pago tentarit excursionem, multùm haud dubiè illis profuturam. Dux Bavariæ auditâ totali Gallorum internecione, & Tallardi captivitate, quamvis confœderatorum vim aliquamdiu sustinere & retardare potuisset, metu tamen ne à toto circumdaretur exercitu, interposito equitatui peditatu fugit Lutzingam ad montis cacumina, inde coactus ire Morslingam, ubi superatâ palude propter appropeṙantes confœderatos præcipiti se fugâ proripit Lavingam.

Gallo-Bavari internecione cæsi.

432. Insignis & memorabilis fuit hæc victoria, atque à sæculo inaudita Gallorum strages; nam præterquam quod Gallo-Bavaricus exercitus altiori & opportuniori, confœderatorum autem iniquiori consisteret loco; illique 60. hi autem 50. solummodò armatorum millia numerarent (nam Badensis 20000. cinxerat Ingolstadium) illi tamen turpiter succubuerint; cæsa enim sunt Gallo-Bavarorum 9000. capta 15000. peditum nempe 11000. & equitum 4000. tripartitò confœderatis divisa: Danubio submersi sunt 3000. taceo plurimos vulneratos, ita ut omnium tam cæsorum quàm læsorum numerus superaret 40. millia, tantusque fuit vulneratorum officialium numerus, ut Ulma vix illos caperet, & omnes omnino officiales aut capti, aut læsi, aut cæsi fuerint; capta etiam sunt castra & impedimenta, 137. tormenta bellica, 24. mortaria, 5400. currus annonarii

330.

330. clitellarii muli, 127. signa pedestria & 15. equestria, ærarium castrense, cancellaria, militare pharmacopolium, 3600. calæ militares, 2. pontes navales, & 15. æneæ naves pontibus struendis aptæ; immo tam terribilis fuit Villerojo hæc suorum popularium strages, ut ingenuè fassus, Galliam ultra sæculum à strage anno 1557. ad S. Quintinum facta, similem non fuisse passam, qua supremus Hispanorum Generalis Dux Sabaudiæ Gallos ad internecionem captis tribus eorum præcipuis Belliducibus, profligavit. Ludovicus Rex hac Hochstadianâ strage auditâ omnes in aula præsentes mareschallos ad secretum convocat consilium, vulneri remediū applicaturus, in quo liberior Catinatus insanabilis ferme hujus vulneris causam in postremum Bavaro submissum succursum à se rationabiliter dissuasum conjecit, quem quia Rex ipse urserat, Catinato objicienti fuit offensus, & ab aula dimissus. Quid ni triumphasset, si peditâtum, florem exercitûs, in pago Blindheim Tallardus inutiliter non occultasset, si, ut jussum erat confœderatis, rivi transitum prohibuisset, & totis castris, non per phalanges, hostem invasisset, Bavarique Ducis exemplo generose fortiterque dimicasset, sed ut quidam per experientiam ajebat, gallicus impetus primus plus quam virilis est, alter, & multò magis tertius plus quàm fœmineus. Qui Tallardus Germaniæ jam tum subjugatæ leges consueto Gallis fastu præscribebat, & regiam Sueviæ Franconiæque Bavaro imponebat coronam; hic autem turpiter delusus, miserè in Angliam cum filio captivitatis jugo obstrictus

est deductus: incidit in foveam, quam fecit, suis nimiùm arrogans viribus confisus. Ita Regibus capitalior nullus est hostis, quàm superbiæ vanitas. Leopoldusècontra soli divinæ confidens armipotentiæ, pridie pugnæ, hoc est 12. Augusti, triduanas jussit per Viennensem Episcopum preces pro felici armorum successu institui; quod insolitum adeo sollicitabat aulam, infaustum ex Lusitaniæ tunc adveniente cursore nuntium metuens, ut plures causam precum à Cæsare indigitarent, quibus non ingrato respondit animo: nihil infausti se habere nuntii, sed cordi esse sibi rem intra triduum futuram, unde salus Austriacæ Domûs, aut ruina dependeret, & jam antè insolens per Viennam fama evulgaverat victoriam antequam partam; quam turcicus Viennæ legatus Achmet Effendi cum admiratione audiens dicebat: Leopoldus Cæsar vir Dei est, & Deus cum eo, contra quem nullus prævalebit hostis.

Non incruenta tamen stetit Confœderatis victoria, interfecti eorum sunt 4485. vulnerati 7823. horum præcipui sunt Duces: Wurtenburgensis & Holsato-Ploensis, tribunus Bredau, centuriones Billerbeck, Boumsisat, Mollier, Aremont &c. mortui General. Bilcke, Comes de Blumenthal, tribuni Kailler, Oedesschwing, & Dahler, protribuni Gesler, Boloritzo, Lacke, Wiekowitz &c. nec procul abfuit periculo Eugenius, cujus transjaculatus equus, dum ardentior in hostem invectus, & à suis propemodum præcisus captus credebatur; ille namque imperterritus jam in fronte exercitûs

Eugenii periculũ & laus.

tûs, nunc retro, modò in latere, tum in medio militem in hostem ducebat, animo dejectos erigebat, ignavos & profugos arguens incitabat, & reducebat in omni præsens periculo & consilio & exemplo militem agebat & ducem, ut omnes illum milites venerarentur ut ducem, ut patrem amarent, sequerentur ut magistrum, qui non vinci, sed vincere & triumphare doceret, ideoque omne mortis periculum alacres promptique subeuntes. Hinc ante pugnæ hujus principium totum suum perequitans exercitum singulas adhortatus legiones, incitavit tribunos, centuriones animavit, militemque confirmavit, & feliciter etiam de hoste loco & viribus multò superiore triumphavit, ut fœderati discerent duces, viam virtuti nullam esse inviam, proceres admoneret, & perfidam cum patriæ hostibus conjurationem raro esse impunitam, ac tandem agnosceret Ludovicus XIV. neminem ante obitum debere aut Felicem, aut Magnum prædicari; sed solus Magnus esset armipotens Deus, cui pro hac ingenti & memorabili victoria, tamque mirabili à gallicæ servitutis jugo liberatione non solùm cum Cæsare Germania, sed etiam Anglia & Hollandia singulari ubique lætitia immortales egerunt gratias, simulque inclytissimam duorum Heroū oppressæ Germaniæ liberatorum & conservatorum, Francisci Eugenii Sabaudi, & Joannis Ducis Marleborugi militarem prudentiam, experientiam, & invictam fortitudinem perpetuis inscribendam æris, summis in cœlum laudibus extulerunt. Marleborugum Cæsar in grati animi

Marleborugus fit Princeps Imperii Rom.

& meritorum significationem in S. Romani Imperii Principem literis manuscriptis declaravit; quam ille dignitatem modestè citra Reginæ suæ consensum recusat, cujus postliminio diploma Josephus I. expedivit, & Ducatûs Mindelheimensis in Principum collegio adeptus est possessionem, *de qua infra num.* 461. & hic est principatus octavus, quem Leopoldus tempore regiminis sui contulit; anno scilicet 1662. Porciæ, 1664. Fürstenbergo, Schwartzenbergo, 1672. Ottingeno 1674. Montecuculo 1678. Waldecio 1682. Schwartzenburgo 1697. & Marleborugo demum 1704. 28. Augusti, aliis verò Ducatum per successionem confirmavit; Hanoviæ Comes collatum certis de causis non usurpat; neque hic numeratur Princeps Livius Odeschalchus, & Principatus in Silesia Freudenthal ad dies solum vitæ concessus Teutonici Ordinis Magistro.

Quot Leopoldus Principes creaverit.

Villerojus Tallardum ad capiendam veluti devictæ modo Germaniæ possessionem, aut devastationem subsecutus, præcipitem suorum audiens fugam, haud diu moratus, relictâ recens occupatâ Oppenaviâ & Würtenburgensi ducatu, rhenum subitò pertransit; reliquus Gallo-Bavarus 17. millium exercitus 14. Augusti Hochstadio & Dillingâ desertis cum ponte ratiario Lavingam fugit, inde combusto Danubii ponte Ulmam & Memmingam properat, ubi deficiente annonâ & pabulo violentam passus famem, continuo trepidat tremore, ne ab hoste & rusticis circumdatus, internecione penitùs dele-

deleretur; Marsini tandem consilio per Hercyniam magnis properans itineribus rhenum trajicit, & Argentoratum festinat, paucisque diebus illam derelinquit regionem, quam duorum annorum spatio humano plusquam 50000. sanguine occupaverat; nam 16. Aug. gallicum Augustæ præsidium medio noctis urbem & arcem, relictis tormentis, bellico apparatu, & domo annonaria, trepide excedit, conducitque duos urbis præfectos, totidemque senatores tanquam fidejussores, ne relicti ibidem 300. vulnerati & ægroti negligerentur, sed bene curarentur; unde urbs hanc cudit monetam, cujus in una parte erat circumscriptio: *Augusta Vindelicorum*. Et infra: *Vi occupata* 16. *Decemb.* 1703. *miraculo liberata* 16. *Aug.* 1704. In altera supra Noë arcam columba ramum olivæ gerens hac cum epigraphe: *Bonæ spei*, erat signata; alius hoc exprimebat carmine:

Gallo-Bavari fugientes rhenũ trajiciunt.

Deserũt Augustã Vindel.

Bis octava dies Augustam mense Decembri
Fecit insuueto subdere colla jugo.
Bis octava dies Augusto mense redemit
Augustam Augustus liberat atque facit.

Obsides etiam Augustani numeratis Gallo-Bavaris 50000. Imp. Augustam redierunt. *Vid. num.* 452.

453. Memmingam Galli 18. Aug. Bavaricus autem equitatus 21. deserentes, Biberaci conveniunt, famâ divulgatâ hostem accelerare, qua datâ portâ ruunt, & relictis omnibus Ulmam confugiunt.

Memmingã.

Die Hochstedianam pugnam præcedente, 12. Augnst. Herbevillus occupatâ per vim Aulâ,

ut vocant Bavaricâ, è regione Ratiſponæ ſitâ, hanc quoque ſibi à magiſtratu poſtulat pateſieri; qui dum ex conſenſu imperialis collegii ingresſum urbis Herbevillo, & tribunis ejus ſolis permittit, ipſe quaſi per urbem ad Pruelenſem invitatus Carthuſiam iturus, occupato tumultuarie ponte, miles cum ipſo urbem ingreditur, moxque ſtationem ad portam firmat, urbanis domum comiter dimiſſis excubitoribus. Territus hac inſperata, & ſine tumultu urbis invaſione legatus Bavaricus Baro de Zint ſibi planè diffidens (quamvis ab Herbevillo ſecuritatis certificatus) ad Brandeburgici fugit diverſorium; qui tamen paulò poſt cum legato ſimul Colonienſi Barone de Zeller Cæſaris mandato urbem & collegium deſerere ſunt coacti: Elector vero Argentoratum ſecedens Thereſiæ Cunigundæ uxori ſuæ Electrici, Memmingæ tunc commoranti, per Reichardum ſecretarium ſuum ſignificat, conſultum nunc fore, ut ipſa cum filiis Principibus Confœderatorum partes amplexa, rediret Monachium, & à Cæſare amneſtiam, ſecuritatemque deprecaretur: eandem quoque ipſa per Baronem de Mayen conſiliarium, & confeſſarium ſuum Smacherum à Badenſi & Marleborugo demiſsè petit, innocuam ſe proteſtans, maritumque ſuum Electorem à tam periculoſis exitioſisque conſiliis obſecratione & exemplo ſæpius ſe dehortaſſe; ſed nec à Cæſare, nec à Principibus ad votum exaudita eſt. Elector deinde in ſua procul abſentia Thereſiam Electricem Bavariæ Ducatûs conſtituit gubernatricem, dans abſolutam illi poteſtatem auctoritatemque

[Margin: Herbevillus Ratisponam occupat;]

[Margin: Electrix Bavar. fruſtra à Cæſare petit ſecuritatem.]

tam

tam in civilibus & politicis, quàm militaribus tractandi & concludendi omnia &c. Anne modò vaginam reperit Elector, quam ad saniora nuper à Marleberougo, sed irritò hortatus amisisse dictitabat, postquam ensem semel evaginatum strinxerit (in quem? in parentem! O quàm perfidè! quid si jam utrumque & ensem, & vaginam, & Ducatum simul perdiderit? Badensis interea dum Ingolstadii promovet obsidionem, Eugenius & Marleborougus misso ad eum Comite Wratislao Ingolstadiensem obsidionem differendam, hostemque viribus jam accisum persequendum & Germano eliminandum solo ad se persuadendo revocant, qui quinque solummodò equitum legionibus tum ad circuli Franconici securitatem, tum ad Bavarorum excursiones infringendas ibidem cum Generali Aufflesо relictis, eminus illud cingendo, reductum inde exercitum cum Eugenio & Marleborugo conjungit, & simul 20. Augusti Ulmam circumvallant; post sex autem dies castra rhenum versus movent, commissâ Ulmensi obsidione supremo militum magistro Thungeno, qui 20000. eam acriter impugnans primùm castrensibus flagellant tormentis, muralibus autem admotis gnaviter machinis cùm proximius urbem accederet, die 10. Septemb. ultroneam præfectus Pettendorffius offert deditionem, deductumque Argentoratum præsidium 1800. cum 2. tormentis & 120. impedimentorum & ægrotantium curribus. Marchio Blainvillius, Colberti filius, quondam urbis præfectus, sed Hochstadii læsus ex vulnere ibidem decedens, con-

Confœderati capiunt Ulmam

conſcientiâ exactæ nimium contributionis ta-ctus, urbi Ulmenſi 100000, & pauperibus 60. florenorum millia teſtamento legavit. Permultum verò Imperii Rom. interfuit hujus urbis occupatio & conſervatio, tum ob commodum loci in Suevia ſitum, tum ob ſuperioris danubii ibidem tranſitum, ubi Ilardus & Blau fl. danubio maritati illum primò efficiunt navigabilem. Urbs eſt antiquiſſima à Clodoveo anno 500. fundata, ab Ottone muris cincta, & ante centum ab hinc annos à Carolo M. monaſterio Reichenavio donata: quod ad incitas tractu temporis redactum agros & bona ſua in cives Ulmenſes, permiſſu & confirmatione Imp. Ludovici IV. Caroli IV. & Friderici III. venditione transtulit; à Lothario Cæſare denique urbs igne vaſtata, & muris exuta, anno tandem 1300. muris rurſum eſt circumdata. Omnium civitatum imperialium eſt liberrima, nulli epiſcopo, Principi aut domino ſubjecta; ſed eorum ibidem poſſeſſiones ſub urbis ſunt jurisdictione & contributione. Auguſtanæ eſt confeſſionis, Suecici 30. annorum belli periculis ſemper exempta, duplici foveâ & 12. propugnaculis roborata, dominiisque quatuor Geslingâ, Langenaviâ, Leiphemio & Wain in Algovia ditata, habet territorium 6. milliaribus longum, & 4. latum: ſolvit ad Imperii Rom. matriculam 25. equites, 150. pedites, vel 900. florenos, cujus poſtea diminutionem petierunt cives. Conficitur ibidem linum Xylinum per Europam, & ipſam etiam Turciam præſtantiſſimum, & fullonica exercetur candidiſſima, in cujus nupera obſidione

Hun-

Hungari in linis albeſcentibus ultra centum florenorum millia diripuerunt. Interea ſuperioris palatinatûs arx Waldeck à populari Sueviæ militia per annum eminus obſeſſa deditione eſt capta 14. Septembris, cujus aliorumque appertinentium Averbach & Michelfeld poſſeſſionem Circulus Franconicus pro impenſis ſumptibus occupavit. Et quia inſoleſcebat Bavarorum, præſertim Ingolſtadienſium pertinacia, qui per General. Weigelum facta in 1500. Cæſareanos equites excurſione, 400. eorum proſtraverant, ceteroſque in fugam egerant; eos tempeſtivè compeſcendi causâ Herbevillus cum ſuo aliquot millium exercitu ingreſſus Bavariam, 28. Sept. Straubingam deditione, mox Paſſaviam & Kehlheimium intercipit. In Bavaria Straubingam, Paſſaviā &c.

434. Magnus interim confœderatorum exercitus 3. Septemb. Bruchſalum veniens, 5. ejuſdem Eugenius & Marleborugus rhenum tranſeunt, quos Badenſis & Comes Frieſenius 8. ſecuti ſunt; ideoque Galli deſertâ turri Spirenſi & arce Marientraut Kirweilerum aufugiunt, & Villerojus pone ſic dictum Queich caſtra metatus alam ſiniſtram prope Landaviam, dextram Germersheimium verſus extendebat. Appropinquantibus autem Confœderatis Villerojus prælium ambire videbatur; ſed aucto Landaviæ præſidio confeſtim Hagenojam ſe adeo proripit, ut Eugenius & Marleborugus eum aſſequi nequirent, 400. tamen captivos, & 4. equeſtria ſigna cæſis in via non paucis, (in qua ingens gallicorum equorum multitudo peſte mortuorum inveniebatur) intercipiunt, atque ita

Alba

Albæ Sebusianæ (Cron-Weissenburg) cum 50000. exercitu in Landaviensis obsidionis tutamentum consident; Badensis vero 14. Sept. quidecim eam millibus vigorose circumvallat, Romanusque Rex Joseph. ante biennium è se occupatam, sed infelici prælio Spirensi amissam recuperaturus 22. Sept. ad castra pervenit, lustratoque in aciem disposito exercitu, & tormentorum suggestibus, militem ad fortia generose agenda inflammat, & operarios ad laborum constantiam muneribus excitat, stationemque suam prætoriam Ildesheimii figit. Nec impiger Laubanius urbis præfectus vigorose eam propugnat iteratis ejaculationibus & excursionibus, sed plerumque infelicibus. Primâ die Octobris ex ingenti hesternâ die absoluto 30. tormentorum suggestu horrende bono flagellatur urbs successu, libratoresque à primo mane ad meridiem usque Rex in castrensibus vallis præsens militem egregio rursus dono animat & confirmat: die altera Eugenii & Marleborugi Albæ Sebusianæ castra contemplatus, incredibili à milite tripudio, & regali à Marleborugo exceptus convivio, vesperi ad castra revertitur; Landaviensia. 10. Octob. Badensis lunarem jubet occupare munitionem, quâ obtenta incensus eos cuniculus ejicit; altero tamen post die expediti sexcenti recuperant eam cum parte muri fossæ exterioris: Rex etiam signo dato opertam jubet aggredi viam, quam accensus opportune aperuerat cuniculus, ideoque firmum ibidem pedem figebant; uti etiam 16. Novemb. supremus tormentorum præfectus Bibra ejusdem regis imperio

Landaviam cingunt

Eò ad castra venit Joseph Rex.

perio

perio lunarem alibi feliciter occupat munitionem, & Comes Friesen ad muri ruinas firmat stationem: Prosper vero Comes Fürstenbergus eodem tempore medio ab urbe milliari ad castrensia valla rediturus, globo tormentario in rheda sua occiditur, Badensique fossiles vias visitanti læso ejus pede equus trajicitur. Cùm jam 22. Novemb. obsessores interiori muri fossæ firmius inhærerent, & præsidiarii evibrato cuniculo eos prohibituri insperatò aditum adeo facilitassent, ut patentibus murorum ruinis essent proximi, Rex decretoriam sub spe præmii & liberæ urbis direptionis publicavit impressionem; quinque igitur volonum millibus se sponte offerentibus paratur impetus, quem cùm urbis spectat præfectus Laubanius, expanso circa nonam deditionis signo, liberum & honestum cum 4. tormentis, 3. mortariis, & impedimentis impetrat abitum, prohibuitque Rex talionem, seu ultionem spoliationis à Gallis in ultima occupatione urbis in Cæsareos inde exeuntes præsidiarios impunè exercitæ; hac tamen conditione ut Laubanius damnum relictis in urbe vadibus resarciret. Tabulis deditionis utrimque subscriptis & signatis, 26. Novemb. 3600. præsidiarii ex continuo labore, igne, & fumo velut carbonarii Hagenojam cum præfecto deducuntur, qui miles simul & dux sane veteranus, & excellenti militari inclytus scientiâ carpento vehebatur, capite & facie obligatus, quam dissipatus pyrobolus adeo vulnerando fœdaverat, ut oculis illum orbaverit; abeuntes postquam Rex, Elector Palatinus, & belliduces ceteri cum exercitu spectassent,

Laubanius Landaviam tradit.

ctassent, actis Deo per *Te Deum laudamus* in castris sub papilione gratiis, Rex non urbem, sed Ettlingam cum Badensi ad venationem divertit: Tribuni urbem ingressi, ejusdem vastationem, & globorum pyrobolorumque passim in compitis jacentium copiam (80000. in urbem fuerant ejaculata) sunt admirati; generosa enim fuit urbis propugnatio, copiosiori, imo duplicato quàm ante biennium sub Melaco, 7000. veteranorum millium, præsidio munita, abundanti commeatu, & apparatu bellico provisa, via operta crassis in medio quercicisque sudibus confertim vallata, & internis per certam distantiam recessibus firmata, subterraneæ ad conservandum nitratum pulverem &c. concamerationes sufficientes, omniaque propugnacula & munitiones subcuniculata, adeoq; obsessionis tempore Galli cuniculos 24. haud exiguo evibrarint effectu, & 48. eorum adhuc sublatentes victoribus indicarint; post murorum præterea ruinas tales erant receptus extructi & reservati, ut generali occupari impetu videbatur impossibile; & tamen iniquis licet aëris tempestatibus & incommodis, jactura 8. suorum millium, & Gallorum 3000. Rex urbem subjugavit, HæC sCanDIt bIs MœnIa Ioseph, ostendens, quòd soLIs IosephI arMIs CeDere soLeat. Rex expeditis hic rebus Viennam repetit; bellicus ibidem apparatus haud exiguus repertus, commeatus paucus; postmodùm verò à Comite Frieseno præfecto dum urbis repararet ruinas, inventa sunt 30. bellica tormenta terræ infossa, vi pactorum à Gallis non demonstrata; excu-

cusantibus non ab ultimo præfecto Laubanio, sed Melaco in terram defossa fuisse, Spirensis probabiliter stragis Cæsareæ spolia indicabant. Urbs hæc à tempore Rodulphi V. cum decem aliis inferioris Alsatiæ civitatibus Hagenoa, Alba Sebusiana &c. imperialis, à Ludovico IV. Episcopo Spirensi hypothecata, à Maximiliano I. anno 1517. duodecim dalerorum millibus redempta, à Carolo V. Satrapiæ Hagenoensi incorporata, sed pactis Monasterio-Osnabrugicis §. 73. Regi Galliæ [protestante solemniter Hispano] cum aliis 10. civitatibus cessa, reservata tamen sibi immedietate Imperii; tandem anno 1684. per reunitionem Galliæ incorporata, invincibile quasi Galliæ effecta est propugnaculum; bis tamen à Leopoldo I. & Josepho I. annis 1702. & 1704. expugnata, & Imperio restituta, anno 1706. ad sessionem & votum in comitiis imperialibus est admissa; in pace demum Rastadiensi Galliæ restituta. *De quo infra*

435. Eugenius toto obsidionis tempore in castris Albæ Sebusianæ remansit; Marleborugus verò cum exercitu suo Mosellam versus movet, maluissetque relictis prope Landaviam 20000. reliquo in Galliam exercitu irruere, quo bellum liberatâ Germaniâ in Galliam, exercitu jam orbatam vel attritam non modò foret translatum, sed Landavia aliæque civitates à Gallia separatæ, & arctius interclusæ promptius, aut etiam necessariò se submittere debuissent. Appropinquante igitur cum 12000. Marleborugo Treverim, gallicus præfectus Marchio Loemarianus effu-

Marleborugus mosellam versus movet: inde Berlinum abit & in Hollandiam.

Treveris & Trarbachium, & Sarburgum occupātur.

effusis temere in mosellam electoralibus frumentis, naves præsentes conterit, navalē incendit pontem, & fugâ se proripit; urbem itaq; sine sanguine partam Baroni Hompesch commendans, Trarbachum abit obsessurus; sed re publicâ sic exigente, commissâque hac expeditione hæreditario Principi Hasso-Casselensi, Landaviam regressus, Regem Rom. convenit, indeque Berlinum profectus, cum Borussiæ rege singularia tractaturus negotia, tandem gloriosus redit in Hollandiam incredibili honore & gloria tot vexillis, signis & captivis triumphans exceptus. *Vid. num.* 438. Hassus interea Trarbachum octo millibus circumcingit, & Seckendorffius Sarburgum invadens diffractis beneficio nebulæ vi foribus præsidium ad arcem confugit, posthoram tamen suæ fecit potestatis, capto 350. præsidio, quod arcem ceteroquin arte & naturâ validam multo poterat tempore magno obsidentium incommodo propugnare; Trarbachum verò è quinque tormentariis diverberatum aggeribus acerrimè resistebat; nam impetum tentantes grandibus è monte trabibus devolutis arcebant, & 10. Decemb. Baronem de Trogne in tormentorum suggestu Hasso-Casselensi adstantem, & obsessionem moderantem globo trajiciebant, militem probatæ experientiæ & generositatis ab omnibus deploratum: relictâ autem 21. Novembris urbe ad arcem se conferunt Galli, desperate se defendentes; nam 24. impressionem facientes Batavi, cùm montis declivitate, tum præsidiariorum vi & arborum de-

devolutione repelluntur; 13. Decemb. vix 12. ab arcis porta passibus distabant obsessores, tam pertinaciter tamen defensores resistebant, ut dum propter validum arcis situm, & frigoris acerbitatem indies invalescentem, tum etiam insolentem præsidiariorum resistentiam formalis obsessio in bloquadam, ut vocant, crederetur commutanda, ultroneam subpræfectus (præfectus ex volnere obierat) spontaneam offert deditionem, & 20. die Decemb. cum 250. præsidio, consueto militari honore excedit, captâ demum montensi arce Dagsthul ad hyberna properatur.

Bavaricus interea temporis Generalis Weigelus Franconicum General. Aufsesum cum 5. suis legionibus, ut supra memini, ab Ingolstadii cinctione (bloquada) rejecerat, & jam Ratisponæ minabatur invasionem; tum Herbevillusècontra comminabatur totius Bavariæ vastationem, quamprimum Landavia esset subjugata, uti Romanorum quoque Rex literis ad Ratisponense collegium datis dictaverat: quare Electrix & Bavariæ status per consiliarium Meermannum Badensis intercessionem apud Regem deprecabantur; sed quia extra sphæram nimia exigebant, Consiliarius & Secretarius Neusannerus postquam Straubingensis & Passaviensis cessionis articulos absolverat, Landaviam profectus eo rem deduxit, ut 17. Novemb. inter Rom. Regem & Electricem Bavariæ in castris hæc facta sit compositio & contractus: omnia Bavariæ munimenta, munitiones, arces & propugnacula cum re tormentaria, & omni bellico

Joseph R. minatus Bavariæ eversionem.

Tandē transigit cum Electrice.

lico apparatu in Cæsaris tradantur potestatem: omnis exauctoretur bavaricus miles, & vasalli imperii sub juramento contra Cæsarem & Romanum non militent imperium: Ingolstadium, Kuffsteinium, & Neoburgum ad Oenum intra 28. Novembris cum domibus frumentariis, annonariis restituantur: omnia ex Tyroli sublata spolia refundantur, & captivi libertate donentur: Gaudeat Electrix reditibus & proventibus provinciæ seu præfecturæ Monacensis cum omnibus juribus territorialibus, thesauris, mobilibus, gazophylacio, ærario, picturis, aliisque Urbis Monacensis pretiosis, ad hanc solam præfecturam Monacensem, non Ingolstadiensem vel Wemdingensem spectantibus: omnes ab anno 1700. Monachii hucusque extructæ defensionis munitiones destruantur: corporalis custodiæ milites 400. Electrici permittuntur: tributa & contributiones Cæsaris decisioni relinquantur: Ducatûs Bavariæ status suis fruantur privilegiis, & quamprimum prædicta fuerint à Leopoldo Cæsare approbata, & adimpleta, donabitur Electrix publicæ fidei literis. *Vid. num.* 427. 452. Dilata est aliquamdiu urbium & munimentorum evacuatio & extraditio, propter insolentes præsidiariorum, Ingostadiensium imprimis factiones & tumultus, à gallico præsertim centurione Florimontio ob residua stipendia, aliasque insolentias motos; quibus solutis, & Eugenii Vorburgum, haud procul Ingolstadio adventantis auctoritate compositi sunt cum debita submissione tumultus: nam 29. Novemb. extraditum est Kuffsteinium, & 7. Decemb. Ingol-

Kuffsteinium, Ingolstadium Brunavia &c. Cæsari submittuntur.

golstadium, cum 197. æneis, & 50. ferreis tormentis bellicis, 14. mortariis, & copioso apparatu; quod ingressus Eugenius quatuor præsidiariorum millibus communit: subsecutæ paulò post sunt Braunavia & Schardingum, Bavaricusque miles exauctoratus, aut castra deserens ad sua redibat, aut Cæsaris confœderatorumque sequebatur, quæ opulentis ibidem gaudebant hybernis, eaque certis modis & mensura in annona, victualibus, pabulo, fœno, ceterisque necessariis legibus & militaribus ordinationibus ritè per Eugenium distribuebantur. Dominium vero Werthingen, marchionatui Burgaviæ incorporatum, & Comitatus Weisensteig à Bavaro hucusque possessa, Duci Würtenburgensi in partem satisfactionis sunt extradita, & juramento in fidem ejusdem recepta. Hic comitatus Imperii ab anno 1383. usque ad 1628. à Comitibus Helffenstein possessus, ultimo hujus stirpis decedente, una ejus tertia Landgravio Fürstenbergo Môskirchen, adhuc possidenti, & reliquæ duæ partes Landgraviæ Leuchtenbergensi, & Comitissæ Oettingensi hæreditariè cum omnibus appertinentiis, & cum Ulmensi prætensione ratione Geisling & Helffenstein cesserunt, à quibus in Electorem Bavarum Maximilianum, numerata ab eo pecunia sunt translatæ & possessæ; ideoque modernus Elector Emmanuel ab Ulmensi civitate antiquum illud debitum in occupatione exegit. Comitatûs illius territorium frugiferum continet Mühlhausen, Dützenbach, Marcham, Deggingen, Reisenbach, Wösterheim, Hocherstat, Trackenstein, & alia

plura. [*Vid. n.*452.453. Quibus omnibus ad Bavariæ compositionem feliciter peractis Eugenius Viennam reversus, felicissimæ expeditionis & victoriarum congratulationibus, ovationisque cumulatim lauris est exornatus: unicum illi inauspicatè cessit Brisacense stratagema, quod per Friburgensem ita adornaverat præfectum.

Brisaci proditio irrita cedit Eugenio.

Hic 9. Novemb. ad horam noctis nonam cum duobus armatorum millibus, & pluribus fœni plaustris, in quibus milites & apparatus bellicus undequaque probè operti latebant, Friburgo per noctem contendit Brisacum, aurigæque, tribuni & centuriones rustico induti habitu tributarium quasi fœnum (quod indies ibidem pendebatur) soluturi, die altera circa horam octavam crassæ beneficio nebulæ tria ejusmodi duo militum, & unum apparatûs bellici plaustra absque ullo impedimento in urbem conducunt: horum triginta fermè haud procul neoporta fortificationis Commissarius Birne, rusticos ad consuetos ductutus labores, aspiciens suspectos, interrogat, qui essent, & unde venirent? respondent, ex proximis pagis ad vallandum venisse; sequimini igitur me, ajebat; illis ad hæc surdis Commissarius protribunum de Brille arundine percutit, hic acceptis è plaustro manualibus sclopis Commissarium furiosè, sed irritò impetit, qui excitato mox tumultu in urbis fossam insiliens inter juncos & dumos iterato globis petitus, sed ob nebulæ densitatem illæsus latuit: hic tumultus excubitores in dimidiata luna, & ad portam ad arma vocat, qui versatilem in altum tracturi pontem, à curru studio ibidem

ibidem relicto impediebantur, & milites è curribus erumpentes in excubitores irruunt ; horum autem pars demissis exterioribus cataractis urbis defendunt portam; altera cum pyrobolariorum centurione Beauvalo vallum conscendens 40. prosternunt, plures vulnerant & capiunt, quos inter protribunus Osnabrugensis de Brille antesignanus ex vulnere ibidem mortuus & honorifice sepultus est. Insigne hoc stratagema, non absimile Cremonensi, feliciter successisset, si equitatus, ut jussum erat, simul cum curribus, uti commodè potuisset, in urbem irruisset ; hic autem in via propter nebulam aberrans & sero veniens nobile frustravit stratagema, Germaniæ adeo auspicatissimum.

437. Quia hoc anno cruenta belli sedes fuit Germania superior, vacavit inferior Belgium, nisi quod Batavi viribus inferiores Gallis, pyrobolis Brugas & Namurcum vexaverint, & in hoc 30. propemodum domos & granaria destruxerint ; Generalis præterea Salischus fossiles in Flandria lineas, munitionemque Isabellam in Augusto occupaverit, ab Hispanis suo quondam tempore extructam, & à nullo unquam hoste hactenus interceptam. Sita est inter unum versus terram, & duos alios versus mare aggeres ; in horum angulo dimidiata extat luna vallaribus validè munita sudibus, intra quam & ipsam munitionem intermediat cataracta, totam reserata latè viciniam inundans : quæ præterea altâ fossâ, vallo militari sepimentis cincta, & quatuor roborata est propugnaculis. Hanc, inquam Isabellam, capto, præter belli duces libere

Batavi in Belgio Isabellam &c. capiunt.

demissos, præsidio suæ fecit potestatis. *Vid. n.* 454.

Ceterum Galli Hochstadianâ attriti clade angariatis per totam Alsatiam rusticis, fossilem ab urbe Hagenavia rhenum usque lineam meditantur, Electoremque Bavarum per Herciniam, ut dixi (si forte aliquos ibidem inveniat hircocervos, culinæ regis Chimærici servientes) fugientem Argentoratum, regio venerantur ubidem honore, inde inopinatè ille ad Villerojum abiens capto cum illo consilio Metas, & inde tendit in Brabantiam: Galliæ namque Rex assignatis ipsi annuè pro regno Franconico Suevico, quod appromiserat, ducentis dalerorum millibus, titulum Ducis Brabantiæ adjecerat, ibidem à fratre Josepho Clemente jam dudum suo excesso archiepiscopatu exceptus, ita ironicè quidam scribit: Salveto frater! nisi jam serò sit salutem dicere, postquam omnia perdidimus: provinciæ, subditi, potentia, patria, auctoritas, libertas, vires, fama, conscientia; hæc omnia in fumum abiêre, dum illa cremavimus in thuribulo, quo thura dedimus Idolo gallico adoratores nimium devoti. Dolendum hoc maximè, quod nemo nobis condoleat, justam meriti irrisionem. Talem semper opem referunt clientes Galliæ, ut quibus Rex auffert provincias, postea præter aurea vincula, & speciosum mancipatum, gratiose concedat titulum mensæ: & quia tergum dedimus nostræ Germaniæ, nunc sanctum Germanum communem alumnorum patronum venerabimur, dum aliorum exemplo sapere noluimus; ego quidem alieno, tuo,

Bavarus Argentoratum inde in Brabantiam fugit.

tuo, consilio factus sum nocens; sed propriâ calamitate miser, in quibusdam tamen culpam agnosco meam, dum multa Gallorum millia Burgundionum nomine rebaptizata Archidiœcesi meæ imposui; dein Ulmam dum caperes, ineptâ lætitiâ, & effuso tripudians per Bonnam gaudio, crucem amisi pectoralem, & paulò pòst Sedem Archiepiscopalem. Cum hac confessione irem ad Patrem, nisi vincula retraherent, & sperarem veniam & gratiam à mitissimo Leopoldo, quia ut ego nomine, ille reipsa ter Clemens est; tu verò vix te submittes, sed tamen non spero obstinatus permanebis: ut revera Electores ambo postmodum clementissimo Cæsari reconciliati sunt, & an. 1722. arctiori consanguinitatis vinculo utraq; Domus Austriaca & Bavarica sunt copulatæ, *ita sepulchri Bojorum auctor scribit.*

438. Ad anni finem 25. Decemb. Dux Marleborugus in Anglia cum Tallardo, 16. Generalibus, 13. tribunis, aliisque captivis, signis, vexillis & spoliis appulsus magnificè est acceptus: quem Domus vel Senatus tam majoris, quam minoris ordinis inclytissimo pro obtentis victoriis gratiarum loco affecturus honore, dominium Woodstock, magno emptū pretio ipsi donavit, quod feudi postea loco à Regina accepit. Ubi nobile deinde Marleborugus extruxit topiarium, Blindheim vocitatum, in perpetuam cruentæ ad Blindheim reportatæ victoriæ, quâ Martialis Marleborugi dextera cœcam Gallorum prostravit monarchiam, cujus ad rivum expressionem cum singulis contingentiis excellens pictor Anglus Apelleo plane opere in præfato

Marleborugus cum Tallardo &c. captivis, signis &c. in Anglia exceptus & donatus est.

depinxit palatio. Ad anni autem sequentis initium capta hostium magno numero signa equestria & vexilla per prætorianos milites magnificâ per urbem ovationis pompâ inter triumphales tormentorum boatus, & Londinensis populi tripudia Reginâ inspectante ad basilicam West-Münster deducta sunt. Deinde ad dapsile à magistratu Londinensi invitatus convivium plurimos, quos & quot ipsi libuit Generales, tribunos, protribunos & centuriones cum Hasso-Casselensi Principe conducit, regalibus epulis pretio librarum 900. sterlingarum tractatos; postremo Marleborugus civili urbis Londinensis jure & privilegio muneratus est, donatusque extraordinariâ aurificum tribûs prærogativâ, omnium nobilissimâ, cujus diploma aurea 1000. lib. sterlingarum continebat capsula, gratanter ab illo accepta. Tum Tallardus cum filio suo March. Monperoux, Comes Blansac, March. Hautefeville, Valseme, Seppeville, Silli, Valliere, Croisy omnes campi - mareschalli cum reliquis captivis deducti sunt Nottingam; at March. Mariveaux, Messeliere, Joli, Amigni, S. Maurice, & cæteri Liechfeldiam Comitatûs Staffordiæ in captivitatem translati, cum licentia decem ab urbe milliaribus liberè venandi; præstito tamen pro omnibus per Tallardum & Mariveaux vadimonio.

Cardinal. Guilielmus Fürstenbergus Episcopus Argentinensis, Electoralis Ecclesiæ Coloniensis Decanus, & Abbas S. Germani in Parisiensi suburbio, natione Germanus, genio & naturâ Gallus, magnus Gallorum consilio & operé fautor,

tor, Germanæ autem salutis desertor, multarum in Imperio Rom. turbarum fuit incentor; ideoque in pacis inter Cæsarem, Confœderatos & Gallos Coloniæ tractatu ibidem à Cæsareanis captus & Viennam deductus, occultâ mortis damnatur sententiâ, quâ Nuntii ibidem Apostolici, & Pontificis interventu suspensa, vi pacis Neomagensis libertati restitutus. Ab Innocentio Pontifice galerum Cardinalitium acceperat Episcopus, sed eo animo ipsi concessum, ut Electoris Coloniensis Maximiliani Henrici aulâ, novæ dignitatis respectu abstineret; quod tamen non obtinuit Innocentius, Cardinale apud Electorem remanente, primus ejusdem mansit minister, ejusdemque suasu ad gallicas etiam partes Elector est traductus. Demum Maximiliani Henrici Electoris Coloniensis designatus Coadjutor, in cujus obitu anno 1688. 19. Jul. spe successionis à Metropolitano Capitulo & Pontifice Innocentio XI. dejectus [*de quo supra n.* 249.] & electus est Josephus Clemens Dux Bavariæ; Fürstenbergius autem ob exortũ tunc inter Cæsarem bellum cum aliquot Canonicis Metropolitanis fugit in Galliam, & Parisiis hoc anno 4. Idus Aprilis moritur in exilio.

Card. Fürstenbergus moritur

Conspiratio in Card. Augustũ Saxon.

Fatalis Coloniæ Agrippinæ in Episcopum tunc Jaurinensem, Augustum Saxoniæ Ducem Zeitz, nunc Cardinalem, Archiepiscopum Strigoniensem & Hungariæ Primatem, à Chiliarcho La Croix intenta conspiratio est detecta. Dux hic Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensis Præpositus à Cæsare ad avertendas Gallorum in Archiepiscopatum Colon. machinationes delegatus,

gatus, dum certis hebdomadæ diebus Carthusiæ in urbis latere monasterium [cujus ille insignis est benefactor] cùm devotionis, tum refectionis causa frequentaret, tres succenturiones & duodecim profligatæ temeritatis gregarios milites Coloniam expedit, qui Ducem ibidem aut vivum, aut mortuum (hoc latrocinale reprobavit Villerojus, consilii aliàs conscius & promotor) magni spe præmii, & promotionis apud Regem id desiderantem, captum ad arcem Vianden ducerent, quorum manuales sclopos & arma, ut tutius urbem ingrederentur & laterent, rustica quædam sub virgultorum fasce operta ad domum civis cujusdam Spickart clam detulerat, in cujus etiam subterranea cella omnes simul insidiatores per triduum aut quatriduum opportunam invadendi expectantes occasionem diu noctuque occultabantur. Horum interim antesignanus succenturio insidiarum modum, locum & domum Duci aperit, complicesque omnes opportunè capiuntur, à militari mox judicio examinati, & ultroneè fassi, commeritis sceleris pœnis die alterâ sunt affecti, duo subcenturiones Du Vaux & Philippart patibulo in urbe suspensi, reliqui globo sunt trajecti, frustra eos La Croix reclamante, ferrum & ignem, gravissimaque mala comminante: annuntiator seu eorum proditor è contra succenturio insigni ab Augusto Duce mactatus est præmio mille florenorum annuæ ad dies vitæ pensionis, & dignæ promotionis promissione.

Moscus Alexowicus

439. Petrus Alexowicus magnus Moscorum Dux Augusto Polonorum Regi confœderatus,

ratus, in subsidium contra Regem Sueciæ vocatus, Dorpiam & Narvam simul in Livonia urbes invadit; illud magnâ vi aggressus deditione capit, Narvam primùm eminus, 30. verò Maji arctius obsidet, urbis præfectus Rudolphus Henningus lib. Baro ab Horn suî securus & impavidus obsidionem haud seriam, aut abs Rege facilè solvendam existimabat, uti Rex anno etiam præcedenti Moscum cum internecione, captis tormentis ejus & impedimentis ab urbe rejecerat; Moscus verò validioribus nunc instructus copiis castra robustius obfirmavit, indigenasque omnes metu & terrore ad securiora silvasque dilapsos publico ad agriculturas & domus suas Manifesto revocavit, addito præmio & pretio illis, qui satrapas, prætores, & ministros reducerent, quibus singulari humanitate exceptis omnem appromisit securitatem & tutelam; militibus verò suis omnem etiam minimam sub pœna capitis interdixit rapinam & depopulationem, sicque urbem vehementiori invadit impetu, ut 16. Augusti utramque propugnaculi *Victoriæ* faciem fuerit demolitus: & quod mirum, eodem adhuc die aliud *Honoris* propugnaculum civitatis novæ, nullo adhuc tormenti jactu impetitum ex se concidit, & fossam, non sine ingenti civium perterrefactione terrâ & ruderibus complet, quasi ad impetum viam sterneret oppugnatoribus. Czaarus victoriæ quasi & occupationis in decreta generali impressione certus, ut humano parceret sanguini, ultroneam literis postulat deditionem; quâ temerè ab Hornio præfecto denegatâ Generalis Schönbeck pro-

Dorpiã & Narvam in Livonia capit.

propugnaculum victoriam, Tzſchammer propugnaculum honorem, & Werdenus defixa inter hæc propugnacula caſtella [Ravelin] *Gloriam & Famam* indigitata, multo utrimque ſanguine tranſcendentes novam occupant civitatem, & in veterem depellunt præſidiarios: hi evibrato ibidem cuniculo pugnam pertinaciter & defenſionem inſtaurant; ſed furioſo Rutheni impetu omnem vim & reſiſtentiam ſuperantes & hanc veterem urbem, & ipſam capiunt arcem, unius vix horæ ſpatio, & unico ſolum impetu; & eo quidem tempore, quo Carolus Rex Sueciæ Auguſti Poloniæ Regis dejectionem, & Stanislai in thronum elevationem Varſaviæ moliebatur. Militis furore paulatim defervente, civibusque ſalutem deprecantibus Czaarus urbem ingreſſus compita ſollicitè perequitans ulteriorem prohibet direptionem, militique vaſa templi auferenti imperat reddere, Schlippenbachiū Clavipolis (antehac Notteburg, nunc Schlüſſelsburg/ quòd ſit Finnlandiæ & Ingriæ clavis & acceſſus) commendatorem, ob ignavam urbis, ut Hornius ajebat, defenſionem, cuſtodiæ traditum, libertati reſtituit, laudatque illum generoſum militem & urbis defenſorem; Hornium è contra deſidem, unicâ victum Narvæ impreſſione caſtigans, detrudi jubet eum in carcerem, in quo captivos hactenus Ruthenos inhumanè crudeliterque tractaverat; atque ita cunctis in urbe ritè diſpoſitis, impoſitoque 5000. præſidio ſub Comite Menſchikovio, arcem in altera è regione fluminis parte Ivanogorodam cingit, & armatâ mox manu cornutum

ca-

capit munimentum; cujus præfectus protribunus Magnus Stiernestral tantæ impar potentiæ, & subsidii spe destitutus, deditionem offerens, militarem honestumque à supremo belli legato Benedicto Ogilvio 27. Augusti 1704. impetrat abitum. Ingens in utrisque his locis inventus est bellicus apparatus, præter alia plurima reperta sunt ærea tormenta bellica 59. ferrea 487. mortaria ærea 4. ferrea 31. curtissimæ formæ tormenta [Haubitzen] ærea 11. ferrea 4. &c. Quisquamne credidisset Czaarum tantam suam hujus æstatis expeditionem, non tanto, quàm solebat, exercitu tam feliciter glorioséque absolvisse expeditionem? tribus mensibus tres validissimas urbes & arces occupasse, Revalum & Pernam eminùs cinxisse, vexasse flammis & pyrobolis Rigam, Augusto Polonorum Regi validum submisisse subsidium, in Lithuania restitisse hostili potentiæ, dum Suecus econtra hostis ejus in Polonia gloriæ venatur umbram, & Europæorum Principum odium, amittit in regno suo Livoniam.

Revalū & Pernā eminus cingit.

Septimo Nonas Novembris iterum ad arma ventum est in Polonia majori inter Reges Augustum & Carolum, ubi equitatu Saxonico minus gnaviter rem gerente, peditatus indefensus conglobatas Suecorum vires sustinuit. Neutrâ parte victoriam prædicante, Suecus contra Moschum potiora exercitûs sui agmina ducit in Livoniam, & Saxones in Saxoniam remeant.

In Wetzlariensi dicasterio Cameræ Præses, Comes Solms dum suspensum Cameræ assessorem Wiegand conatur restituere, & alter Præses

Wetzlariensis Camera occluditur.

Ingels

Ingelheim contradicit, dicasterium magno litigantium incommodo & detrimento occluditur; & licet imperiali 15. Octobris emanato decreto, ab ipso etiam Cæsare approbato, indicta sit visitatio imperialis, & causæ Wiegandinæ investigatio, exceptionibus tamen protractoriis longius est dilata. Interea Cameræ Imperialis Assessor à Purck purgativum suî, sed calumniosum in Electorẽ Moguntinum, ejusdemq; directorem scriptum, *Echo retorsivum*, typis editum per totum evulgavit imperium, magno cum Cæsaris, Electoris, & totius Imperii Rom. despectu, quod 7. Aprilis 1705. trium collegiorum Ratisponæ sententiâ damnatum, & Auctor Purck assessoriatu est privatus, Cæmeræ autem præses Baro ab Ingelheim, & assessores Comes Nips & Wigand à Ratisponensi comitio postulant suos delatores, & causæ justitiam: Cæsar itaque iteratò ejus ursit visitationem, & reformationem. *Vid. infr. num.* 479.

In Insula Tenerifa ex septem Fortunatis seu Canariis maxima, fœcundior & populosior horribilis & continuus à 24. Decembris 1704. usque ad 23. Februar. 1705. fuit terræ motus, in quo maximus totius orbis mons Pica 95. leucis altus fumos & flammas evomuit, & prope urbem Monjam binis in locis aperta terra ignitos tantâ multitudine & altitudine duorum montium lapides ejecit; ad urbem verò Guimar 60. cubitorum apertura sulphureus erumpens rivus agros, domos, oppida, urbes, homines ingenti strage miserrimè consumpsit & contrivit: quo terrore perculsus ibidem Episcopus subitò expiravit.

Annus

Annus 1705.

440. Inchoamus annum 1705. quo quantum priori gallicus Hochstadiensi prælio accisus est exercitus, tantum nunc illum Rex omnibus laborat viribus restaurare, mandatque novum centum millium auctorare militem, quem aut pecuniæ, bellici nervi impediebat inopia, aut ad arma subditos suos arctus panis cogebat defectus toto regno invalescens, in solis etiam castris vix suppeditatus; in Anglia verò tantus fervebat belli navalisque classis apparatus, ut parlamentum in 360. auri tonnas [quælibet centum millia Rhenensium valet] impensis belli applicandas consenserit, & hæreditario Hasso-Casselensi Principi, quòd Tallardum duxerit captivum, & ad fortiora animando 2000. sterlingorum libras donaverit; nec minus studii sumptuumque in paranda classe & auctorando milite adhibebant Batavi, qui, uti & Angliæ Regina gravissimis Romani Imperii Principes & Circulos literis ad arma, ulterioremque victoriarum progressum in suo hactenus periculo tam desides excitabant; quemadmodum & Romanorum Rex ad maturanda illos sollicitabat subsidia: nec quicquam Cæsar pro hujus expeditione anni promovenda intermittebat; nam in Austriæ inferioris comitiis exigebat sexcenta quinquaginta Rhenensium millia, militũ supplementa 2340. equos 700. farinæ 40000. avenæ deniq; maldra 20000. in natura, quòd Ungaria bello nimium devastata illis egeat, atque ita utraque

Confœderatorum & Gallorũ fervor expeditionis.

belligerantium pars alteram in expeditione prævenire summis contendebat studiis.

Capiunt Lusitani Salvaterram & Sarcas

Lusitani quamvis equitatu Gallis inferiores, primi tamen ex Provincia Trans - Tragona sive Alentejo in hostem prodeunt, & Marchio quidem des Minas octo armatorum millibus provinciæ Extremaduræ urbes Salvaterram & Sarcas irruit; hancque 3. Maji stricto occupat gladio, anno priori à Gallis ademptam Lusitanis & interea fortificatam; ideoque non verisimiliter spargebant à Lopezio Præfecto auro corrupto proditam; Sarcas autem capta direpta est, & flammis eversa, præsidiumque urbis utriusque 800. in captivitatem abductum. Tum totus sub Gallowajo Anglo, Fagelo Batavo, & Castiliæ Admirali Melgar exercitus Valenciam d' Alcantaram præter omnium opinionem invadit, generalemque 8. Maji urbis tentat impressionem; jamque miles muri importaverat ruinas, sed quia præsidiarii ex internis receptibus & novo aggere se acriter defendebant, Lusitani cæso tribuno suo Nappar magnâ rejiciuntur confusione; succenturiatus autem Dickinsong restauratis mox ordinibus, & prælio, iterato murorum ruinas, receptusque & aggerem transcendens Gallos ad arcem confugientes persecutus, in ore gladii cives & militem devorasset, nisi inducias deprecati & traditionem, vincentium se tradidissent potestati: urbe præsidio, munimentisque aliquot firmatâ Comes Gallowajus inde 15. Maji petit Albuquerquam, ejusque ultroneam exigit deditionem, quam urbis non arcis primùm offert Præfectus, 20. tamen Maji sub liberi dis-

Gallowajus Valentiam & Albuquerquā

cessûs

cessûs conditione utramque submittit. Mox Badajocum Extremaduræ provinciæ metropolim cingit, ut Hispanorum in Portugalliam frequentes oppessularet excursiones; sed quia locus probè esset munitus, necessariisque optimè instructus, & ad tantæ urbis impugnationem militaris jam non sufficeret apparatus; Thesseus etiam Mareschallus cum justo haud procul abesset exercitu, quem è castris suis opportuno loco munitis elicere potissima erat intentio; at quia ille cautior prodire differebat, Gallowajus cum confœderatis ob nimios aëris calores campo excedit, belli autem officiales ad militare Ulyssibonam convocati sunt consilium, ubi Rex tandem ex angina convalescebat, qua ab Januario mense magno vitæ laboravit hucusque periculo, ut condito testamento sororem suam Angliæ Reginam viduam regni moderatricem, ad usque hæreditarii principis sui majorennitatem constituerit; sed singulari efficacique medicinâ per Carolum III. Viennâ allatâ mortis exemptus periculo pristinæ est restitutus valetudini; hic, inquam, de magnæ expeditionis consultabatur consilio invadendi Cataloniam, Carolo summopere faventem, & Andegavensi adhuc refractariam; Prorex quidem omni conabatur studio illam Borboniis, sed frustra, conciliare; quia omnis eorum Austriacis adhærebat affectus, quem dum singulariter in illis promovebat Comes Cifuentes, Andegavensis sæpius elapsus insidias, tandem in Arragoniæ monasterio comprehensus Madritum deducitur.

Badajocum irritò tentat.

Cataloniæ factio in Andegavensem, affectio in Carolū.

ducitur. Angebat autem non modicè Borbonios hæc Catalonorum factio, quam ingens adhuc augebat pecuniæ inopia, capitum exactione, & ecclesiastico tributo resarcienda; sed hoc per Ducem Ucedam Andegavensis Romæ legatum à Pontifice petitum, est denegatum, & Hispano populo caput naturæ dono liberum auro redimere insolitum erat & ferè inauditum; fieri tamen oportuit, ne stipendii inopiâ miles aut fugâ aut fame deficeret. Catalonia olim regnum, nunc Ducatus, versus septentrionem Galliæ vicina montes respicit Pyrenæos, versus occidentem respicit Arragoniam & Valentiam Catestanorum; versus orientem & meridiem mare mediterraneum; montosa quidem, sed sufficientibus provisa frumentis. Illam à Ludovico Bono Mauris ereptam, vel à Carolo V. Francisco I. Crospi tractatibus cessam, Galli, sed infirmo argumento, sibi vendicant, ab anno 1640. viginti annis possessam, & ab Hispanis demum recuperatam: floret illustrissimis 5. Marchionatibus, 2. Ducatibus, 18. comitatibus, & plurimis Baronatibus & Vice-Comitatibus. Ejus metropolis Barcinone, seu Barcellona ad mare mediterraneum, unde commodè in Galliam, Marsiliam, Italiam &c. velificatur: gaudet Universitate, supremo Dicasterio, Inquisitione, opibus & mercimoniis florentissima. Hanc Galli 1697. armis captam pace Ryswicensi Hispanis reddiderunt. Ob situm tam nobilem quàm opportunum Carolus imprimis occupandam existimabat.

441. Navalis interea classis Anglo-Batavica

parata,

parata, solvit ex Anglia & Hollandia versus Ulyssibonam; ubi 13. Jun. classis Hollandica sub Architalasso Almondo, & 21. sub Architalasso Schovelo & Comite Peterborugo, anglicarum copiarum campiductore Anglica prosperis ventis sunt appulsæ; ibique habito militari consilio Carolus III. cum Principe Georgio Darmstadiensi (cujus interim Gibraltari præfecturam Wilhelmus frater gerebat) & Peterborugo, classem centum, & ultra militarium navium conscendit, quæ præter liburnicas, & incendiarias octo etiam armatorum, & totidem nationalium militum millia præter classiarios, cum necessario bellico apparatu, omnisque generis armatura pro armando milite 20000. vehebat: hæc levatis anchoris in altum provoluta Varsalicam & Madritensem anxiè suspendebat aulas, quo ejus dirigeretur cursus, nisi quòd interim intellexerint Caroli adventum variis Hispanorum Grandium, præsertim Catalonorum, literis impense in Cataloniam sollicitatum, cujus indies partes adeo augebantur, ut bina Vichum inter & Barcellonam opportuna admodùm loca vi occupaverint, jussusque ab Andegavensi Marchio Medina Celi literis per suos ibidem amicos factionem componere, quod suâ ipsi præsentiâ (uti rogabat) singularibus fortè de causis & suspicionibus fieri non permittebatur: ortâ quoque in regno Valenciæ seditione Deniam urbem occupant conspiratores. Carolus ad Cataloniæ appulsus oras, expositis mox copiis, ejusdem metropolim Barcellonam vix cinxerat obsidione, & ingens indigenarum numerus ejus

Classe Anglo-Batavicâ Carolus in Cataloniam velificat

Barcellonam cingit.

partes est amplexus, crudeli in Austriacos persecutione admodum irritatus; ideoque Carolus per publicum omnes Manifestum promissâ ad se amnestiâ invitat, quo Figuera aliæque se urbes ultroneè submittebant; Roses & Girona sufficienti præsidio & necessario destitutæ apparatu [quia Galli Gades, minime Cataloniam præsumebant invadendam] à Misqueletis, ut vocant, seu malè affectis eminus cingebantur, interdictaque cum Perpignano communicatione intercludebatur Gallis in Cataloniam aditus.

Creverat jam Caroli exercitus ad 50. facilè millia, omni annonæ & victualium copiâ ab indigenis undequaque provisus, volensque urbi ab ignibus parcere, spontaneam ejusdem traditionem à Præfecto & Vice-Rege Marchione de Velasco postulat; qui eam non modò plane rejicit, sed crudeliùs Austriacorum supprimit fautores. Valida igitur 17. Septembris in Montem Jovis, unde tota potissimùm defenditur & conservatur civitas, decreta est impressio, quo binis licet vicibus oppugnatores repulsi; feliciter tamen demum non magno adeo detrimento occupant; sed heu cum deploranda nimis Georgii Principis Hasso-Darmstadiensis jactura, qui trajecto crure, læsâque venâ cavâ, summo omnium, & imprimis Caroli magnopere ipsum æstimantis dolore, obiit, excellentis princeps animi, militaris experientiæ, tam semper Hispanis quàm Germanis charissimus. Hanc autem montis occupationem haud parum juvit pyrobolus trecentas pulveris nitrati orcas horribili incendens fragore, & Marchionem Caracciolum

Mors Georgii P. Darmstadiens.

ciolum in aëra evibrans; ideoque cùm Peterberugus iteratò urbis exigeret deditionem, nisi rebelles tractari vellent, nec quidquam tamen apud contumaces efficeret, Carolus urbem 49. tormentis muralibus flagellari ac dirui, & in parte maritima sphæris incendiariis & pyrobolis è navibus adeo vastari jubet, ut 9. tandem Octobris ultroneè se submiserit, cum pacto militari modo cum 16. æneis tormentis & 3. mortariis inde discedendi. Velasco interea inclusos turri & barbarè hactenus habitos Austriacorum fautores juxta pacta necdum dimiserat, sed arctâ adhuc militum detinebat custodiâ; præsidiarios insuper officialesque suos gallicam exosos militiam ad templa latibulaque dilapsos vi vinctos sacra violando extrahebat, quo exasperati, & per æra martia confluentes non modò cives; sed undequaque etiam per murorum ruinas advolantes rustici & misqueleti ingenti tumultu turris excubias repellere, portas perfringere, cives suos restituere libertati, gallicas spoliare domos, fœminæ viris intermixtæ nitratum pulverem ad expellendum hostem suppeditare; Velascum denique ipsum, tribunos & socios ad necem inquirere, ut nisi casu ipsos Peterborugus in tutiorem inter Anglos deduxisset locum, mortis vix effugissent periculum; mox igitur Peterborugus suum in urbem militem introducendo tumultum composuit; tantus autem transfugarum numerus Caroli secutus est castra, ut ex 5. præsidiariorum millibus (tot erant obsidionis initio) vix 500. aut 600. urbem fuerint egressi. *Vid. num.* 462.

Barcellona se Carolo submittit magna Gallorum jactura.

Item tota Catalonia.

Inter hæc totum pene Cataloniæ regnum Caroli se potestati ultroneè subjecit: nam 19. Septembris urbs Cardona suam per Deputatos fidem in castris detulit & obsequium. Subsecutæ sunt ad Arragoniæ fines urbs & castellum Urgel, Felix & Ilerda sæpius obsessa, sed nunquam occupata, atque ad Ebrum fl. Tortosa, Tarragona, & Alcanissa cum vicinia, tum præcipuus Arragoniæ accessus Tremp, Berga & Girona &c. Provincia denique & civitas Barcinonensis 17. Octobris fidem & juramentum Carolo in stativis addicit prætorianis, qui demissa 22. Octob. Britanno Batavicâ classe 23. urbem ovans eques ingressus ingenti civium jubilo & acclamatione exceptus, in templo D. Virginis Mariæ del Mare debitas Deo gratias persolvit, die alterâ in regium ductus palatium vidit primum è mari jactum pyrobolum non supremum modò tectum, sed quinque contiguas perforando contignationes devastasse, atque illud imprimis conclave, in quo Velascus Austriacorum fautores inhumano affligere solitus judicio, totum cum affixa parieti Andegavensis imagine deformavit; tertium denique & ultimum conclave, ubi criminalia & judicialia reservabantur acta, adeo evertit & consumpsit, ut ne literæ apex fuerit residuus: illudque imprimis admirandum, urbem à septem tantummodò obsidentium millibus (totidem ferè in urbe præter cives fuêre defensores 5000.) tam gloriose fuisse domatam, quam triginta vix antea Gallorum millia potuerant subjugare. Et quia hæc fausta Britannorum potissimum armis sub Peterborugo Comite

Carolus Barcellonam ovans ingreditur.

mite facta est in Cataloniam & Barcinonem expeditio, gratias Carolus Reginæ literis retulit copiosissimas.

442. Subactâ præter urbem Rhodopolim seu Roses Cataloniâ Carolus cum sex Anglo-Batavorum, & aliquot Catalonorum millibus Arragoniam invadit, plurium ibidem votis invitatus & sollicitatus, ac mox Fragam haud magno occupat labore, ubi 500. præsidiarii, & novitiæ duæ Navarræ auctoratæ legiones abjectis armis pugnare recusantes, cogentem tribunum suum Ripaldam lethaliter vulnerant, ut coactâ præfectus deditione cum paucis demissus sit Balbastrum. Tunc auctâ factione capit Benaventum & præstantem Arragoniæ accessum Monconum: magnus præterea Saragossæ seu Cæsaris Augustæ exortus inter cives & Gallos est tumultus, Gallosque unà mactandi conspiratio; magistratûs, nobilitatisque demum interventu est consopita: Carolus autem occupatis hinc inde aliquot adhuc oppidis Barcinonem revertitur, ad sequentis anni expeditionem se validè præparaturus, quam amissam Andegavensis recuperaturus nullam intermittebat curam, laborem & apparatum.

Arragonia Carolum suscipit.

In inferiori Languedocia Berwickus Reformatos, seu Hugenottas magnâ Regis mandato crudelitate est persecutus (ut illis suppressis eo citius inde militè in Cataloniam posset traducere) & Monspelii tres suspectos per latrunculatorem captivat, quorum unus spontè primarios Hugenottarum seu Sevennensium ductores in domo mercatoris Alizon prodit, Ravanelum scilicet,

Q 5 Jon-

Jonquerum, Devilam, & in alia mercatoris La Croix domo Cattinatum, qui omnes cum mercatoribus prædictis, postquam plura sparsim latentia patefecissent arma, nitratum pulverem, ac similem bellicum apparatum, 22. Martii Ravanelus & Cattinatus vivi ignibus sunt combusti, Jonquerus & Devila vivi quadripartiti, Allegre & Alizon cum nepote suo, & alii plures Nomausii suspensi; præteréaque duodecim alia ibidem patibula pro suspendendis pluribus ad aliorum terrorem sunt erecta; sed Sevennenses magis in furorem exacerbati, & desperationem acti, truculentiora in regios catholicos sunt meditati.

Lusitani interea temporis Hispaniæ fines ingressi Marvanam arcem aliquamdiu obsessam deditione obtinent, fame potissimum coactam, dum obsidione illam liberare Machiones de Puisegur & de Bay properè advolarent; sed in medio hoc armorum fervore suffocativus Comitem Melgar Castiliæ Admirantem in oppido Estremos sustulit, cujus consilio & prudentiâ tota Portugallorum in Hispaniam innitebatur expeditio; nihilo tamen minus Gallowajus & Fagelus cum Anglo-Hollandicis & Lusitanis copiis Extremaduræ metropolim Badajocum 6. Octobris obsidione cingunt, urbs quidem exigui roboris & præsidii; sed quia ob copiarum defectum ultra Guadianam flumen tota includi non poterat, neve totius non solùm Extremaduræ provinciæ, sed & finitimæ Castiliæ, omnibus nudatæ munitionibus, sequeretur jactura, tumultuariè accurrens Thesseus, sufficiens sine difficultate præsidium, cunctaque suppeditat ne-

Mors Com. Melgar.

Badajocum frustra tentat Gallowajus.

necessaria; quod quia confœderati nequibant impedire, flumen trajecti Thesseum opportuno confidentem loco ad prœlium sed irritò lacessentes, solutâ obsidione discedunt, periculoso sed Gallowaji infortunio, cui dextera manus tormento decussa est, ut præ sanguinis copia vix mortem effugerit; quo curationis causâ Elvas discedente, elanguit Portugallorum fervor, quorum curâ si necessarius bellicus adfuisset apparatus, & Gallowaji consilio validiori ante Gallorum succursum impetu urbs fuisset aggressi, indubitatè suæ fecissent potestatis; hanc autem suam Lusitani non occupatæ urbis excusabant desidiam, quod hoc saltem stratagemate intentata Barcellonæ esset retardata obsessio; accedebat præterea inter Duces dispendiosa semper præcedentiæ discordia, ideoque maturior etiam in Angliam Schombergi, & Fageli in Hollandiam fuit discessus, sicque miles ad hyberna utrimque est traductus.

Gallowaji vulneratione fervor Lusitanorum languet.

Variæ subinde Granatæ, Gadibus & Madriti detectæ sunt in Philippum Andegavensem conspirationes; hujus dicebatur auctor Marchio Leganez ab Helveto proditus, ideoque captus per Tserclas Tyllium Madritto Pampelonam, inde ductus Trompettam, criminalem suum publicari petiit orbi processum, ut pateret noxius aut innoxius esset, & non obtinuit; sed in Andegavensis securitatem & custodiam Egmontius Comes 160. nobiles ex Belgio Gallico in prætorium adhibere debuit satellitium, Pampelona, fanum S. Sebastiani & Fontarabia Hispanis exactis Gallico muniri præsidio, Tylliusque in Gran-

Variæ in Andegavẽsem cõspirationes.

dem Hispaniæ creatus est, assignato illi in sacello regis primo post Andegavensem loco, quasi tutor ejusdem & defensor esset, cum maximo Hispanorum fastidio & disgustu, qui ægro passim animo ferebant se neglectos postponi, occultis ideo factionibus haud rarò adhærentes, Comes namque Cifuentes custodia elapsus non contemnendas in Aragonia fovebat promovebatque conspirationes, in quem Tyllius cum exercitu immissus Alcanizæ illum morbo laborantem etiam oppressisset, nisi in tempore præmonitus essedo fuisset elapsus; ejus autem percussori mille promissi sunt Pistoleti seu duplones; captis igitur Alcanizâ & Caspe, Ilerdam ad Aragoniæ fines etiam tentasset, si tormentarius adfuisset apparatus, Pampelonâ advehendus; in Arragoniam ulterius progressus Tyllius austriacorum fautores persecutus inhumanæ crudelitatis ubique, & imprimis Monroji, reliquit vestigia, uti & in Valentiæ regno Generalis de los Torres in eosdem immaniter desæviit; (*Vid. num.* 462.) Sed quò atrocius opprimebantur, eo resurgebant copiosius, efflorescebant gloriosius, monachorum imprimis aliorumque religiosorum exhortationibus incitati; nulla enim re potentius capiuntur homines quàm religione; illos igitur regno eliminare Andegavensis contendebat; sed majus inde populi incurrebat odium; nam ad finem anni Gandia, Alzira, Xativa, Altea, Oliva, imo & ipsa metropolis Valencia totius Hispaniæ splendidissima & amœnissima 16. Decembris Caroli fidem sunt amplexæ. Qui Carolus Comitem Cifuentem Valentiæ proregem constituit.

Tyllius Alcanizam, Caspe &c. capit.

In Arragonia sævit in fautores Austriacos.

Valentia Caroli fidē amplectitur.

Hæc

Hæc fausta Caroli expeditio quia subsidio potissimùm Annæ Anglorum Reginæ gesta est, non inepte in sua ludit historia Cæsareus ille historicus Comes Comazzius:

Hispanis Regem improlis Regina Britanna,
Quem Rex non dederat Carolus, Anna dedit.
Terrarum esse Deos quis Reges jure negabit?
Non parit Anna homines; sed parit Anna Deos.

Lusitaniæ Regis valetudo quia paulatim ad deteriora declinabat, abdicato regimine in filium, hæreditarium Principem Brasiliæ Joannem regni transtulit negotia, additis illi consiliariis Duce Cadavalo, March. Marialvâ & Alegrette, Com. Dalvâ & Vianâ, ipse ab omnibus abstractus quietè sibi vivebat. *Vid. num.* 468. Lusitaniæ Rex in filium transfert regimen

443. In Italia binis in locis sæviebat Bellona, ad lacum Benacum, & in Sabaudia ad Padum Veruæ, confœderatis utrobique inimica; qui ut periclitanti succurrerent Germaniæ, ex militum defectu defensivè hostium avertebant quantum licebat impetum. Cæsareis ad lacum Benacum ob commodiorem & necessariam annonæ advectionem fixis castris præerat generalis equitum magister Comes Leiningenus, hostium machinationibus sedulo invigilans, qui cùm intelligeret legionem Battei tribuni ad fanum S. Vilii à Magno Priore Vendomio tumultuatie in procinctu opprimendam, eidem succursurus ingenti nivium multitudine adeo retardatur, ut Batteus cæderetur & caperetur; hoste tamen non inulto, qui præter gregarios plurimos In Italia Vendomius Batteū opprimit.

mos tres etiam desiderabat tribunos; eandem sperantes fortunam gallici General. Medavus & Lautrecus Comitem Serenum viribus multò inferiorem in Bresciano solo invasuri, ab hoc eodem prope Torbolum adeo improvise irruuntur, ut deletis 500. Lautrecus ipse cum 70. aliis in captivitatem duceretur: præter hæc singulare nihil inter utrumque hic actum est exercitum, nisi iteratæ famis urgentis causa pabulandi & frumentandi excursiones; Cæsareanis ut sufficientia per lacum adveherentur Benacum, copias suas Limon usque extendunt, tantoque Herculem suum Eugenium desiderio expectant cum subsidio, ut sperabant, non contemnendo, quanto Vendomius conamine ejus impediebat adventum, & metuebat præsentiam; ideoque Leiningenus justâ cum phalange Salo movet Roveredum, & pro succursu mox ex Germania adfuturo colligit frumenta, dum interim Mirandola totâ per Gallos hyeme eminus cincta generose ac viriliter à Kônigseckio Comite defenditur.

Com. Serenus vicissim Lautrecum.

444. Continuata etiam à 22. Octobris anni præcedentis hucusque Veruæ in Sabaudia ad Padum obsessio admodùm cruenta incredibili animorum promovebatur ardore & pertinaciâ; nam Ludovicus XIV. tot occupatis Sabaudiæ oppidis & propugnaculis, eorum in captivitatem duxerat præsidia, patentem alias per Helvetiam cum confœderatis Duci communicationem intercluserat, traduxerat in suas partes Helvetos, suos ob vicinam, ut sperabat Dux, defensores; succurrentibus per Bresciam germanis co-

Verua Sabaudiæ acriter à Gallis impugnatur.

copiis viam omnem & aditum oppessulaverat, & jam ad extrema Ducem adigendo, Ducatu & provinciis omnibus exuturus, Turinum Sabaudiæ metropolim & Residentiam suam (quod unicum restabat refugium) occupare tandem moliebatur; id verò haudquaquam poterat efficere, nisi simul illum & castris apud Crescentinum probè munitis exueret, & Veruam Turini veluti tutricem prius interciperet. Hæc inquam Verua in Comitatu Asti ad fines Ducatûs Montferatensis in montis culmine sita est, cujus radices Padus alluit, sexdecim Turino distans milliaribus, cui alia defensionis ergo maritata est munitio, dicta Guerbignan, undique validè communita, & his ultimis temporibus novo adhuc per Victorem Amadeum II. propugnaculo Donion & navali ponte est confirmata, ut recenti semper succursu præsidium augere vel diminuere posset. Vendomius igitur 14. Octobr. 1704. munitionem primò Guerbignam eminus cingit, & 29. valido in muros impetu irruit, adque sinistrum propugnaculi anglum firmat stationem, desideratis è suis octingentis, læsisque mille ducentis, nec pauci occubuêre præsidiarii, vulneratusque inter alios pyrobolo Starrenbergus. Vendomius patefactis jam latè murorum ruinis generalem 5. Novembris decreverat impressionem, quam quia prævidebat cruentissimam, à validissimo utpote totius peditatûs præsidio propugnandam, alio usus stratagemate, dum Guerbignam impetit, toto suo equitatu & peditatûs parte Padum noctis beneficio transit, Ducis equitatum in Crescentinis castris à pedi-

tatu

tatu ſeparatum & derelictum tumultuarie oppreſſurus; ſed conſilium expiſcatus Sabaudiæ Princeps inter generoſam loci propugnationem peditatum paulatim ad creſcentina retrahit caſtra, dum Vendomius ultra progredi imbre permaximo impeditur; Guerbingam tamen omni vacuam milite occupat, carò ſatis, duorum millium cæde ſanguineque emptam.

Hac interceptâ omnis mox à 7. Novemb. in arcem Veruam converſa eſt vis & impetus, neque ullis parcit Vendomius ſumptibus, curis & laboribus, non illum deterret hyemis acerbitas, aëris tempeſtates, continui imbres, gelu & nives, non graſſantes in militum corpora morbi, non lapideum ſolum impenetrabile, non immenſa operis difficultas, non annonæ, pabuli & rei frumentariæ inopia, qua coactus equitatum in Ducatum Montferatenſem ad hybernalia demittere, peditatus vero diurnis nocturnisque in caſtris laboribus caſtrenſia indeſinenter promovere valla, fodere & tormentorum ſuggeſtus erigere, & in iteratas hoſtium excurſiones paratus eſſe debebat; nona namque Decembris opertam ſolummodò viam trecentorum militum cæde obtinuit: 26. autem Decemb. generoſam & cruentam Princeps in hoſtilia caſtra fecit excurſionem: Breunerus Comes primo centum equitum agmine ſtationarias ad Brolaſquen excubias cædit, confundit, & majorem captivat partem terrifico caſtrorum tremore; tum mille qua equites, qua pedites in acie diſpoſiti, Starrenbergus (Guidonis Mareſchalli frater) dextrorſum, & Baro S. Remi ſiniſtror-

Sabaudus Gallorum irruit caſtra.

nistrorsum castrensia irruunt valla, loricas & sepimenta; subsecutus mox ipse Princeps castra tumultuarie adortus non solùm in viis eorum opertis operarios à ceteris disjungit; sed etiã obseratis stylo ferreo 32. tormentis, & 12. mortariis eorum demolitur suggestus, aggeres & valla, sex pyrobolariorum vexillationes in unum coangustatos locum ad internecionem trucidat. Vendomius ex prætoriis advolans stativis vix suis propter opportunam ordinũ dispositionem poterat subvenire, sed pluribus destructis aggeribus tormentariis, castensibus fossis, & vallis eversis, post acerrimam 4. horarum velitationem compositis ritè ordinibus Dux arcem repetit, frendente admodùm Vendomio, & Gallis confœderatorum generositatem fortitudinemque admirantibus; occubuère Cæsareo-Sabaudorum 300. Gallorum 800. totidemque cùm vulnerati, tum capti. Crebris interim Vendomius tormentis recenter advectis Veruam aciter flagellat, sed muri ejus omnes illorum ictus & impetus adeo eludunt, ut destinatus inde Parisios cursor de Veruæ expugnatione interrogatus fertur respondisse: nihil Veruæ muris curules officere machinas; advenisse ideo se vocare tubicines, qui personantibus ut olim apud Jericho buccinis muros dejiciant.

Sit ut sit, arcis præfectus Baro Freisingenus veteranus & generosus miles non solum illam fortiter propugnabat; sed Dux ipse per diem, de nocte præsidebat illi Starrenbergus, ut omnes hostium labores & impetus hucusque vani fuerint & inanes, donec Ludovicus Rex sumptuum & diuturnioris moræ impatientior, præstantissimum tum temporis machinatorem bellicum

Freisingenus præfectus Veruam generose defendit.

Machinator Para suum Vendomio ostendit errorem

la Param Genuênsem eo dimitteret, qui patefactis obsidionis Vendomio erroribus frustra hucusque laborasse, & laboraturum demonstrat, nisi Veruæ cum Crescentinis castris communicationem, pontemque Pado instratum cum munitione ejusdem intercideret; tentabant quidem Galli incendiariis pontem navibus, sed frustra, destruere, quia obstructis palis, sudibus, extensisque per Padum catenis detentæ disrumpebantur; decreto igitur clam in pontem assultu, prima die Martii Vendomius noctu ad horam circiter nonã in padi insulam, 500. à ponte decempedis dissitam, adduci jubet 20. pyrobolariorum vexillationes, 200. fossores, & octo peditum cohortes cum scalis, fascibus, aliisque obsidionalibus instrumentis, quibus Comes Vaubecourtius sinistrum pontis propugnaculum, succenturiatus autem cum totidem peditibus Comes de las Torres ad dexteram invaderent; ita expediti die altera hora tertiâ matutinâ, Sabaudis nihil tale suspicantibus, & secure, neglectis excubiis, quiescentibus, Vaubecourtius & la Para propugnaculum, seu munitionem adorti, quadrantis horæ spatio 15. solummodò militum jacturâ & 25. læsione occupant, & cæsis internecione duabus Sabaudis cohortibus loci præfectum in intercula sua, & 34. belli officiales è lecto subuculatos cum 200. gregariis capiunt: tum Maurojus disjunctis octo pontis navibus in receptum compositis, occupatam munitionem 12. pyrobolariorum vexillationibus communit. Accurrit mox in subsidium ex Crescentinis castris ingens Germano-Sabaudorum cum facibus & fu-

Et pontem navalem evertit.

funalibus multitudo, quam Maurojus dispositis ad frontem pontis octo grandinantibus tormentis facile rejicit, cum summo Starrenbergi præceps ad pontem properantis aut mortis, aut captivitatis discrimine; totus deinde tormentis pons omnino sine ulla imposterum succursûs spe discerpitur. Inter hæc duæ pyrobolariorum centuriæ in Veruam quidem impetum faciunt; sed facile repelluntur. Tantum Vendomio emolumenti una peperit ex la Paræ consilio hora, quantum dimidius annus tot fulminibus, impensis & laboribus gravidus parturire non potuit.

Deditionem igitur Arcis Veruæ à Freisingeno præfecto omni nunc succursu, annonâ & apparatu destituto Vendomius postulat; ille autem non tradendi sed propugnandi Veruam accepisse respondit imperium; & nunc tertius tantummodo est oppugnationis dies, hactenus in externarum operarum crepundiis & quisquiliis vester desudavit labor, majora decent viros. Punctus sercasmo Vendomius fremens vim & tormentorum ejaculationes duplicat, & dies aliquot sine intermissione continuans deditionem iteratò, sed irritò imperat, nam præfectus, ædepol germanus, non verbum sed ferrum reponit negativum, excandescente ad hæc vehementer Vendomio, qui indubitatam Veruæ subjugationem Regi 15. Martii appromiserat; ne vanus, uti non raro alias esset vates, generalem & decretorium machinatus insultum; sed ingentem certò cruentissimamque suorum vaticinans stragem, castrorum ad Crescentinum vult præmittere invasionem, cujus in tempore Dux

Freisingeni constans generositas.

præmonitus, octo licet popularis militiæ millibus auctus, inde tamen castra cum omnibus impedimentis Chivas transfert, & oppidum, ceteraque Turinum versus loca, & Capucinorum montem militaribus indesinenter sepimentis, fossis, vallis & loricis communit. Antequam vero inde discederet, jubet præstitutâ Freisingenum die exteriora arcis munimenta in aërem evibrare, & clam cum præsidio, quod salvum optabat, locum deserere, dum ipse Gallorum interim castra esset adorturus; sed nuntio intercepto evanuit consilium ceteroquin optimum. Fossilem denique Vendomius lineam loco circumducendo omnem succurrendi spem præscindit, adeoque arctius coangustat, ut præfectus traditionem sextâ Aprilis die urgente imprimis fame obtulerit, modò honestum militaremque permiserit discessum; quo denegato, Freisingenus alterâ pòst die omnes quotquot habet pyrobolos, sphæras, & globos incendiarios, ferreas grandinis bracteas &c. Tantâ simul vi & multitudine in hostilia evomit castra, ut cœlum ruere, & dehiscere terra viderentur, omnesque in fossis castrensibus milites fuerint prostrati: & dum secundò liber recusaretur abitus, inauditum quid, & rem molimine gravem machinatus, omnia exteriora arcis munimenta & propugnacula subcuniculata evertendo in aërem vibrat (sub mortis licet interminatione ab hoc pridie molimine illum dehortatus fuisset literis Vendomius) divertensque cum infirmis potissimum præsidiariis ad munitionem Donion, hostium se potestati permittit

Sabaudus castra transfert Chivas.

nona

nonâ mensis Aprilis; atque ita Vendomius demum acquirit & lucratur mille fame enectos præsidiarios, meram lapidum congeriem, arcem funditus eversam, & in ea 7. tormenta, 5. mortaria, exiguum nitrati pulveris; nihil annonæ aut victualium, caro satis pretio, & copioso mercatus eam humano sanguine in semestri illa obsidione, quæ sex Generales, 547. bellicos officiales, 30. insignes machinatores, duodecim gregariorum militum devoravit millia, præter 3000. læsos & infirmos, 300. claudos, 86. perniones, & 2400. fugitivos, ad hæc 20000. tormentorum globis & intra trimestre 70000. pyrobolis arcem assiduè arietavit frustraneo probabiliter labore, si panis sufficisset & victualia: nam Vendomius Freisingenum moliminis sui, morte digni arguens (hic excusabat se luce indiguisse, ut literas ejus legeret, propterea cuniculares incendisse ignes) vitam nihilominus illi, cunctisque simul præsidiariis ob invictum eorum animum, commendatamque fortitudinem & constantiam condonans, Paviam misit captivos & Alexandriam; tum arcem, ejusque internas munitiones subcuniculatas inspiciens, approbansque dicebat: non exiguæ fuisse felicitatis locum hunc fame, non assultu fuisse occupatum, vix decem millium jacturâ, & nec sic certò obtinendum fuisse. Tum copias suas laboribus & frigore exhaustas ad hyberna dimittit; sed cum validioribus machinator bellicus La Para Mirandulam 20. Aprilis acriter flagellat.

Verua Gallis deditur.

Hæc Veruæ obsessio quia longius non sine

Regis impatientia protrahebatur, Fevillado imperat Villam Francam seu portum Herculis, & Nizzam terrâ marique invadere: illam etiam 19. Martii occupato circa vesperum (quousque præfectus dilationem petierat) tumultuarie Capucinorum monasterio stricto gladio intercepit, & 100. præsidiarios suæ fecit potestatis; cives autem exemit à direptione, modò numeratis 200. pistolettis belliduces etiam coccino vestiant: Pedemontani etenim sericariam ibidem exercent mercaturam. Subsecutum mox est duplex urbis castrum ad insignis portûs defensionem in monte eminens, dictus Mons Albanus, seu S. Hospitii fanum. Decima etiam Aprilis Nizza, cujus præfectus Marchio de Carail relictâ urbe ad arcem se recipiens, medii anni armistitium urbem inter & arcem à Fevillado obtinet.

Eugenius venit in Italiam.

445. Felices hos Gallorum progressus Eugenius inhibiturus, 17. Aprilis Viennâ Austria cum General. Guttensteinio profectus Oenipontum Comitatûs Tirolensis, ibidem 21. Aprilis Principem Anhaltino-Dessaviensem, cum octo Borussorum, & quatuor Palatinorum millibus ex Bavaria in Italiam contendentem (sex Cæsareanorum, totidemque Danorum millia eò etiam destinata, prægnantes Bavarorum factiones observantia reservabantur) offendit, cujus adventum nimiùm quantum metuebant Galli, tantum Cæsareani illum ad lacum Benacium unicè desiderabant: jamque in Veronense solum advenerat, obsessione Mirandulam soluturus, General. Bibram cum aliquot ar-

armatorum millibus præmittit, ipse autem XI. Maji Mincium transiturus, dum in altera fluminis parte Galli opportuno validoque consisterent loco, & intumescentem aquis fluvium sine insigni jactura superare nequiret, tormentorum utrimque jaculationibus solùm res acta est, eò quòd etiam Mirandula jam capta dicebatur, quam per totam hactenus hiemem Comes Kônigseckius constanti propugnaverat fortitudine, eique Cæsarei per pontificium aliquoties territorium succurrere gallici imprimis Cardinalis Jansonii in aula Romana instinctu prohibiti, decimâ tandem Maji fame coactus hostium fidei submisit, & captivus cum præsidio honestè est habitus. Eugenius ne tempus inutiliter traduceret, cum exercitu lacum Benacum hoste insequente trajiciens, præmissas Bibræ copias suis conjungit, atque adeò Magni Prioris Vendomii exercitui approximat, ut mutuum certò prælium secuturum crederetur, quod in subsidium & consilium advocatus frater ejus Ludovicus structâ modò acie disposuerat; sed eo ultra opinionem longius dilato, & quia viribus Galli Germanis erant superiores, Eugenius auditâ Vaubacurtii cæde in Pedemontium vocatur: General. enim Pfefferkornius cum 400. Germanis & 200. Hungaris equitibus, Gallo-Hispanis in hybernis adhuc quiescentibus, 17. Maji Ducatum Monferratensem invadens, arcem Oleggiam tumultuariè capit, inventisque ibidem navibus Sessam transit, & præsidio securitatis ergo communit: inde Galleatam, Bussum, & Mediolanense solum ingenti terrore

Pfefferkornius Gallos cædit.

pervadens, militarem ubique collectam 20000. pistoletorum corradit. Præfectus Vercelli, comes Vaubecurtius delectis raptim mille circiter armatis, reditum illi occlusurus, Oleggium versus insequitur; cujus Pfefferkornius per residuū ad Sessiam inde fugiens præsidium admonitus, Bietum Grassum, haud procul Lodo iter reflectit, ibidemque 500. opprimens equites, Ducis Vendomiī, Benzonii, aliorumque gallicorum belliducum potitur impedimentis; & prope Parasachū tria in Naviglio fl. militarium vestimentorum intercipit navigia: hæc ægerrimè ferens Vaubecurtius illum die alterâ haud procul Gulasco assecutus aggreditur: sed quia Sabaudiæ Dux duo opportunè equitum millia ex eisdem castris continuè submiserat, Pfefferkornius per Hungaros hostem ad insidias lacessens circumcingit, & stricto irruens gladio Vaubecurtium, protribunum Sullum cum sua, & aliis quatuor equitum exigui numeri legionibus internecivè disperdit, læsisque lethaliter Hipparcho Eclos, Marchione Bonelle & aliis tribunis, capti sunt 30. belli officiales, quos inter 4. erant tribuni, cæteri in fugam conjecti; atque ita amissis è suis 50. equitibus, & opimis ditatus spoliis, 6. signis equestribus, 300. equis, 8000. Ludoviciis, 50000. lib. monetæ argenteæ, multis obsidibus & impedimentis gloriose in castra reversus est Verolengum.

Hanc inopinatam stragem & excursionem ulturus Vendomius, Sabaudiæ Ducem Chivazzi cum 6. equitum, & 9. peditum millibus confidentem molitur opprimere, & internecione de-

delere; at quia castra ejus tum loci opportunitate, tum loricarum & aggerum robore vix erant accessibilia, Chivazzum oppidum invadit, 10. milliaribus Italicis Turino non procul confluentia Doriæ & Padi Verolengum inter & Vulpianum situm, & altera veluti Verua hisce communitum adeo tempestatibus, navalique super Padum ponte commodæ communicationis causâ cum valida è regione arce Castagnetto concatenatum, ut oppidum devicto nonnisi Castagnetto occupari vix posset; multæ præterea Nobilium arces pedemontanis præsidiis communitæ erant præoccupandæ, ut ex duarum tantummodo invasione 800. Galli occubuerint; & emissitia Germanorum turma Principem Elbeuf prope cum agminibus aliquot considentem adeo tumultuariè obruerit, ut cæso cum aliquot tribunis Principe, universim prostravissent omnes, Sabaudus modò equitatus advenisset maturius; atque ita ultima hujus Lotharingicæ familiæ Elbeuff, uti & aliæ Vaudemontii & Commercii hoc bello stirpes defecerunt, & Chivazzi obsidio, quam offatim modò conficiebat, longius est protracta.

446. Dum interea uterque Eugenii & Vendomii Prioris exercitus omnia tam frumenta quam commeatum prope Gavardum & Calcinatum consumpsisset; hic 9000. à fratre confirmatus contendit Montechiarum; illle communito ex Bresciano in Tyrolim aditu securus, 30. millium exercitu cogitat Mediolanum, Gallis viam ad Oglium & Addam fl. intercludentibus. Eugenius hic stratagemate

Eugenius stratagemate Gallos fallens tendit Mediolanum.

expeditius agendum ratus, 22. Junii retractis Salo, aliisque locis clam præsidiariis, totum exercitum noctis conticinio per Vallem Osetto Bresciam & Torbolum traducit, utque hostem falleret, 400. peditum papiliones & in loco eminentiori ligna seu truncos aliquot coloratos quasi tot bellica tormenta hostium oculis subjicit, tubicines præterea & tympanistæ aliquot consueta matutinalia castris adhuc præsentibus quasi signa insonabant; die illucescente assuetis Vendomius tormentorum salutationibus prævertens Eugenium, dum hic subticens non respondet, Vendomius dolum suspicatus, mille equites emittit exploratores, qui metu circumcinctionis à longe integra adhuc castra referebant præsentia, meridianus donec sol dolum patefaceret, diei itinere ab Eugenio præventos & delusos; hic autem quinto post die Uragum ad Oglium fl. perveniens, illum pluvialibus aquis exuberatum cum parte equitatûs natantibus equis mox trajicit, pereunte ibidem Comite Serino supremo militum promagistro, dum consueta capitis vertigine afficeretur; hic ductis in altiorem tumulum 30. tormentis campestribus hostiles ibidem excubias equestres, & è foveis peditatum abigit, & occupato castello Calce, per instratum pontem die alterâ peditatum, & per noctem reliquum transmittit equitatum, alæque dexteræ præficit Comitem Leiningenum, sinistræ Principem Dessaviensem; tum cum 300. equitibus hipparchus Batteus in Tyrolim, curules machinas, bellicum apparatum, & supplementa in castra traducendi causâ

est

est expeditus. Vendomius interea Soncini castra metatus Generalem Toralbam Hispanum extractis (præter 200.) Palazzuolo præsidiariis cum 6. agminibus in Mediolanensem emittit Ducatum, quem cum pyrobolariis & parte equitatûs General. Viscontus insecutus 2. Jul. adeo opprimit, ut Comes de Louvignies, primum ducens agmen cum sua vix legione evaserit; Toralba verò lapsus equo sub manu Chirurgi prope Bergamum cursu assecutus & circumdatus, cum 21. primariis officialibus & 500. gregariis ultro Visconti se potestati submittit; uti & Paluzzuolum 4. Jul. cum 220. & Ponte d'Oglio cum 200. præsidiariis ultronee Eugenio se tradunt; qui per Mediolanense Cæsaris nomine morigeris subditis publicat Manifesto Cæsaris legitimi Ducis sui gratiam & securitatem, fugientibus verò ejus fidem tanquam hostibus indicat exitium, atque ita juramento provinciâ Gherâ d'Addâ in Cæsaris & Romani Imperii fidem coactâ toti Mediolanensi Ducatui metum incutit & terrorem, eumque iteratis adeo Hungarorum equitum ad Mediolani usque portas & repagula vexat excursionibus, ut Vaudemontius senior, tunc temporis Gubernator, metu periculi & obsessionis aliquot urbis portas occluserit, & sedulam paraverit defensionem. General. autem Wetzelius gravibus Mantuanum infestabat exactionibus, quem Vendomius tribus sine effugio, ut certò putabat, adoriri locis Chiesæ, Melæ & Ostiani meditatus, salvus tamen à Visconto tribus equitum millibus, & 500. peditibus protectus rediit ad castra. Sed quorsum

Eu-

Eugenius tenderet, Mediolanum, Cremonamve, nemo ne lynceis quidem oculis potuit perspicere; tandem tamen Soncinum deditione occupans, præsidiarios 600. & annonariam domum sat copiosam suæ facit potestatis: tum tria ad Oglium oppida, Ustianum & Ametum Gallos præveniens, demumque Marcariam ultroneâ intercipit traditione, ejusque se fidei præsidium permittit: præcipua autem ejus dirigebatur intentio, hostem in prælium lacessere, ideoque motis Romanengo castris dum pontem Addæ instratum transiturus ab accurrente Vendomio impeditur, qui prævidens fratrem suum Priorem in altera Addæ parte ab Eugenio irruendum, præmissis tumultuariè aliquot dimacharum legionibus, ipse subsequentibus aliis eò pervolat, quo prope Treviglium jam primum Cæsareanorum agmen pervenerat, & frumentarios Gallos captis eorum pluribus, equis & mulis oppresserat, Prioremque Vendomium haud procul Cassano Addam inter & fermè inaccessibilem canalem considentem structis Eugenius ordinibus irruens, primo statim impetu perrumpit, & confundens ordines ultra primum canalem fugat: nec minori fortitudine sinistra Principis Dessaviensis ala in tales hostem coarctaverat angustias, ut jam tum se submitteret; at dum Germani tardius succenturiarentur, resumpto ille animo & viribus acriter resistit; sed dum hostis opportunis adeo castris vix ejici, & canalis alter castra defendens impermeabilis esset [plures enim ferventiores tentantes submergebantur] Eugenius retractis per primum canalem

Vendomium Prior. cædit Eugenius.

[quem

[quem Germani collo tenus in hostium repulsu transiverant] copiis, relictisque aliquot ab hoste obtentis, propter equorum defectum, tormentis bellicis, postquam tribus in arena horis frustra hostis expectasset in secundam pugnam egressum, rediit Treviglium ad castra sua, & hymnum Ambrosianum ob partam victoriam intonavit, quam & sibi vendicavit Vendomius, & eundem Ludovicus Rex jussit cantari Parisiis, dicens, plus sibi Vendomium honoris quàm emolumenti hoc peperisse prælio; quasi vero præclarus ille sit honor & gloria ab inferiori viribus hoste vinci, ex inaccesso ferme loco, per solum peditatum, stricto gladio (nitratus enim Germanorum pulvis in canalis transitu omnino erat madefactus & inutilis) ex arena depelli, ponte, castrorum parte exui, tormentis, impedimentis, signis & vexillis spoliari, uti hic accidit Gallis; proinde Rex ipse fassus: Eugenium inter Generales maximos & generosissimos celebrandum. Cecidere hoc in prælio cum Leiningeno Comite duo Germanorum millia, & viginti septem, læsi 2102. Dux Wurtenbergicus, Com. Raventlavus, Harrachius, Josephus Dux Lotharingiæ ex vulnere pòst mortuus, & Eugenius ipse aurem inter & collum non quidem lethaliter, ita tamen ut ex arena discedere coactus fuerit, Gallorum autem tam cæsorum quàm vulneratorum & submersorum aquis numerus dicitur ascendisse ad decem millia. Illorum mox defectus ex novis Germanorum supplementis, & mutua captivorum redemptione (Gallorum multò plures Germanis erant) est restitutus;

Galli tamen victores esse volunt.

Gal-

Galli metu secundæ ab Eugenio invasionis castra sua Rivoltæ & Aquadelli validè communiunt, nec singulare quicquam inter belligerantes per mensem Septembrem mutuò, nisi emissitiis quibusdam turmis est peractum, donec Eugenius 9. Octobr. per Caravagium in Cremonense solum versus Ceimam clam Gallis castra transferret, quem 11. Octob. subsecuti Galli, Addam fl. Lodi transeuntes Montodini considentes, Eugenio viribus superiores; quare hic 22. Octobr. Fontanellum, Galli ad Oglium, versus Serium contendunt, & Soncinum deditione occupant; inde Pumenengum, dum Cæsareani 30. Octob. Uragum movent, nihil interim utrimque tentantes, magno impediti diluvio, quo terra vallesque adeo inundabantur incredibili indigenarum nocumento, ut in verticibus arborum, & domorum tectis quærerent salutem. Tandem Galli Desenzanum invadunt & communiunt, ut lacum commodius Benacum, quo Cæsareani transportandis frumentis utebantur, infestarent; atque ita Vendomius exercitum in Modenensem, Cremonensem & Mantuanum Ducatus ad hybernalia dimittit; Eugenius verò ab oppido Lonato & Brescia usque ad ditionem Veronensem & lacum Benacum suum distribuit exercitum, Viennamque 15. Januar. 1706. ad Cæsarem abit, commisso imperio Comiti Raventlavo, & Medavo Vendomius Parisios properans.

Fevilladus Chivazzum obsidit.

447. Fevilladus interea dum Vendomius fratri in Lombardia contra Eugenium venit subsidio, acriter cum La Para Chivazzi urgens obsidio-

sidionem, 20. & 21. communicationis arcem, seu Cassinam, ut vocant, valido irruit impetu, sed tam copioso globorum imbre à Sabaudis adeo est exceptus, ut gallici pyrobolarii fusi fugatique suâ viam confusione in castra Sabaudis aperuerint, qui Gallorum sepimenta & operas destruere, 22. curules conclavare machinas, & magnam contravallationis lineæ partem ingenti demoliri celeritate non omiserint, ut Fevilladus consilii inops, num Turinum (quod unice Rex Ludovicus hac expeditione urgebat) Chivazzo necdum occupato invaderet, quod periculosum, & Martis repugnabat regulis; num exigui obsidionem oppidi solveret, quod absurdum & gallicâ indignum erat arrogantiâ; ideoque 23. & 24. Jul. dimidiatam oppidi lunam ferociter oppugnat & obtinet, cæsis ad unum crudeliter omnibus præsidiariis. Die altera extractis Crescentino, Veruâ, vicinisque locis præsidiariis, relictâque Chivazzi exercitûs parte, cum quindecim armatorum millibus 26. Jul. Turinum pergens, in itinere Sabaudicum Settimi equitatum Padum Duce Felsio transeuntem insilit, & ultimum agmen cædit, fusis eorum 400. captis 20. & 6. signis equestribus. Hoc cùm Sabaudiæ Dux intelligeret, videretque Chivazzum arctiori circum- & contravallationis lineâ includi, excursione factâ hostiles viæ opertæ operas & loricas evertit, mandatque Præfecto omnem bellicum apparatum & commeatum inde cautè eximere, oppidumque deserere; quod ex voto etiam successit, & ingenti lætitiâ Galli oppidum occupant vacuum. Fevilladus porro movens Turinum

Et vacuum occupat

Machinator Para suum Vendomio ostendit errorem

la Param Genuênsem eo dimitteret, qui patefactis obsidionis Vendomio erroribus frustra hucusque laborasse, & laboraturum demonstrat, nisi Veruæ cum Crescentinis castris communicationem, pontemque Pado instratum cum munitione ejusdem intercideret; tentabant quidem Galli incendiariis pontem navibus, sed frustra, destruere, quia obstructis palis, sudibus, extensisque per Padum catenis detentæ disrumpebantur; decreto igitur clam in pontem assultu, prima die Martii Vendomius noctu ad horam circiter nonâ in padi insulam, 500. à ponte decempedis dissitam, adduci jubet 20. pyrobolariorum vexillationes, 200. fossores, & octo peditum cohortes cum scalis, fascibus, aliisque obsidionalibus instrumentis, quibus Comes Vaubecourtius sinistrum pontis propugnaculum, succenturiatus autem cum totidem peditibus Comes de las Torres ad dexteram invaderent; ita expediti die altera hora tertiâ matutinâ, Sabaudis nihil tale suspicantibus, & secure, neglectis excubiis, quiescentibus, Vaubecourtius & la Para propugnaculum, seu munitionem adorti, quadrantis horæ spatio 15. solummodò militum jacturâ & 25. læsione occupant, & cæsis internecione duabus Sabaudis cohortibus loci præfectum in intercula sua, & 34. belli officiales è lecto subuculatos cum 200. gregariis capiunt: tum Maurojus disjunctis octo pontis navibus in receptum compositis, occupatam munitionem 12. pyrobolariorum vexillationibus communit. Accurrit mox in subsidium ex Crescentinis castris ingens Germano-Sabaudorum cum facibus &

Et pontem navalem evertit.

fa-

funalibus multitudo, quam Maurojus dispositis ad frontem pontis octo grandinantibus tormentis facile rejicit, cum summo Starrenbergi præceps ad pontem properantis aut mortis, aut captivitatis discrimine; totus deinde tormentis pons omnino sine ulla imposterum succursûs spe discerpitur. Inter hæc duæ pyrobolariorum centuriæ in Veruam quidem impetum faciunt; sed facile repelluntur. Tantum Vendomio emolumenti una peperit ex la Paræ consilio hora, quantum dimidius annus tot fulminibus, impensis & laboribus gravidus parturire non potuit.

Deditionem igitur Arcis Veruæ à Freisingeno præfecto omni nunc succursu, annonâ & apparatu destituto Vendomius postulat; ille autem non tradendi sed propugnandi Veruam accepisse respondit imperium; & nunc tertius tantummodo est oppugnationis dies, hactenus in externarum operarum crepundiis & quisquiliis vester desudavit labor, majora decent viros. Punctus sercasmo Vendomius fremens vim & tormentorum ejaculationes duplicat, & dies aliquot sine intermissione continuans deditionem iteratò, sed irritò imperat, nam præfectus, ædepol germanus, non verbum sed ferrum reponit negativum, excandescente ad hæc vehementer Vendomio, qui indubitatam Veruæ subjugationem Regi 15. Martii appromiserat; ne vanus, uti non raro alias esset vates, generalem & decretorium machinatus insultum; sed ingentem certò cruentissimamque suorum vaticinans stragem, castrorum ad Crescentinum vult præmittere invasionem, cujus in tempore Dux

Freisingeni constans generositas.

præmonitus, octo licet popularis militiæ millibus auctus, inde tamen castra cum omnibus impedimentis Chivas transfert, & oppidum, ceteraque Turinum versus loca, & Capucinorum montem militaribus indesinenter sepimentis, fossis, vallis & loricis communit. Antequam vero inde discederet, jubet præstitutâ Freisingenum die exteriora arcis munimenta in aërem evibrare, & clam cum præsidio, quod salvum optabat, locum deserere, dum ipse Gallorum interim castra esset adorturus; sed nuntio intercepto evanuit consilium ceteroquin optimum. Fossilem denique Vendomius lineam loco circumducendo omnem succurrendi spem præscindit, adeoque arctius coangustat, ut præfectus traditionem sextâ Aprilis die urgente imprimis fame obtulerit, modò honestum militaremque permiserit discessum; quo denegato, Freisingenus alterâ pòst die omnes quotquot habet pyrobolos, sphæras, & globos incendiarios, ferreas grandinis bracteas &c. Tantâ simul vi & multitudine in hostilia evomit castra, ut cœlum ruere, & dehiscere terra viderentur, omnesque in fossis castrensibus milites fuerint prostrati: & dum secundò liber recusaretur abitus, inauditum quid, & rem molimine gravem machinatus, omnia exteriora arcis munimenta & propugnacula subcuniculata evertendo in aërem vibrat (sub mortis licet interminatione ab hoc pridie molimine illum dehortatus fuisset literis Vendomius) divertensque cum infirmis potissimum præsidiariis ad munitionem Donion, hostium se potestati permittit

Sabaudus castra transfert Chivas.

nonâ

nonâ mensis Aprilis; atque ita Vendomius demum acquirit & lucratur mille fame enectos præsidiarios, meram lapidum congeriem, arcem funditus eversam, & in ea 7. tormenta, 5. mortaria, exiguum nittati pulveris; nihil annonæ aut victualium, caro satis pretio, & copioso mercatus eam humano sanguine in semestri illa obsidione, quæ sex Generales, 547. bellicos officiales, 30. insignes machinatores, duodecim gregariorum militum devoravit millia, præter 3000. læsos & infirmos, 300. claudos, 86. perniones, & 2400. fugitivos, ad hæc 20000. tormentorum globis & intra trimestre 70000. pyrobolis arcem assiduè arietavit frustraneo probabiliter labore, si panis sufficisset & victualia: nam Vendomius Freisingenum moliminis sui, morte digni arguens (hic excusabat se luce indiguisse, ut literas ejus legeret, propterea cuniculares incendisse ignes) vitam nihilominus illi, cunctisque simul præsidiariis ob invictum eorum animum, commendatamque fortitudinem & constantiam condonans, Paviam misit captivos & Alexandriam; tum arcem, ejusque internas munitiones subcuniculatas inspiciens, approbansque dicebat: non exiguæ fuisse felicitatis locum hunc fame, non assultu fuisse occupatum, vix decem millium jacturâ, & nec sic certò obtinendum fuisse. Tum copias suas laboribus & frigore exhaustas ad hyberna dimittit; sed cum validioribus machinator bellicus La Para Mirandulam 20. Aprilis acriter flagellat.

Verua Gallis deditur.

Hæc Veruæ obsessio quia longius non sine

R 3 Re-

Regis impatientia protrahebatur, Fevillado imperat Villam Francam seu portum Herculis, & Nizzam terrâ marique invadere: illam etiam 19. Martii occupato circa vesperum (quousque præfectus dilationem petierat) tumultuarie Capucinorum monasterio stricto gladio intercepit, & 100. præsidiarios suæ fecit potestatis; cives autem exemit à direptione, modò numeratis 200. pistolettis belliduces etiam coccino vestiant: Pedemontani etenim sericariam ibidem exercent mercaturam. Subsecutum mox est duplex urbis castrum ad insignis portûs defensionem in monte eminens, dictus Mons Albanus, seu S. Hospitii fanum. Decima etiam Aprilis Nizza, cujus præfectus Marchio de Carail relictâ urbe ad arcem se recipiens, medii anni armistitium urbem inter & arcem à Fevillado obtinet.

Eugenius venit in Italiam.

445. Felices hos Gallorum progressus Eugenius inhibiturus, 17. Aprilis Viennâ Austria cum General. Guttensteinio profectus Oenipontum Comitatûs Tirolensis, ibidem 21. Aprilis Principem Anhaltino-Dessaviensem, cum octo Borussorum, & quatuor Palatinorum millibus ex Bavaria in Italiam contendentem (sex Cæsareanorum, totidemque Danorum millia eò etiam destinata, prægnantes Bavarorum factiones observantia reservabantur) offendit, cujus adventum nimiùm quantum metuebant Galli, tantum Cæsareani illum ad lacum Benacium unicè desiderabant; jamque in Veronense solum advenerat, obsessione Mirandulam soluturus, General. Bibram cum aliquot ar-

armatorum millibus præmittit, ipse autem XI. Maji Mincium transiturus, dum in altera fluminis parte Galli oppottuno validoque consisterent loco, & intumescentem aquis fluvium sine insigni jactura superare nequiret, tormentorum utrimque jaculationibus solùm res acta est, eò quòd etiam Mirandula jam capta dicebatur, quam per totam hactenus hiemem Comes Königseckius constanti propugnaverat fortitudine, eique Cæsarei per pontificium aliquoties territorium succurrere gallici imprimis Cardinalis Jansonii in aula Romana instinctu prohibiti, decimâ tandem Maji fame coactus hostium fidei submisit, & captivus cum præsidio honestè est habitus. Eugenius ne tempus inutiliter traduceret, cum exercitu lacum Benacum hoste insequente trajiciens, præmissas Bibræ copias suis conjungit, atque adeò Magni Prioris Vendomii exercitui approximat, ut mutuum certò prælium secuturum crederetur, quod in subsidium & consilium advocatus frater ejus Ludovicus structâ modò acie disposuerat; sed eo ultra opinionem longius dilato, & quia viribus Galli Germanis erant superiores, Eugenius auditâ Vaubacurtii cæde in Pedemontium vocatur: General. enim Pfefferkornius cum 400. Germanis & 200. Hungaris equitibus, Gallo-Hispanis in hybernis adhuc quiescentibus, 17. Maji Ducatum Monferratensem invadens, arcem Oleggiam tumultuariè capit, inventisque ibidem navibus Sessam transit, & præsidio securitatis ergo communit: inde Galleatam, Bustum, & Mediolanense solum ingenti terrore

Pfefferkornius Gallos cædit.

pervadens, militarem ubique collectam 20000. pistoletorum corradit. Præfectus Vercelli, comes Vaubecurtius delectis raptim mille circiter armatis, reditum illi occlusurus, Oleggium versus insequitur; cujus Pfefferkornius per residuũ ad Sessiam inde fugiens præsidium admonitus, Bietum Grassum, haud procul Lodo iter reflectit, ibidemque 500. opprimens equites, Ducis Vendomii, Benzonii, aliorumque gallicorum bellidu- cum potitur impedimentis; & prope Parasachũ tria in Naviglio fl. militarium vestimentorum intercipit navigia: hæc ægerrimè ferens Vaubecurtius illum die alterâ haud procul Gulasco assecutus aggreditur: sed quia Sabaudiæ Dux duo opportunè equitum millia ex eisdem castris continuè submiserat, Pfefferkornius per Hungaros hostem ad insidias lacessens circumcingit, & stricto irruens gladio Vaubecurtium, protribunum Sullum cum sua, & aliis quatuor equitum exigui numeri legionibus internecivè disperdit, læsisque lethaliter Hipparcho Eclos, Marchione Bonelle & aliis tribunis, capti sunt 30. belli officiales, quos inter 4. erant tribuni, cæteri in fugam conjecti; atque ita amissis è suis 50. equitibus, & opimis ditatus spoliis, 6. signis equestribus, 300. equis, 8000. Ludoviciis, 50000. lib. monetæ argenteæ, multis obsidibus & impedimentis gloriose in castra reversus est Verolengum.

Hanc inopinatam stragem & excursionem ulturus Vendomius, Sabaudiæ Ducem Chivazzi cum 6. equitum, & 9. peditum millibus considentem molitur opprimere, & internecione de-

delere; at quia castra ejus tum loci opportunitate, tum loricarum & aggerum robore vix erant accessibilia, Chivazzum oppidum invadit, 10. milliaribus Italicis Turino non procul confluentia Doriæ & Padi Verolengum inter & Vulpianum situm, & altera veluti Verua hisce communitum adeo tempestatibus, navalique super Padum ponte commodæ communicationis causâ cum valida è regione arce Castagnetto concatenatum, ut oppidum devicto nonnisi Castagnetto occupari vix posset; multæ præterea Nobilium arces pedemontanis præsidiis communitæ erant præoccupandæ, ut ex duarum tantummodo invasione 800. Galli occubuerint; & emissitia Germanorum turma Principem Elbeuf prope cum agminibus aliquot confidentem adeo tumultuariè obruerit, ut cæso cum aliquot tribunis Principe, universim prostravissent omnes, Sabaudus modò equitatus advenisset maturius; atque ita ultima hujus Lotharingicæ familiæ Elbeuff, uti & aliæ Vaudemontii & Commercii hoc bello stirpes defecerunt, & Chivazzi obsidio, quam offatim modò conficiebat, longius est protracta.

446. Dum interea uterque Eugenii & Vendomii Prioris exercitus omnia tam frumenta quam commeatum prope Gavardum & Calcinatum consumpsisset; hic 9000. à fratre confirmatus contendit Montechiarum; ille communito ex Bresciano in Tyrolim aditu securus, 30. millium exercitu cogitat Mediolanum, Gallis viam ad Oglium & Addam fl. intercludentibus. Eugenius hìc stratagemate ex-

Eugenius stratagemate Gallos fallens tendit Mediolanum.

expeditius agendum ratus, 22. Junii retractis Salo, aliisque locis clam præsidiariis, totum exercitum noctis conticinio per Vallem Osetto Bresciam & Torbolum traducit, utque hostem falleret, 400. peditum papiliones & in loco eminentiori ligna seu truncos aliquot coloratos quasi tot bellica tormenta hostium oculis subjicit, tubicines præterea & tympanistæ aliquot consueta matutinalia castris adhuc præsentibus quasi signa insonabant; die illucescente assuetis Vendomius tormentorum salutationibus prævertens Eugenium, dum hic subticens non respondet, Vendomius dolum suspicatus, mille equites emittit exploratores, qui metu circumcinctionis à longe integra adhuc castra referebant præsentia, meridianus donec sol dolum patefaceret, dici itinere ab Eugenio præventos & delusos; hic autem quinto post die Uragum ad Oglium fl. perveniens, illum pluvialibus aquis exuberatum cum parte equitatûs natantibus equis mox trajicit, pereunte ibidem Comite Serino supremo militum promagistro, dum consueta capitis vertigine afficeretur; hic ductis in altiorem tumulum 30. tormentis campestribus hostiles ibidem excubias equestres, & è foveis peditatum abigit, & occupato castello Calce, per instratum pontem die alterâ peditatum, & per noctem reliquum transmittit equitatum, alæque dexteræ præficit Comitem Leiningenum, sinistræ Principem Dessaviensem; tum cum 300. equitibus hipparchus Batteus in Tyrolim, curules machinas, bellicum apparatum, & supplementa in castra traducendi causâ

est

est expeditus. Vendomius interea Soncini castra metatus Generalem Toralbam Hispanum extractis (præter 200.) Palazzuolo præsidiariis cum 6. agminibus in Mediolanensem emittit Ducatum, quem cum pyrobolariis & parte equitatûs General. Viscontus insecutus 2. Jul. adeo opprimit, ut Comes de Louvignies, primum ducens agmen cum sua vix legione evaserit; Toralba verò lapsus equo sub manu Chirurgi prope Bergamum cursu assecutus & circumdatus, cum 21. primariis officialibus & 500. gregariis ultro Visconti se potestati submittit: uti & Paluzzuolum 4. Jul. cum 220. & Ponte d'Oglio cum 200. præsidiariis ultronee Eugenio se tradunt; qui per Mediolanense Cæsaris nomine morigeris subditis publicat Manifesto Cæsaris legitimi Ducis sui gratiam & securitatem, fugientibus verò ejus fidem tanquam hostibus indicat exitium, atque ita juramento provinciâ Gherâ d'Addâ in Cæsaris & Romani Imperii fidem coactâ toti Mediolanensi Ducatui metum incutit & terrorem, eumque iteratis adeo Hungarorum equitum ad Mediolani usque portas & repagula vexat excursionibus, ut Vaudemontius senior, tunc temporis Gubernator, metu periculi & obsessionis aliquot urbis portas occluserit, & sedulam paraverit defensionem. General. autem Wetzelius gravibus Mantuanum infestabat exactionibus, quem Vendomius tribus sine effugio, ut certò putabat, adoriri locis Chiesæ, Melæ & Ostiani meditatus, salvus tamen à Visconto tribus equitum millibus, & 500. peditibus protectus rediit ad castra. Sed quorsum

Eu-

Eugenius tenderet, Mediolanum, Cremonamve, nemo ne lynceis quidem oculis potuit perspicere; tandem tamen Soncinum deditione occupans, præsidiarios 600. & annonariam domum sat copiosam suæ facit potestatis: tum tria ad Oglium oppida, Ustianum & Ametum Gallos præveniens, demumque Marcariam ultroneâ intercipit traditione, ejusque se fidei præsidium permittit: præcipua autem ejus dirigebatur intentio, hostem in prælium lacessere, ideoque motis Romanengo castris dum pontem Addæ instratum transiturus ab accurrente Vendomio impeditur, qui prævidens fratrem suum Priorem in altera Addæ parte ab Eugenio irruendum, præmissis tumultuariè aliquot dimacharum legionibus, ipse subsequentibus aliis eò pervolat, quo prope Treviglium jam primum Cæsareanorum agmen pervenerat, & frumentarios Gallos captis eorum pluribus, equis & mulis oppresserat, Prioremque Vendomium haud procul Cassano Addam inter & fermè inaccessibilem canalem confidentem structis Eugenius ordinibus irruens, primo statim impetu perrumpit, & confundens ordines ultra primum canalem fugat: nec minori fortitudine sinistra Principis Dessaviensis ala in tales hostem coarctaverat angustias, ut jam tum se submitteret; at dum Germani tardius succenturiarentur, resumpto ille animo & viribus acriter resistit; sed dum hostis opportunis adeo castris vix ejici, & canalis alter castra defendens impermeabilis esset [plures enim ferventiores tentantes submergebantur] Eugenius retractis per primum canalem

Vendomium Prior. cædit Eugenius.

[quem

[quem Germani collo tenus in hostium repulsu transiverant] copiis, relictisque aliquot ab hoste obtentis, propter equorum defectum, tormentis bellicis, postquam tribus in arena horis frustra hostis expectasset in secundam pugnam egressum, rediit Treviglium ad castra sua, & hymnum Ambrosianum ob partam victoriam intonavit, quam & sibi vendicavit Vendomius, & eundem Ludovicus Rex jussit cantari Parisiis, dicens, plus sibi Vendomium honoris quàm emolumenti hoc peperisse prælio; quasi vero præclarus ille sit honor & gloria ab inferiori viribus hoste vinci, ex inaccesso ferme loco, per solum peditatum, stricto gladio (nitratus enim Germanorum pulvis in canalis transitu omnino erat madefactus & inutilis) ex arena depelli, ponte, castrorum parte exui, tormentis, impedimentis, signis & vexillis spoliari, uti hic accidit Gallis; proinde Rex ipse fassus: Eugenium inter Generales maximos & generosissimos celebrandum. Cecidere hoc in prælio cum Leiningeno Comite duo Germanorum millia, & viginti septem, læsi 2102. Dux Wurtenbergicus, Com. Raventlavus, Harrachius, Josephus Dux Lotharingiæ ex vulnere pòst mortuus, & Eugenius ipse aurem inter & collum non quidem lethaliter, ita tamen ut ex arena discedere coactus fuerit, Gallorum autem tam cæsorum quàm vulneratorum & submersorum aquis numerus dicitur ascendisse ad decem millia. Illorum mox defectus ex novis Germanorum supplementis, & mutua captivorum redemptione (Gallorum multò plures Germanis erant) est restitutus;

Galli tamen victores esse volunt.

Gal-

Galli metu secundæ ab Eugenio invasionis castra sua Rivoltæ & Aquadelli validè communiunt, nec singulare quicquam inter belligerantes per mensem Septembrem mutuò, nisi emissitiis quibusdam turmis est peractum, donec Eugenius 9. Octobr. per Caravagium in Cremonense solum versus Ceimam clam Gallis castra transferret, quem 11. Octob. subsecuti Galli, Addam fl. Lodi transeuntes Montodini considentes, Eugenio viribus superiores; quare hic 22. Octobr. Fontanellum, Galli ad Oglium, versus Serium contendunt, & Soncinum deditione occupant; inde Pumenengum, dum Cæsareani 30. Octob. Uragum movent, nihil interim utrimque tentantes, magno impediti diluvio, quo terra vallesque adeo inundabantur incredibili indigenarum nocumento, ut in verticibus arborum, & domorum tectis quærerent salutem. Tandem Galli Desenzanum invadunt & communiunt, ut lacum commodius Benacum, quo Cæsareani transportandis frumentis utebantur, infestarent; atque ita Vendomius exercitum in Modenensem, Cremonensem & Mantuanum Ducatus ad hybernalia dimittit: Eugenius verò ab oppido Lonato & Brescia usque ad ditionem Veronensem & lacum Benacum suum distribuit exercitum, Viennamque 15. Januar. 1706. ad Cæsarem abit, commisso imperio Comiti Raventlavo, & Medavo Vendomius Parisios properans.

Fevilladus Chivazzum obcingit.

447. Fevilladus interea dum Vendomius fratri in Lombardia contra Eugenium venit subsidio, acriter cum La Para Chivazzi urgens obsidio-

ſidionem, 20. & 21. communicationis arcem, ſeu Caſſinam, ut vocant, valido irruit impetu, ſed tam copioſo globorum imbre à Sabaudis adeo eſt exceptus, ut gallici pyrobolarii ſuſi fugatique ſuâ viam confuſione in caſtra Sabaudis aperuerint, qui Gallorum ſepimenta & operas deſtruere, 22. curules conclavare machinas, & magnam contravallationis lineæ partem ingenti demoliri celeritate non omiſerint, ut Fevilladus conſilii inops, num Turinum (quod unice Rex Ludovicus hac expeditione urgebat) Chivazzo necdum occupato invaderet, quod periculoſum, & Martis repugnabat regulis; num exigui obſidionem oppidi ſolveret, quod abſurdum & gallicâ indignum erat arrogantiâ; ideoque 23. & 24. Jul. dimidiatam oppidi lunam ferociter oppugnat & obtinet, cæſis ad unum crudeliter omnibus præſidiariis. Die altera extractis Creſcentino, Veruâ, vicinisque locis præſidiariis, relictâque Chivazzi exercitûs parte, cum quindecim armatorum millibus 26. Jul, Turinum pergens, in itinere Sabaudicum Settimi equitatum Padum Duce Felſio tranſeuntem inſilit, & ultimum agmen cædit, fuſis eorum 400. captis 20. & 6. ſignis equeſtribus. Hoc cùm Sabaudiæ Dux intelligeret, videretque Chivazzum arctiori circum- & contravallationis lineâ includi, excurſione factâ hoſtiles viæ opertæ operas & loricas evertit, mandatque Præfecto omnem bellicum apparatum & commeatum inde cautè eximere, oppidumque deſerere; quod ex voto etiam ſucceſſit, & ingenti lætitiâ Galli oppidum occupant vacuum. Fevilladus porro movens Turinum

Et vacuum occupat

Turini Ducis Veneriã devastat

num Ducis Veneriam Royalem, seu domum venatoriam præter omnium opinionem insidet omnium elegantissimam & instructissimam, sed à Gallis tunc temporis turpiter adeo defœdatam, ut Fevillado Dux significaverit: Pergeret porro tam inhumana barbarie cuncta devastare, veniet aliquando talionis & vindicationis tempus. Cumque jam indies formalem Turini metueret obsessionem, Fevilladus militem per hospitia distributum præter omnium spem, tum ob nimium aëris calorem, tum quòd plurimi morbis infecti perirent, per duos omnino menses [terribiles interea præparando apparatus] refocillari jubet, non sine magno Ducis emolumento, qui urbis interea cives lustrando, eorum 15000. armis apta numerabat, & præterquam urbs probè munita, validâque esset arce roborata, montem etiam Capuccinorum, ut vocant, novo militari firmat sepimento, copiasque suas eminentioribus locis vicinis imponit, usque dum 28. Septemb. urbem quidem Fevilladus cingit, videns autem Regique significans ei se obtinendæ imparem, ejus jussu obsidionem in aliud differendum tempus 4. Octobris solvit. Sunt qui Ducissæ Burgundiæ, Ducis Sabaudi filiæ, intercessione dicant intermissam; alii Cæsarem Regi significasse, quod si Turinum ignibus vastaret, se Monachium funditùs eversurum: alii per Cassanensem maxime stragem fuisse impeditam affirmant.

Ab Amadeo cæditur.

Interea temporis Fevilladus militum inopiâ Turini pressus, literis Acqui præsidium à quæstore Castrensi sine mora sibi mitti jubet; hic A-

sti

sti [nam loco Acqui per errorem Fevilladi scriba Asti scripserat, & hic sine relectione subsignaverat] præsidium demittit Turinum, oppidumque subitò Sabaudus Cæsareo occupat milite, expavescente & admodùm indignante Fevillado; hic animi indignationem expleturus relicto, uti dictum, Turino, 6. Novemb. duabus rem tormentariam legionibus eò præmittit, quas Cæsarei tum Asti præsidiarii tumultuariè invadentes, & Sabaudi Ducis, Starrenbergiique equitatu opportune suffulti internecivè oppressissent, nisi Fevilladus ipse cum suis accessisset pyrobolariis: tum redintegratâ cruentè pugnâ Cæsareo - Allobroges cædunt Gallos, & in fugam convertunt, cecideruntque horum tres Generales, 2. tribuni & subtribuni, pluresque alii minoris ordinis, cum 800. gregariis tum occisis, tum vulneratis: Cæsareo: Allobrogum autem 300. læsi & mortui, reliqui tribus pedestribus hostium vexillis gloriose Turinum reversi hymnum decantant Ambrosianum; Fevilladus autem relicto Asto abscedit imbrium tempestatibus eum depellentibus, à quibus post 24. horarum decursum incredibile, si remansisset, damnum passus fuisset; inde Casalium ad hyberna concedit, & aliquot Vendomio legiones mittit subsidio.

Dum hæc aguntur, coangustatur adhuc jam à biennio Montmelianum, quo Sabaudiæ Dux à Gallis ad Cæsareas declinavit partes; & quamvis arctissime ab hinc à Gallis interclusum; fuit tamen quandoque excursionibus præsidium haud infelix; nam 21. Octob. emissitia 25. vi- *Montmeliană Gallis deditur.*

rorum turma trajecto prope Versojum lacu Benaco clam invigilant cursori ingentem auri summam pro gallico in Pedemontium exercitu deportaturo; quem etiam cum duorum Genevensium mercatorum famulo 33. millibus Ludovisiorum onerato offendentes, & sine resistentia eisdem spoliatos utrumque dimittentes, feliciter cum insigni præda Montmelianum revertuntur. Est illud præcipuum Sabaudiæ munimentum, naturâ & arte validissimum, & in Europa celeberrimum, ad pedem montis situm, in cujus vertice arx imminet toti dominans viciniæ, quinque propugnaculis, & altis fossis vivo incisis lapidi, absque ullo cuniculorum periculo probe communita, non ignibus aut potentiâ, sed solâ domabilis sit fame, qua ejus præfectus Comes Santenacus admodum pressus, & omni subsidii spe destitutus ultroneam 1. Decemb. deditionem offert, liberéque ex consueta militari decentia cum 2. tormentis, & 626. præsidiariis (de quibus tamen 326. Helveti gallicam sub suo quondam tribuno Reding amplexi militiam) Turinum est dimissus.

Et Nizza. Idem etiam fatum sustinuit tandem Nizza, ejus provinciæ metropolis, quam Favilladus quidem supra intactâ arce occupaverat; sed inito sex mensium cum Caraglio arcis præfecto armistitio deseruerat, nunc Berwickus jussu Regis, violatoque armistitio illam denuo invadit: urbem facile muris à Fevillado tunc eversis, sed necdum restauratis cepit, arcemque quia subcuniculatam sciebat, assultibus & impressionibus abstinens, 60. bellicis machinis & 15. mortariis adeo

adeo ferociter 37. diebus arietat, ut diruptis cautibus, destructis puteis, & cisternis, post desperatam demum generosamque defensionem, & emanentem etiam succursum tandem pacto honesto egressu & salvo Turinum usque conductu 4. Januar. 1606. March. Caraglio arcem Berwicko submittit. Deploranda meritò tot validissimorum jactura munimentorum, sed metuendum ne Gallorum ea furor, ut minabantur, funditus evertat, uti jam tum Montmelianum subterraneis, quantum rupes permittebant, subjecerant fornaculis, ne fortuna sibi post hac adversante, Duci vero favente essent usui, commodo, & defensioni. Et quamvis Rex omni humanitatis genere, rationibusque Principem ad suas alliceret partes, & Turinum, Astum & Onegliam unica totius sui Ducatûs residua, indubitatò Aprili proximo occupanda comminaretur, & ingentes ad hoc expediret apparatus; non potuit tamen constantem Principis animum à fide Cæsaris dimovere, quòd internecivâ Hochstadiensi strage Regis confractam esse potentiam existimaret. *Vid. num.* 469. &c.

448. In Hungaria Comes Herbevillus Leopoldopolim annuo instruxerat commeatu, indeque versus Tirnaviam in Schut insulam rediturus, Ragotzium & Berezenum cum 45000. prope Bibersberg offendit in acie dispositos, ac 28. tormentis bellicis in se fulminantes. Herbevillus numero licet multò inferior [8000.] ejusdem tamen primùm magnâ vi Tolpatschios, ut vocant, irruit, fortiter quidem obnitentes, sed succenturiatus Palffius eorum latus pene-

Herbevillus cædit Ragotzium.

trans dissipat & perrumpit. His succursurus Ragotzius dexteræ suæ alæ equitatum in Cæsareanorum latera immittit, & duas novitias phalanges planè disjungit & confundit, inque demum recollectos & subsidio auctos toto rursus equitatu suo insilit, quem Cæsareanus non tantum miles generose, fortiterque sustinet, & rejicit; sed in turpem etiam conjicit fugam: quâ totus hostilis consternatus exercitus universim fugam arripit, relicto ingenti bellico apparatu, magnæ expeditioni sufficiente, parte impedimentorum, & 11. tormentis bellicis, quorum 7. defectu equorum conclavata & destructa, reliqua quatuor, & duo mortaria cum aliquot signis & tympanis in ulteriorem superioris Hungariæ expeditionem Herbevillus conduxit: hostium verò ob maturiorem in montana fugam, & incidentem noctem cæsi sunt 400. Cæsareanorum tam cæsorum quàm vulneratorum 200. Nihilo tamen minus quamvis Rebellium peditatus tunc utcunque fuerit contritus, quia tamen equitatu numerosiore & velocitate prævalebant, vires facile restaurarunt, & suos ad militiam vernaculos etiam nolentes coëgerunt, publica licet illis oblata rursus esset amnestia, quam præter Neutram paucosque alios comitatus alii omnes respuentes, Berezenus cum 24. equitum centuriis & millenis aliquot rusticis Com. Budianum ad excursionem ultra Marchiam fl. expedit, quem sine mora Heisterus insecutus, feliciter rejicit. Sed ne perniciosissimæ factionis incendium suffocaretur, Ludovicus XIV. Rex ministrum suum des Alleurs cum 24. Belliducibus, machi-

machinatoribus, & ingenti auri summâ per Dalmatiam submisit Albam Græcam, qui ibidem à Bassa detentus, sed ab Ottomannica demum Porta demissus, Ragotzium ad ulteriorem in Cæsarem factionem, armorumque promotionem incitavit; unde generalis facta est per regnum ad arma evocatio, excrevitque in immensum ejus exercitus; jamque Zatmarium, Eperiesum, & Erlavia, commeatûs defectu Ragotzio se submiserant, fiebantque utrimq; cruentæ satis promiscuâ belli aleâ velitationes: Niesseideli Nepos Karoli cum 250. internecivè à Cæsareanis opprimitur; Palffius Croatiæ Banus cum 700. equitibus haud procul Papa tria Rebellium millia tumultuarie adortus, dispergit, cæsis 400. captis 300. equis; Esterhasius è contra occupatis Modern, Posing, & fano S. Georgii, eorum præsidiarios 2500. ultra Marchiam fl. libere hac demittit conditione, ne unquam contra Ungaros belligerarent, quorum major tamen pars aut ad rebelles transfuga, aut alio est elapsa, reliqui in Italiam ad Eugenium deducti. Interponebant illi quidem pacis propositiones, quam indigenæ irreparabilibus expositi latrociniis & deprædationibus afflictim desiderabant; turbarum vero auctores & incensores temporis intendebant prolongationem, & necessarium Cæsaris contra se bellicum impedire videbantur nervum & apparatum, qui dum inveniendis belligerandi mediis & nervis sollicitè est intentus, à Cardinale Negrone LXX. scutatorum millibus ad compellendas Rebellium insolentias adhibendis liberaliter donatur. Cæterùm

Card. Negroni liberalitas in Cæsarem.

Variæ Ragotzii excursiones.

rùm Ragotzius Marte conceptibus desideriisque suis ex voto non respondente, varias prædatorum emittit turmas in Styriam, Moraviam, & ad Viennenses usque portas terribili excurrentes furore, triginta & plures circumquaque pagos, arces & oppida ferro flammisque crudelissimè subjicientes, plus sanguinis quàm æris ab innocuis plane popularibus suis & indigenis amicis extorquentes. An non meritò Ragotzium, ejusque consortes comparavero Stellioni, quòd id animal pluvioso, & tempestuoso aëre vivat & vigeat, sereno autem cœlo emoriatur? aut camelo eos assimilavero, ut qui non bibat, nisi prius pede fluvio moto aquam turbidam faciat? unde proverbium: aqua turbida lucrum piscatoris, turbulentus vero Ragotzius damnum, & exitium patriæ, familiarumque suarum perniciosissimum. Doctus hic Ludovicus XIV. quomodo exiguo prædonum & latronum manipulo Cæsaream ad Viennæ usque portas aulam possit turbare & vexare, civileque bellum suo ex tractu Commenio multo gestum sanguine in Hungariam invectum, quantum sibi emolumenti; illi vero, aliisque sit irreparabilis detrimenti. O verè fatuus, & ad genimina exurens ignis civile bellum! execrabilis & perfidæ plerumque ambitionis fomite excitatum, vix totis humani sanguinis (plerumque innocui) fluminibus extinguendum! *Vid. num.* 456.

Carolus Palatinus fit Elector Palatinus.

Tyrolis Comitatus quo Italiæ vicinior, ut communicatione quoque esset commodior, Vicarium Cæsar instituit Carolum Philippum Palatinum, postea Electorem, Imperatricis fratrem, qui

qui ſuſcepto mox vicario regimine eò ſe contulit. Eſt autem Tyrolenſis comitatus Europæ maximus, continens Marchionatum Burgavienſem, & quidquid Domus Auſtriaca in Suevia & Briſgovia poſſidet. Aſper quidem & montoſus, potentiâ tamen & opulentiâ ſtatui Domini ſui ſufficientiſſimus. Qui anno 1363. propriè per ſe fuit comitatus, ad Margaretam Maultashinam pertinens, ab Auſtrica domo ſeparatus, & independens, anno 1567. factus eſt legitimus ejuſdem poſſeſſor Archidux Auſtriæ Ferdinandus; anno autem 1665. Jul. 25. ultimo Oenipontinæ lineæ poſſeſſore Sigiſmundo Franciſco Archiduce Auſtriæ defuncto devolutus eſt ad Cæſarem Leopoldum I. qui reſervato ſibi ejuſdem proprietatis dominio conſtituit ex aſſe uſufructuarium Carolum Ducem Lotharingiæ cum conjuge ſua Eleonora (Cæſaris ſorore) quæ poſt mortem Caroli 1691. ſex adhuc annis ad obitum uſque ejuſdem gavîſa eſt proventibus &c. qui annuè ad octingenta florenorum millia aſcendere dicuntur, tantæ Comitatûs magnitudinis, potentiæ, & opulentiæ reſpectu non adeo ſunt magni; ab oriente namque uſque occidentem 44. à meridie uſque ſeptentrionem 25. milliaria, continet, Italiam inter & Germaniam propugnaculum. Habet autem 142. dominia, 2. Cathedrales Eccleſias, 17. civitates, 11. annuas nundinas, 48. variorum Ordinum monaſteria, 207. parochias, 355. arces & caſtella, cives inſuper & incolas opulentos, nullis intra duo ſæcula bellorum adverſitatibus oppreſſos & exhauſtos; ſed frugibus, pratis, paſcuis, pecori-

bus, marmore, ære, & variarum specierum fodinis locupletes.

Archicancellariatum Imperii confert Elector Mogunt

449. Mortuo apoplexiâ Imperii Rom. Vicecancellario Comite Kaunicio, viro sapientiâ eximio, res delata est ad Imperii Rom. Archicancellarium Electorem Moguntinum, qui ex officio alium debet substituere Cæsari acceptum, & intimi in aula Cæsarea Consiliarii munere dignum; sed interveniente Cæsaris morbo & morte dilatum; nam vires ejus 21. Aprilis continuis per sanctam Passionis Domini hebdomadam precibus & jejuniis [die namque Parasceves mucido solùm contentus pane & aquâ] ita languescebat, & 24. die decrescebat, ut sacro fuerit munitus viatico, & testamentum confecerit: à Comite tamen Rappachio chymicâ recreatus tincturâ sperabatur ex nocturna diurnaque corporis quiete, & appetitu virium per intervalla confirmatio, & aliqualis revalescentia; sed 3. & 4. die Maji sentiens mortem appropinquare, medicos cum austeritate quadam abesse jubens, animam deinceps ad iter æternitatis disponit, postquam omnes imperii curas & negotia in Romanorum Regem Josephum jam ante 29. Aprilis transtulisset, & paucos ante dies à se dictatum Seilero in favorem Caroli filii codicillum sibi in præsentia Com. Oetingeni, Trautsonii, Ducis de Moles, aliorumque testium prælegi audivisset, quo si fortè is hispanicæ monarchiæ causâ caderet (pro cujus adipiscenda Carolo possessione & manutentione Josephum Romanorum Regem gravissimè obstrinxerat & obligaverat;) Comitatus ei Tyrolensis tali absoluto

Lepoldi Imp. periculum mortis.

loto jure & modo tribueretur, quo ab alia quondam linea & dominio fuit possessus. Tum valedicens Imperatrici (quæ toto ægritudinis tempore eidem fideliter & consolatoriè inserviens, ne horæ spatio à dilectissimo discesserat conjuge) & post paternam secretò dimidiæ horæ admonitionem filio Josepho Rom. Regi, ceterisque domesticis suis paternam impertitus est singulis benedictionem, & elevatis imprimis ambabus manibus Carolo quidem absenti, sed reflexis in ejus imaginem oculis, & singulari prosperitatis & salutis affectu benedixit, & sic totis animi viribus ad instantem se mortem, & futurum judicem præparavit: de injustitia commissa vix sollicitus, quòd suum cuique ritè tribuisse diceret; proinde piissimos devotionis, humilitatis, fidei, spei, charitatis & resignationis affectus in illum continuò effundebat Crucifixum, qui quondam ad Ferdinandum II. æque piissimum, gravibus tunc implicatum adversitatibus hæc protulisse dicitur: *Ferdinande non te deseram*: Dicebatque Leopoldus ad illum: *A te sceptrum & coronam accepi, ad tuos pedes ea hodie repono.* Noluit etiam à P. Francisco Menegato Soc. Jesu pœnitentiario suo nominari deinceps *sua majestas*, sed *Leopoldus* simpliciter. Quintâ tandem Maji absoluto missæ sacrificio, tertiâ & ultimâ vice piissime refectus viatico, & sacro confirmatus oleo, omnibus hujus Sacramenti consuetis precibus ipsemet mentis semper compos respondit, acceptâque à confessario ultimâ absolutione, Cardinalis Collinitschius submissam à Pontifice plenariam in articulo mor-

Ejus mors.

mortis indulgentiam eidem impertitus est humiliter suspiranti *Domine memento mei*, & *consummatum est*. Inter quæ ultima Cæsaris & pœnitentiarii verba: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*: & *Moriatur anima mea morte justorum*. Tertio post horam tertiam pomeridianam quadrante emisit spiritum Leopoldus I. Magnus, ætatis anno 64. mensibus 10. hebdomadibus tribus, & diebus quinque Imperii Romani, 47. Ungarici 50. Bohemici 49. omnibus præter Augustum & Fredericum III. Imperatoribus regnavit diutius. Est autem mortuus hydrope pectoris, & viribus consummatus, plenus meritis, & gloriosus triumphis. Optimè noverat Leopoldus, mori hominis esse naturam, non pœnam: jus gentium esse, ut quod acceperit, redderet; nec grave esse alienum æs semel solvere, quod cum creditore Deo contraxit, portumque mortis, esse portam vitæ, & introitum in cælestis patriæ delicias.

Tempore vix poteras Leopolde beatior ullo
Et vitam, & regni ponere sceptra tui:
Devictis toties Turcis, ac denique Gallo,
Cum Bavaris strato, victor ubique manes.
Ex obitu cùm quis dicendus jure beatus,
Quis te felicem nunc Leopolde negat?
Quis te non meritò Magnũ nunc jure vocabit?
Magnus & in terris, Magnus in æthere eris.

Pia Leopoldi vita & acta.

Cæsar certe hostium etiam confessione Magnus, pietate, prudentiâ, virtutibus, & zelo cultûs divini inclytus: in sola Ungaria namque ultra 800. templa Catholicis restituit, innumera lapsa & diruta restauravit: magnos annue in Sueciæ,

Da-

Daniæ, Scotiæ, & Hiberniæ missionarios sumptus impendit; Græcos schismaticos, ut ad Romano-Catholicam fidem reduceret, duos instituit episcopatus, tria fundavit seminaria, unde modò ultra 300. Græci nati sacerdotes Romano Catholicam proseminant & adeo delatant fidem, ut plusquam centum millia Græcorum ad eam saluberrimè fuerint deducta. Ejus erant delitiæ & gaudium, si propriis ipse manibus eleemosynam in suum admissis pauperibus conclave unum, binosve 25. ducatorum fasciculos (tantum circiter singulus continebat) posset elargiri, quos omnes, & imprimis sacerdotes singulariter diligebat. Anno 1700. pauperi seu indigenti biverbalem supplicam cum chronographico ConCeDe paneM porrigenti, in momento plumbagine suâ subscribens ConCeDaM reddidit cum munere supplicam chronographicorum amator. Præter germanam quatuor erat linguarum doctus, excellentior latinâ; doctorum quoque virorum, & librorum erat amantissimus, ideoque Leopoldus Magnus Parnassi Apollo est indigitatus, sub cujus regimine tot sunt institutæ, vel auctæ in Germania Universitates, quot à nullo Cæsarum. Omnium artium tam liberalium quàm mechanicarum erat cultor eximius, sed musices studiosissimus, cujus arcana secundùm mathesin fundamenta doctus ab Athanasio Kirchero Soc. J. multa ipse composuit ex arte; ideoque ludis theatralibus, & operis musicalibus attentissimus, oculos claudens, ut esset auditu aptior, & animo attentior: absimilis in hoc Imperatrici Eleonoræ Magdalenæ conjugi

Eleonoræ Imperatrix

zelus devotionis.

jugi suæ, quæ illi voluntate ceteroquin, pietate, & virtutibus similis & conformis erat, ad ludos & operas musicales honoris & non delectationis causâ comitata, aversis à theatro oculis operi manuum nendo, texendo communiter erat intenta. Par utique conjugum sanctitatis nomine dignissimum: Eleonoræ namque religionis zelus fuit semper ardentissimus, corporis mortificatione sæpe incredibilis, cujus pectus hispidum cilicium, brachia & crura aculeatæ cingunt fasciæ, ferreis non rarò corpus domat flagellis, singulis communiter annis celebrem D. Virginis Mariæ in Kitzingen ecclesiam nudis pedibus peregrinando pientissimè simul & humillimè visitat, propriis cibum manibus præbet captivis, & condolendo consolatur: imo tota Theresiano inflammata spiritu (cujus semper ab adolescentia ordinem affectavit) *zelo zelatur pro Domino Deo exercituum*, 3. *Reg.* 19. 10. Taceo illius quinque liguarum scientiam, quâ singulari ingenii acumine gallica, aliaque revolvens scripta & libros, Viennensem & Austriacum concernentes aut suggillantes statum, referebat Leopoldo, politiæ experientissimo: cujus & ipsa, uti ex œconomiæ haud ignara, conjugis sui Leopoldi vitam ad 65. fermè ætatis annum suâ prolongasse curâ & sollicitudine, in periculosissimis præsertim intoxicationis insidiis, ubi suis Eleonora manibus cibos illi in privata sua parabat culina. Cujus, & Leopoldi simul admirabilis & constantissima erat in tot, tantisque persecutionum bellorumque periculis in Deum fiducia, & Dei in conservando Leopoldo,

Amborum in Deum fiducia in summis periculis.

ex

ex ipsis etiam inimicis, tutela: anno namque 1663. Turca capto Vivarino tota cum Vienna tremebat Austria, consilio, robore & milite denudata; & ecce Ludovicus XIV. ter mille equites, & mille ex flore nobilitatis volones cum General. Coligmio submittit, qui plurium judicio in ipso cum Turcis ad S. Gothardi fanum prælio ex Regis sui mandato non pro, sed quasi contra pugnarent Cæsarem; ideoque Montecuculus & Wolffgangus Hohenlojus suspectas Gallorum legiones eo constituunt in acie loco, ubi aut pugnandum fortiter & vincendum, aut moriendum esset: pugnaverunt strenuè & magnam victoriæ partem addiderunt; quamvis ideo Colignius, (ut quidam dicunt) in Regis lapsus sit disgratiam. In Viennensi 1683. obsidione rursum salus ex inimicis: Gallus enim Polonorum impediturus subsidium Cæsari submittendum, ob denegatam abs Ludovico XIV. Poloniæ Reginæ Mariæ Luysiæ marchionissæ de Prequin, pro sua in Gallia familia gratiam (ut supra retuli) efficacius illud ea promovit, Cæsaremque Deus, & totam Christianitatem mirabiliter conservavit: hoc enim Leopoldi erat proverbium: *Deus auxiliabitur*; & *Pejora nobis evenient; sed Deus certò adjuvabit*. Quid pejus, imo pessimum, quando Maximilianus Elector Bavarus filialis in Cæsarem, italico & gallico exhaustum bello, oblitus reverentiæ, Domum aggressus est Austriacam; Rebelles Ungari regnum Viennam usque ferro & igne depopulabantur, & Hannibal ante portam stabat: Gallus ubique victor, Germaniam Romanum-

numque Imperium invadebat: Bavarus cum Vendomio occupabant Tyrolim, omniaq; tunc simul in Cæsaris,& monarchiæ,& AustriacæDomûs extremum exitium conspirabant, quid, inquam, pejus & periculosius Leopoldo tunc evenire potuit? *pejora*, ajebat, *nobis evenient*; *sed Deus certò adjuvabit*. Adjuvavit etiam;

Spes confisa Deo nunquam confusa recedit.

Nam Bavarum & Vendomium per rusticos Tyroli internecivè expellendo; nec minore, imo majore internecione Gallos & Bavaros ex Rom. Imperio per Anglos Hochstadiano prælio ejiciendo, & Leopoldum semper mirabiliter conservando: unde quidam ex nomine LEOPOLDUS acutum ponit anagramma: PELLO DUOS, Gallum scilicet & Turcam.

Sol stat, luna cadit, dum Josue pugnat,& orat;
Sic ego PELLO DUOS, sic LEOPOLDUS ero.

Qui semel, ac iterũ imperitasti maximè victor
Et soli,& lunæ: cedite, PELLO DUOS.

Leopoldi sanctitas. Innocentius Pontifex certè,magnus quoque sanctitatis æmulator palam sæpius non dubitavit dicere, & inscribere Leopoldum Sanctorum canoni, modò permitteret justitia [vindicativa regnorum protectrice] neglecta fortè alicubi ex clementia,vel inculpata ignorantia. At nihil est,inquit *Plinius jun. lib.7.* honestius culpâ benignitatis. *Induitè sicut electi Dei sancti viscera misericordia benignitatem jubet* PaulusColoss.3.12. Ipse Ludovicus XIV. capitalis ejus æmulator Leopoldi suspiciebat miracula; hic enim dum Leopoldi in Italiam metueret invasionem, ejusque

que belliduces omnes adeo Italiæ aditus obstructos & oppessulatos esse asseverarent, ut impossibile foret Cæsari eos penetrare, reposuit Ludovicus; metuo tamen ne Leopoldus novum rursus manticuletur miraculum, ut revera etiam haud multò post Eugenium Sabaudum cum exercitu Cæsareo per invios alpes quasi de cœlo in Italiam frustratis Gallorum obstaculis delapsum non Ludovicus solum, seu Europa miraretur universa.

Quis te non meritò Magnum Leopolde vocabit?
Magnus & in terris, Magnus in æthere eris.

Parentatum illi ubique est per imperium Rom. solemniter.

450. Brevem ejus vitæ anacephalæosim subnectit P. Martini Stridonii 1649. 26. Augusti defuncti prognosticon, multò ante prædictum: quod ego sæpius inspiciens vix potui verum credere; tractu tamen temporis expertus sum verissimum non minus, quàm admirabile; fuit autem in ejus verbis tale. 1. Ferdinandus IV. fiet Rex Romanorum; paulò pòst morietur. 2. Ejus frater (Leopoldus) fiet Romanorum Imperator; attamen propter multos ejus hostes impossibile erit credere, quòd Coronam Rom. accipiet; contra spem solo Dei auxilio certò Romanorum Imperator fiet. 3. In juventute sua infirmitates magnas, etiam mortalia pericula sustinebit; semper tamen Dei ope convalescet: magnas adversitates, & multos hostes habebit. 4. Turca procul veniet, ut exilis spes pro Domo Austriaca futura sit; postea vero Deus juvabit, & Cæsar victoriam reportabit, & Turca confundetur

detur cum omnium admiratione. 5. Magnas dissensiones habebit propter suam sponsam, quam accipere debebit ex Hispania; diu protrahetur, & apparebit, quasi impossibile esset eam accipere; magno tamen labore, & certò accipiet. 6. Initio magni belli adversitates à Gallia habebit: aliquot infidelitates, & proditiones palam fient, & apparebit quasi omnia deberent perdi. 7. Nam Gallus hostis in principio magnas victorias & fortunam habebit, ut omnes crederent, nec aliter cogitabunt, quàm quòd hostis omnibus potietur. 8. Postea Deus Cæsari, & Domui Austriacæ auxiliabitur: omnes hostes superabit, ac confundet, atque ad illius pedes ponet, ut omnes homines sint admiraturi, & opem Dei, qui semper charæ Domui Austriacæ adstitit, sint agnituri. 9. Tunc aquila se in altum elevabit, & omnibus suis hostibus potietur, & feliciter regnabit, pluresque provincias quàm Majores ejus habuerunt, accipiet. 10. Domus Austrica ab hoc Cæsare Leopoldo rursus multiplicabitur; sed non cum una uxore; & felix fiet, imo felicior quàm ullus ex Domo Austriaca fuerit. 11. Sua Majestas Imperator Leopoldus fortunatus Dominus omnium suorum hostium ope Dei potens fiet. Hucusque Stridonius Soc. J. provinciæ Bohemiæ bis provincialis. Neque mirum, si *vir unus* (probus & justus) sit *à quo possimus quærere Domini voluntatem*. 1. *Paralip.* 18. 7. & 3. *Reg.* 23. 8. Quando etiam vir simplex quandoque visus prophetare, ut refert Cajet. Nam ad aulam Hispanicam Româ venerant Hugo Boncompagnus, pontificis legatus,

Per-

Perretus Franciscanæ familiæ monachus, & Sfrondratus prothonotarius omnes à Rege Philippo II. mensæ adhibiti, & regaliter habiti, ibi unus ex privato hominum genere mensæ inserviens singulos diligenter contemplatus, exclamat: Convivas tuos non nosti, ô Rex! quærenti regi, quidnam sibi vellet tam importuna exclamatio? Nescis, inquit, tres pontifices tibi convivas assidere. Mox Boncompagni, inde Perreti, ac denique Sfondrati humeros leniter pulsans, ordinem, quo sibi invicem successuri essent, indicavit. Sed ad priora redeamus.

Prædicta Imperatrix Eleonora Magdalena Leopoldi uxor, Josephi & Caroli VI. mater tacta apoplexia elinguis, 19. Januarii 1720. inter 5. & 6. pomeridianam mortua est, anno ætatis 65. diebus 13. nata 6. Januarii 1655. Leopoldo desponsata 6. Januarii 1677. quæ duobus ante mortem mensibus jussit sibi fieri loculum mortalem ex assere communem ligneum non stanneum; voluitque non ad latus, sed pedes Leopoldi conjugis sui sepeliri in habitu ordinis Mariæ immaculatè conceptæ: noluit indusio suo denudari, sed in eo sepeliri: non imperatrix sed peccatrix vocari voluit, prohibuitque in exequiis encomiasten: viduales, seu vitalitios annuè reditus 300000. daleros, testamento ginecæo suo & pauperibus distribuit. Per universum illi parentatum fuit Imperium splendidissimè simul & mœstissimè, omni laude dignissima

Magdala virtutes sic viva exercuit omnes,
Virtutum ut matrem dicere jure queas.

O felix mater! quæ sic es mortua; dudum
Terra tibi cælum quod dedit, astra dabunt.
Infelix virtus! ubi nunc viduata quiesces?
Ad tumulum Dominæ mæsta quiesce tuæ.
Si te quis, virtus, an vivat in urbe rogabit,
Ah! dices virtus hic tumulata jacet.
Castra Leopoldi conjux hic Magdala dormit
Josephi & Caroli Cæsareana parens.

Eleonoræ uxoris mors

Ei successit Joseph filius.

Leopoldo successit illi filius Josephus I. anno 1690. Augustæ Vindelicorum electus, & coronatus Romanorum Imperator, qui suæ tunc electionis capitulationem, ut promiserat, exactè servandam, adeoque noviter descriptam & renovatam ad singulos Electores, exceptis Coloniensi & Bavaro proscriptis Imperio, statim transmisit; eique imperiales interim civitates, provinciæ, & regna fidelitatis præstant homagium. In Ratisponensi autem comitio dum legatus Moguntinus solemni, & communi tam Catholicorum quàm acatholicorum deputatione de novo Cæsaris regimine principali Cæsareo Commissario *sacræ Romanæ Ecclesiæ* Cardinali de Lamberg gratularetur, Acatholici, seu Evangelici contra verba *Sacræ Rom. Ecclesiæ*, & *Sanctissimum*, utpote ab ecclesia Rom. separati, sunt protestati, uti anno 1667. & 1668. eidem titulo, Guibaldo archiepiscopo Salisburgensi & Cardinali, Cæsareo tunc etiam Commissario, dato contradixerunt; nolunt enim Evangelici communi cum Romano-Catholicis nomine ecclesiam Romanam *sanctam*, & Papam *sanctissimum* appellare, quòd nomen illud Evangelicorum sauciet

Heterodoxi rejiciunt titulos Sacram Rom. Ecclesiã & Sanctissimũ Papam.

ciet conſcientiam; nec in ullis Imperii, aut Cameræ imperialis receſſibus, deputationibuſque reperiatur; neque in Cæſarum hucuſque à Carolo V. capitulationibus hujus nominis extet exemplum; ſed in literis comitialibus anno 1640. & 1641. ad Helvetos catholicos, & anno 1664. ad Galliæ regem, Papam, & eccleſiam allegantibus titulum *ſanctiſſimum*, Electores Saxo & Brandenburgicus omittendum, & ſimpliciter Sedem Apoſtolicam, & Eccleſiam Romanam inſcribi voluerunt: uti etiam communi Evangelicorum anno 1668. Januarii 24. & Februarii 3. concluſo prohibitum Eccleſiam Rom. *ſanctam*, uti Catholici Evangelicam ſanctam appellare prohibent. Quibus responderunt Catholici, nudum titulum neutiquam lædere conſcientiam, ut publica ideo Imperii ſuſpendat negotia: imo in pluribus Imperii Receſſibus & ſubſcriptionibus, & in omnibus Cæſareis capitulationibus, tam à Catholicis, quam acatholicis Electoribus unanimiter factis ſemper §. 1. appellatur Papa *Sanctiſſimus Pater*, & *ſanctitas*: cujus hucuſque tituli poſſeſſionem Romana potius meretur Eccleſia, quàm ſacrum Rom. Imperium, & ſacra majeſtas Regis &c. Hujuſmodi enim titulis magis ſecundùm communem uſum & conſuetudinem, quàm verborum ſenſum utimur. Paulus Philippenſes Chriſtianos *Cap*. 4. vocat ſanctos: Auguſtinus & Hieronymus, omnes alii epiſcopi & Patres, omneſque primæ Eccleſiæ Chriſtiani ſe invicem ſanctos nominaverunt: Cæſares olim tam Chriſtiani quàm ethnici, & tyranni, Valerianus & Decius,

indigitati sunt sanctissimi. *Frebell. Pol. in Valer.* Lutherus ipse reformator *Tom. 6. Jen. fol. 116.* sic scribit: Er wolle / daß man die Jugent und Pöfel nit allein gewöhne zu sagen: würdiger Vatter / sondern auch heiliger Herr / heiliger Vatter: und mussen die Beicht heilig / die Absolution heilig / die Predig heilig heischen ꝛc. *Et fol. seq.* wan sonst kein Hindernus in der Religion wäre / als daß der Pabst der Allerheiligste genent wird / so wolte er den Pabst drey nahl den Allerheiligsten nennen. Elisabeth Regina Angliæ studio à Rege & Inquisitoribus Hispaniæ omissum titulum *Defensor fidei*, gravem adeo reputavit injuriam, ut per suum legatum Smit viâ retorsionis Regem Hispaniæ coëgerit prædictum titulum adjicere. Has verò nominales partium altercationes varia proposita media nequiverunt componere; sed Protestantes per dictaturam absolutè sanxerunt in communibus ejusmodi titulorum actibus se non communicaturos; sed *sanctum & sanctissimum* deinceps esse omittendum: continuandum verò Catholici mordicùs sustinuerunt: *Sanctam Romanam Ecclesiam, Sanctissimumque Papam* tot ante Lutherum seculis usurpatum.

Defendunt Catholici.

Ob similem religionis differentiam ante annos 40. sub Ferdinando III. ortam, & animo 1657. Moguntino Electori, Principique Guelpherbytensi commissam, anno 1681. ab ipsis Hildesiensibus Augustanæ confessionis Ordinibus, & ab imperiali Camera utrobique frivolam, nunc denuo resuscitatam Elector Hanoveranus, & Duces

Lis Protestantium cum Catholicis Hildesiens.

Duces Brunswico-Luneburgenses Collegii Cathedralis, & totius Cleri Hildesiensis bona & proventus, adeoque vivendi media in suo territorio subjecerunt arresto. Hi aliquoties tam apud collegium Ratisponense, quàm Leopoldum & Josephum Cæsares hac de re questi, Josephus arrestum contra pacta Monasteriensia, & Imperii Rom. constitutiones impositum jubet 9. Julii relaxare, remissâ lite ad consuetum dicasterium.

451. In Palatinatu superioris Germaniæ Elector Joannes Wilhelmus Religionis reformationem tanto inducit zelo, ut Protestantium, ceterorumque heterodoxorum ministri suæ confessionis Principum, non sine importunitate implorarint auxilium, quorum præcipuus Elector Brandenburgicus Fridericus III. Rex Borussiæ magnum adeo illis legatione literis præstitit patrocinium, ut nisi Palatinus à reformatione desisteret, & Protestantes in quieta templorum, fundationum, monasteriorum, hospitalium &c. ab anno 1624. hucusque traducta possessione cum omnibus pertinentiis, reditibus, & accessionibus, secundum pacis Westphalicæ instrumentum, ut ajebat, ab omnibus universaliter admissum & subscriptum relinqueret; sed eosdem privando, expellendo, reformandoque procederet, pariformiter se contra Romano-Catholicos Magdeburgi, Halberstadii &c. processurum, omnibus ibidem Romano-Catholicis, monasteriis, & ecclesiasticis indicavit collegiis (quæ sua, non aliena, uti Protestantes, possidebant) jamque per totam Borussiam

Elector Palatinus reformaturus Palatinatum à Brandẽburgico impeditur.

ſiam omnia catholicorum nomina, reditus & bona deſcribebantur, nam cujus, communi ajebat dicto & regulâ, *eſt regio, illius eſt religio*. Quo eodem uſus argumento Palatinus, hanc validiſſimam addebat rationem, & jus reformationis ratione territorii & ſuperioritatis, ſibi ex communi lege, Imperii receſſibus & contractibus competentis, allegabatque ex pacis Weſtphalicæ inſtrumento *art. 5. §. 12. verſ.* Quantum 29. hæc verba authentica: *Quantum deinde ad Comites, barones &c. communiones & ſubditos, ſtatibus Imperii immediatis, ſive eccleſiaſticis, ſive ſecularibus ſubiectos pertinet, cum ejuſmodi ſtatibus immediatis cum jure territorii & ſuperioritatis ex communi per totum Imperium hactenus uſitata praxi etiam jus reformandi exercitium religionis competat, ac dudum in pace religionis talium ſtatuum ſubditis, ſi à religione domini territorii diſſentiant, beneficium emigrandi conceſſum. Inſuper majoris concordiæ inter ſtatus conſervandæ cauſa cautum fuit, quod nemo alienos ſubditos ad ſuam religionem pertrahere, eâque cauſâ in defenſionem & protectionem ſuſcipere, illisve ullâ ratione patrocinari debent, conventum eſt. Hoc idem porro ab utriuſque religionis ſtatibus obſervari, nullique ſtatui immediato jus, quod ipſi ratione territorii & ſuperioritatis competit, impediri oportere.* Catholici demum Principes & ſtatus jure reformationis juſtè nunc repetant, quod ante Lutheraniſmi & Calviniſmi tempora erat ſuum; Proteſtantes verò tunc injuſtè invaſerint, retineantque adhuc aliena; quod quidem concor-

cordiæ causâ per pacem Passaviensem, & Monasteriensem eo usque permissum est, donec Palatinus modernus in electoratum succedens, vi juris territorii & superioritatis jus etiam reformandi exercitium religionis (quod solùm immediatis Imperii statibus, non autem subjectis statui Imperii subditis ex ipsa Cæsaris declaratione competit) acquirendo repetit tot olim seculis à Romano-Catholicis jure possessa & propria, à Protestantibus ultra seculum eo usque usurpata, secundum communem, & Jurisconsultis brocardicam regulam: *Cujus regio, ejus religio: dominus territorii est dominus religionis: Jus reformationis, est sequela territorii &c.* In Camera Imperiali, & omnibus dicasteriis semper observatam, pluribusque exemplis per Jurisconsultos Besoldum, Carpzovium, Gilmannum, Mindanum apud Rittmejerum *in Vindiciis juris reform. cap.* 1. *sect.* 1. §. 5. 8. illustratam. Sed Regis & Electoris potentiæ cedere debuit justitia: Romano-Catholici namque Ducatuum Halberstadiensis, Magdenburgensis, Mindensis & totius Borussiæ per P. Conradum Brüninghoff Ordinis S. Francisci Recoll. Guardianum Halberstadiensem, Ratisponæ Cæsaris, aliorumque Catholicorum Principum Imperii opem, mediatoresque interpellarunt, ne omne illis in locis catholicæ religionis semen, cum ingenti Catholicorum detrimento omninò extirparetur, unde æqualis ferè, aut major etiam, quam in Palatinatu segitis fructu posset exurgere: in solis namq; Halberstadiensi & Magdenburgensi episcopatibus præter duo metropolitana

& alia ecclesiastica collegia sunt 18. religiosa monasteria, quorum reditus & fundationes si aufferrentur, in irreparabilem calamitatum abyssum catholica præcipitaretur religio! Missis autem à Brandenburgo ad Palatinum Electorem legatis Diest & Burhardo spes compositionis, & differendæ reformationis apparebat: quæ etiam anno sequenti est subsecuta, permisso in Palatinatu, aliisque Ducatibus omnibus & singulis libero religionis suæ exercitio, ut juxta præscriptas ab Electore regulas pacificè imposterum viverent. Collegium postmodum Ratisponense controversiam per Deputatos omninò secundum pacta Westphalica & Ryswicensia volens componere & tollere, Lutherani articulum 4. pacis Ryswicensis (heterodoxis omnino adversum) non admittentes, deputationis commissionem longius distulerunt.

Et religionis reformatio differtur

451. Hoc tempore Princeps de Thurn & Taxis, supremus cursorum seu postarum magister, uti literarum, ita personarum quoque vehiculum cursorium Post Calesch und Kutsch æstate præteritâ binis per hebdomadam vicibus Coloniâ Norimbergam, Ratisponam aut aliorsum hinc & inde actoritate propriâ instituit: de quo Norimbergenses sæpius irritò questi, hoc demum anno territorii sui transitum eidem denegarunt. Princeps rem detulit ad postarum protectorem Electorem Moguntinum Lotharium 4. Octobris, graviter Norimbergenses ideo reprehendentem, jubetque non tantum liberum vehiculi cursorii transitum, sed aresti etiam injuriam & damnum Principi illatum resarcire,

princeps Taxis magister postarum unde sit.

co-

eorum aliàs aurigis transitum negaturus. Norimbergensis econtra longâ deductione solemnissimè contestati, hoc generale postarum Regale seu præfecturam non proprio originaliter jure; sed ex benigna Imperatorum concessione, & primò quidem à Rudolpho II. anno 1579. Leonardo tunc Baroni, nunc hujus Regalis beneficio Principi de Taxis, ejusque postmodùm familiæ successoribus à Mathia, anno 1614. Ferdinando II. 1627. Ferdinando III. 1637. & Leopoldo I. 1680. per investituram donatum esse, non de suscipiendo (ut scribit Hornick *tract. de jure postar. cap.* 15. *theor.* 13. *nu.* 4.) auro, argento, gemmis &c. sed literas, non merces transportando, in jurium status præjudicium, in damnum boni publici & commercii, veredariorum & aurigarum provincialium, & urbanorum ruinam &c. quæ territorii dominus impunè, ut ajunt, potest impedire, & per legitima media jurium suorum possessionem manutenere. Sed videntur nunc hæc cursoria personarum vehicula ex quotidiano usu Cæsaris & Imperii auctoritate permissa, & certâ mercium limitatione confirmata.

Porro Augusta Vindelicorum gravissimâ Gallo-Bavaricâ liberata servitute & jugo, & aliquot spoliata millionibus, redhibitionem damni à Cæsare Romanoque exigit Imperio, obtinetque quinto Idus Aprilis favorabile trium Imperialium collegiorum conclusum restituendi omnia ablata tormenta bellica, eorum defectum ex bavarico supplendum armamentario; reliquum verò damnum in futuro pacis instrumen- Augustæ Vindel. restituuntur ablata à Bavaro.

to per specialem resarciendum articulum. *Vid. n.* 479. Interim Maximilianus Bavariæ Dux, Ferdinandi Electoris frater 20. Mart. fato cedit, ingenti Patriæ detrimento. Et quia factiosi in Bavaria formidabantur turbatores, Cæsar recentes urbis Monachii munitiones, aggeres & valla demoliri, armamentaria & annonaria evacuari, omniaque disponi ita jubet, ne quicquam illis posset esse subsidii: ideoque totius Ducatûs constituit Gubernatorem Comitem Maximilianum Lôvensteinium, virum prudentiâ & discretione omnibus charissimum, Landshuti residentem; Comitem item Sigismundum Lambergum militarium rerum directorem, & Comitem Seravium Cameræ Præsidem, quibus tota etiam Bavaria Cæsari & Imperio cessa, vi capitulationis cæsareæ præstitit fidelitatis homagium. Cùm ecce prodit in apricum clandestina, sed periculosissima Bavarorum factio & conspiratio: Electoris namque Secretarius Baro Lierus salvo Cæsaris conductu probè munitus, ex Bavaria in Brabantiam ad Electorem sæpius de- & remissus, manliana ab illo accepit mandata & literas, exauctoratos quamprimum bavaricos colligendi milites, rusticosque armandi, qui Cæsareanos per Ducatum milites ac præsidiarios destinatâ opprimerent, necarentque die: Ratisponam, & Augustam Vindelicorum die Ascensionis Domini sacro ignibus subjectas incinerarent, omniaque sus deque invertendo, Martem omni vi & modo ex Alsatia in Romanum reducerent Imperium. Præceps & imprudentior hac in re Lierus, ratus opus esse festinatione, ordinario li-

Lôensteinius fit Bavariæ gubernator.

Bavarorum factio.

terâs

teras veredario præmittit, ut cuncta in suum sine mora præpararentur adventum; sed interceptis literis Lierus Donawerdæ captus Viennam deducitur, ubi spe vitæ totam enodat conspirationis seriem, & cruentissimam cæsarei militis internecionem octiduo post interceptas literas adimplendum, simulque ingentem bellicum prodit apparatum, terræ per urbes suppositum & supplantatum, huic applicandum molimini; atque ideo Palatinæ sine mora legiones ex Ducatu Tyrolensi accersitæ, per totam dispersæ Bavariam, & soli Monachio 4000. imposita sunt; effossus deinde bellicus & tormentarius apparatus in Ungariam, & alias cæsareas provincias translatus: Electoris Principes filii honestæ traditi custodiæ, Cæsaris clementiam & protectionem, simulque matris ad se ex Italia adventantis præsentiam, & securitatem deprecantes non obtinuerunt; sed hæc in Italiam rediit Bavariâ interdictâ, eò quòd Elector in Cæsaris & Austriacæ Domûs ruinam cum hostibus adhuc conspiraret, adeoque alter Statûs Secretarius Neusônnerus custodiæ quoque est mancipatus, omniaque demum Ducatûs & urbium immutata sunt regimina, ut ulterioris imposterum factionis tolleretur periculum.

Supprimitur.

Sed latuit hæc clandestina adhuc sub metûs cineribus factio usque ad ejusdem anni Novembrem, quo in furibundas flammas, dicamne rusticorum furias adeo insolenter erupit, & eorum, exauctoratorumque antehac militum brevi tempore numerus ultra 16000. adeo excrevit, ut Cæsareanos hinc inde oppresserint, validum Burghausen oppidum 16. Novembr. occupa-

Resuscitatur.

cupaverint, justo deinde exercitu Braunaviam ad Oenum, & 4. Decembr. Schardingam ex defectu sufficientis utriusque præsidii interceperint; mox etiam 13. Decembr. lanionis Kraus stratagemate Kehlheimium ad Danubium suæ fecerint potestatis. Dein pro majori augmento publicis ubique Manifestis sub bonorum & vitæ interminatione socios sollicitaverint, Monachium occupaturi; jamque urbis turrim ad pontem Iser modò occupabant; at ecce cum Cæsareanis eos copiis invadit Kriechbaumius, turrim recuperat, Sendlingam fugatos circumcingit, eorumque ibidem aut capit, aut mactat 3500. Tum sibi metuentes Bavari, & armistitium petentes, urbium & munitionum à Cæsareanis exigunt evacuationem: hanc Cæsarea omnino denegat administratio; gratiam tamen Cæsaris & amnestiam pacificis & arma deponentibus appromittit; refractarios autem aqua & igni interdicit. Sed contumaciores rustici ab antesignanis Comite Baumgarten, Com. ab Aham, Wiedemanno, Prielmeiro, & Barone de Leidten ad fortiora pro patriæ defensione animati, vires haud procul Aidenbachium 7000. recolligentes, castra ibidem sub Præfecto Hoffmanno, loco eminentiori propè silvam metantur: hos 8. Januar. 1706. Kriechbaumius Cæsareis aliquot & Franconicis præsidii Monacensis auctus copiis vix adortus, fugiente statim equitatu, peditatus furiosè conteritur, fugientes ad silvam mox circumcincti potissimũ prostrati, & 4000. sine miseratione deleta. Die decimâ eos Kriechbaumius ulterius persecutus vires eorum ita

Eam Kriechbaumius extinguit, multis Bavaris cæsis.

cons

contrivit, ut similia tentare non ausi, pœnas suæ dederint temeritatis, Braunaviâ, Burghausen, Kehlheimio & Schardingâ ultroneè se submittentibus. *Vid. num.* 479.

453. Villarius interea medio mensis Aprilis collectis Theonisvilla, Metis, Luxemburgo, aliisque locis duodecim circiter armatorum millibus Danos & Hassos ibidem hybernantes inopinatè oppressurus, tumultuariè prorumpit; Butlario autem Hassorum Generale Bipontio cautè se subripiente, Homburgum adoritur; re autem infectâ (urbem Hompeschius exigui roboris spontè deseruerat) generosè defensam demittere, & cum duorum millium circiter jactura debuit abscedere. Marleborugus autem post bellicum cum Batavis conclusum expeditionis consilium Marchionem Badensem Rastadii ægrotantem de instanti quoque consultatus expeditione, visitansque fossiles ad Bühl lineas, 26. Maji venit Treviros, inde collecto confœderatorum exercitu 2. Junii mutis clam tympanis movet in hostem, Sirckum illico deserentem, & castra ad Königsmacheren validis firmantem munitionibus, omniaque circumcirca ad tollendam confœderatis subsistentiam devastantem. Faustam hic omnes fore ominabantur expeditionem (Gallis ipsis eam metuentibus) spe non inani Lotharingiam, Metas, aliaque ibidem prioribus ablata temporibus loca recuperandi, & ipsa demum Galliæ viscera, juxta bellici consilii conclusa penetrandi: sed quia condicta à Badensi 24. millium retardata, seu neglecta sunt subsidia: prætereaq; hostis in Leodiensi prævaleret dicœ-

Villarius frustra, Homburgum tentat.

Marleborugi expeditio in Lotharingiam & Gallias frustrata

Accusat Germanorum socordias

diœcesi, Marleborugus desertis priori anno ad Mosellam occupatis Treveris, Saarburgo, aliisque oppidis, magnis illuc passibus, non sine exercitûs sui detrimento, & magna suæ generositatis cholera properabat, quòd aut privata invidia & æmulatione, aut proprio commodo vel interesse rem omnino publicam, & Imperii Romani salutem & incrementum tam oscitanter & perniciose negligi cerneret & corrumpi, cujus etiam justas postmodum apud Cæsarem præsens, & Britanno-Batavi literis deposuêre querelas. *Vid. num.* 305.

Germanis namque segnius in campum prodeuntibus Galli fossiles ad Albam Sebusianam [Cron-Weissenburg] lineas cum oppido facilè occupant, Thungeni castra tormentis flagellant, & Lauterburgenses lineas iteratò; sed frustra semper, propugnante eas acriter Thungeno invadunt: Homburgum autem Comitatûs Saarburgensis Marchio de Refuge deditione capit, & novo firmat robore.

Homburgum à Gallis capitur.

Dum Cæsareus interea exercitus recentibus augetur supplementis Villario metuendus, hic ad Hagenavenses refugit lineas, & locum vix accessibilem: deinde ab Dalhundensi rheni insula ad usque munitionem Ludoviciam terreas ad prohibendum Cæsareis rheni transitum extruit munitiunculas; nihilo tamen minus Badensis 28. Augusti easdem tribus in locis lineas ad Moderum aggressus, cæsis Gallorum mille, & captis 500. obtinet: quibus conservandis & confortandis Comes Friesenus Drusenheimium aquariis foveis probè cinctum, & validissimæ aptum fortificationi oppidum

Badensis Hagenavenses lineas &c. invadit.

pidum die 24. Septembr. intercipit, & Thungenus 2. Octobr. Hagenaviam tanto adoritur impetu, ut ultroneam cum militari discessu brevi præfectus obtulerit deditionem: quâ denegatâ noctu cum majore præsidii parte præfectus ex Argentinensi porta quasi excursurus, cæsis ibidem custodibus Lichtensteinium & Zaborum feliciter effugit, urbe Thungeno relictâ. Hic fuit superioris Germaniæ finis expeditionis, quæ felicior sine dubio fuisset, & auctior, & gloriosior, si maturius incepta, progressu continuata, & serius fuisset terminata; nam cùm Cæsareanus exercitus Molsheimensem versus tenderet canalem, ipsi adeo Galli hostilem in Alsatiam metuentes incursionem, Schletstadium, & Colmarium invadenda, Argentoratum annonæ caritate pressum arctius includendum, aditumque in Lotharingiam, & montana Vogensia patefaciendum verosimile sibi ominabantur: nequicquam tamen Badensis, viribus licet multò superior, tentavit, imo ad tutius hyberna sua conservanda, ne hostem Zabero expulit. *Vid. n.* 480. Sed redeamus ad Diœcesim Leodiensem.

454. Hic Galli frustra ignibus tentatâ annonariâ Hulsii domo, Ramınganam etiam legionem tumultuarie in Leodii suburbio oppressuri, 6. equitum millia, & 400. epimachas, assidente singulis bombardario illuc expediunt: cernentes autem detecto molimine suo majoribus sibi viribus imminere Batavos, magnâ illico confusione ducentis suorum desideratis & vulneratis, pluribusque captis se inde proripiunt. Overkerckius autem Hollandorum Arcistrategus, quia Gallica in Leodium irruptio eliditur.

quia absente adhuc Marleborugo viribus Bavari Electoris & Villeroji multo erat inferior, prope Trajectum castra metatus, valide communit, dum interim Bavarus Hujum invadit, & 30. Maji urbem, castellum verò per quindenam acriter per Cronstrohmium propugnatum 10. Jun. deditione intercipit, præsidiariis Namurcum in captivitatem deductis: Leodium deinde eidem se ultroneè submittit. Hic ecce adest inopinatè Marleborugus cum exercitu suo, cujus adventu territus Bavarus ad fossiles suas provolat lineas, & Marleborugus per Schultzium Leodium & Hujum facile recuperat; habito deinde cum Batavis bellico consilio, fossiles Gallorum ad Hillesheimium in Brabantia lineas hoc adoritur strategemate: Overkerckium cum Batavico præmittit exercitu, qui transitâ 17. Jun. Mehaignâ fl. haud procul Messlenam simularet ibidem linearum incursionem, ideoque Galli potiores copiarum suarum vires eò contrahentes, alias robore partes viduant; Marleborugus autem cum Noyello, Principe Hasso & Scultzio eadem nocte versus Neerhespenum & Heilhemium progressus, primo sequentis diei 18. mane sine impedimento & hostium advertentia tribus in locis lineas transcendit, Gallorum judicio insuperabiles. Galli prope confidentes advocatis in subsidium sociis, Hassi equitatum invadunt, qui suorum auxiliis opportunè suffultus (Overkerckius namque relictâ interim Messlenâ Marleborugo se conjunxerat) eorum non modo impetum & tormentorum sustinet sævitiam, sed ordines eorum perrumpens in fugam

Marleborugus lineas Gallorũ Hillesheimii transcendit.

vix

vix assequibilem agit: imo binis adhuc vicibus resistentem adeo turbat & confundit, ut equitatus fugiens suum ipsum contereret peditatum: multum passus est peditatus & equitatus Bavaricus, cæsisque mille hostibus capta sunt duo millia, quos inter Marchio Alegrus, Hornius, Tauffkirchius, & 80. alii tribuni, cum decem novæ inventionis triplicium tuborum tormentis, tres unâ ejaculatione globos librantibus, & octo aliis campestribus: repertum quoque inter alia Bavaricum equestre signum hujus inscriptionis; *Coronari aut rumpi*, in Angliam delatum. Tirlemontii deinde præsidium Marleborugi potestati se submittit: tum hostem ulterius persecutus ad Dillam fl. loco opportuno, à dextris sylva concædibus, à sinistris Dilla fl. vel ut alii scribunt Ische, probè communito & inaccessibili offendit, quo omnium judicio sine ingenti periculo & exercitûs jactura ejici non poterat, qui in fugæ persecutione antea poterat aliquorum, hæreditarii præcipuè Hassiæ Principis sententia internecive deleri, & tota occupari Flandria, si uti victoriâ, & persequi confœderati voluissent; aut nisi Marleborugus Batavorum commissariorum, in castris semper præsentium consilio & dehortatione fuisset detentus. Retracto igitur exercitu Soutlevium per General. Dedem adortum, ultroneâ discretionis deditione capit, cum non exiguâ commeatus & bellici apparatûs copia: tunc complanatis foveis seu lineis citra omnem opinionem Hagam Comitis discessit.

Occupat Tirlemontium.

Soutlevium.

Interea temporis General. Sparrius fossiles quoque Gandavum inter & Brugas 9. Augusti ex-

Sparrius lineas inter Gandavum & Brugas.

expulso cum præsidiariis Comite La Motte lineas tumultuarie occupat, & completis per rusticos foveis, destructisque vallis ditissimam Hispanicam & Gallicam Flandriam [Wasiam vocant regionem] extortis ubique obsidibus facit vectigalem: cui dum Villerojus latius provinciam incurrenti reditum occludere moliretur, Sparrius rei maturè admonitus, militaribus dives collectis cautè ad sua rediens, majus postulat militare augmentum, similem, aut feliciorem conficiendi expeditionem. Tunc Marleborugus 28. Octobr. Viennam ad Cæsarem profectus, imperatâ prius oppidi San Vliet, Selandiæ adeo infesti, obsidione, quod dum deditione occuparetur, Galli sub Grimaldo & Artagnano Diestum simili discretionis traditione intercipientes, ejusdem robur & munimenta destruunt; uti & confœderati postmodum San Vliet evertunt, atque ita mutuò hujus anni finiunt expeditionem. *Vid. num.* 481.

Item Wasiam

455. Unum admodùm turbavit Angliam hujus anni infortunium, quo mercatoriæ Anglorum ex mediterraneo classis in Gallorum manus equitis St. Poll initio Novembr. incidit, qui navibus quinque militaribus illam irruens ternas ejus statim præsidiarias devincit, sicque potioribus potitus navibus ipse vitam amittit simul & merces copiosissimas, quæ egenti maximè Galliæ adjumento erant futuræ.

Classis gallica invadit Anglicanam.

Ad finem Jul. Moscis Curlandiæ metropolim Mitaviam tumultuarie invadentibus, adest cum septem Suecorum millibus General. Comes Lôwenhaupt, & Moscorum campi Mareschalli

In Curlandia collisio Moscorum & Suecorum.

li Cheremethoff 18. millium exercitum haud procul Mitaviam aggressus, ternis omnino vicibus cum magna Suecorum confusione repellitur: restauratis mox viribus pugnam utrimque acerrimam, diuque dubiam media ferme nox diremit, utrâque sibi parte victoriam attribuente. Asserunt Sueci septem mille Moscorum cæsos, mille captos cum impedimentis, 13. tormentis bellicis, & 40. signis & vexillis; ex suis præter plures tribunos cæsos 100. tantummodò gregarios desiderare. Haud longè tamē post ipse Moscorum Imperator ejectis Suecis totam Curlandiam (quæ est Livoniæ pars) occupavit; ita quoque 3500. Suecos prope Varsaviam in comitiorum tutelam & securitatem confidentes Saxo-Poloni primùm quidem repellunt; sed postmodum repulsi in alteram Vistulæ partem rejiciuntur, captusque tunc & incarceratus præter morem militarem General. Otto Arnoldus Paykul, natus quidem in Livonia, sed à decimo quinto ætatis anno Saxonicæ, Brandenburgicæ & gallicæ militiæ inscriptus, vendito anno 1680. suo patrimonio (ut ipsemet ad Regem Sueciæ scribit) & relictâ hucusque Livoniâ, externus velut patriâ, nunquam Regi Sueciæ fidelitatis præstitit juramentum, nihilque contra regiam commisit majestatem, nisi quòd contra Suecum militaverit, Augustoque Regi hoc in Suecos bellum suasisse dicatur; ideoque capite, ut alibi dixi, fuit minutus.

Mosci Curlandiam occupant.

Paykul captivatur.

Novus interim Rex Poloniæ Stanislaus Leschinckius Varsaviæ 4. Octobr. inhibente licet 10. Jun. sub pœna excommunicationis, priva-

Leschinckius Rex Poloniæ coronatur.

tionis dignitatum, beneficiorum, & proventuum omnium coronationem omnibus Regni Episcopis Pontifice, & Rege Borussiæ improbante, Suecorum autem Rege cum 25. armatorum millibus præsente & cogente coronatur ab Episcopo Lembergensi, assistentibus Caminecensi Episcopo, suffraganeisque Gnesnensi & Chelmensi; quod soli aliàs proprium est Archiepiscopo Gnesnensi, Regni Primati, Michaëli Stephano Cardinali Raziowskio, qui aut ex Pontificis interdicto ad valvas ecclesiæ affixo & publicato, aut tædio & indignatione, aut ex morbo à coronatione abstinens, paulò post obiit Dantisci profugus paralisi, Augusto Saxoni semper æmulus, unde miserrimum universi Regni natum est excidium. Confœderata deinde Poloniæ Respublica missis ad Pontificem literis intentatum Episcopis ob coactam novi Regis coronationem excommunicationis fulmen & interdictum deprecatur, rogatque, ne se Pontifex deinceps politici regni sui immisceat negotiis, ejusque auctoritatem acribus, & minus modestis verbis non minui solùm, sed ex toto infringi & negari visa est.

Novus interim Rex Leschinckius suam per circulares literas notificat coronationem, & absentium æmulorum officia atque dignitates, nisi præfixo termino se subjiciant, aliis collaturus. Sueci autem Commissarii, ut quorum ope & studio novo nunc gauderent Rege, sat gravia Varsaviæ Polonis proponunt, & imponunt tractatuum onera: ut nimirum omnibus Polono-Borussiæ civitatibus, excepto Dantisco, Suecicum

eum præsidium, usque ad sumptuum refusionem imponatur: deinde liberum Lutheranæ religionis sit in Regno Poloniæ exercitium, eique omnia templa, numero 120. restituantur, & omnia contra Protestantes emanata hactenus decreta cassentur. Qui ingratissimi tamen, & odiosi Polonis tractatus ideo à Suecis sunt dilati & prolongati, ut Leschinckium in throno, & sua in Polonia hybernia stabilirent. Rex verò Augustus ad finem Octobr. ex Saxonia in Polniam redux festivè exceptus, Tikozinum ad Moscorum perrexit exercitum, suisque fautoribus novum candidæ aquilæ ordinem inscriptum: *Pro Fide, Lege, & Patria* distribuit, & vacantem Gnesnensem Archiepiscopatum cum Regni Primatu contulit Episcopo Cujaviensi Szembecko, & hunc Lithuaniæ Referendario Szaniowskio. Tum Grodni indictis 18. Comitiis Saxonico-Moscum militem sub General. Schulenbergo conjungit, quem subsequentis anni initio [13. Februar.] Rheinschildus Suecorum Archistrategus ex interceptis Augusti literis, ad oppidum Rhorstorff adortus, ad internecionem cædit, captis tormentis 32. vexillis 47. & omnibus impedimentis, cæsis, vulneratisque ultra 15000. *Vid. n.* 462.

Rex Augustus Ordinẽ candidæ aquilæ instituit.

à Rheinschildo cæditur.

456. Constantinopolim hoc tempore sex millium domorum vastavit incendium, & in fine hujus anni ducenta ibidem millia peste consumptorum hominum dicuntur numerata. Tökelius quoque nequissimus hucusque Ungariæ turbator & proditor Nicomediæ, in loco olim Constantini Magni Baptismo celebri, nunc de-

ſerto, deſolatoque proſcriptus & profugus, animam 13. Septembr. exhalavit, ſepultus ibidem in ſano Armenianorum, ſcripſitque ex parte bonorum & ex toto ſcelerum hæredem Ragotzium (alii dicunt Ragotzii filium) & teſtamenti executores gallicum Bizantii legatum, & ſeniorem Ragotzium. Hujus eò profligata proceſſit temeritas, ut & ipſe Tranſylvaniæ ambiret Ducatum, ejuſdemque jam modo præparabatur homagium: quem ut ſolidius confirmaret, omnemque Cæſaris vim eliderer, & aditum planè occluderet, magno exercitûs ſui auctus augmento, caſtra propè Schibo haud procul Alba Julia loricis, foveis, concædibus, vallis, & internis receſſibus roboravit: ſupremus autem militum præfectus Comes Herbevillus magnis paſſibus eò contendens, illa Cæſareo - Danico exercitu duobus in locis 12. Novembr. aggreſſus, cornu dexterum ſub campiductore Harboo cum Cæſareanis, & ſiniſtrum ſub ſupremo vigiliarum præfecto Com. Virmontio cum Danicis circa horam tertiam in Ragotzium, & Forgatſchium ſtrenuè immittit, qui continuo quidem igne illos primùm animosè excipiunt; ſed furioſæ Cæſareanorum fortitudini cedentibus, ſuccedunt hi magno impetu, & injectis in foveas virgultis loricas non modò & valla, ſed interiores etiam receſſus generosè tranſcendentes occupant, & internecivè omnes mactant. Superatis omnino hoſtium caſtris equites fugientem ſine diſcrimine delent peditatum; Raſciani verò expeditiores hoſtiles aſſecuti legiones Eſterhaſianam, Janos-Nagiſchanam, & Forgatſchianam germano pla-

Töckelii mors.

Ragotzius ambit tranſſylvaniæ ducatum.

Cæſus ab Herbevillo.

planè milite florentes taliter prosternunt, ut pauci evaserint; ipse adeò Forgatschius vix in tertio elapsus est equo Samoswarium. Capti aliquot centeni Galli, etiam officiales, balistarii, ac plures Germani, vitam & Cæsaream militiam deprecantes: intercepta quoque sunt impedimenta, commeatus & apparatus plurimus, 28. tormenta bellica, aliquot mortaria, & 60. vexilla. Quidam demum Rascianus gallicum Legatum Marchionem de Bellegarde ante triduum Byzantio per Walachiam Ragotziana castra ingressum adduxit captivum, loris vinctum, pretiosis vestibus, auro, omnibusque suis spoliatum, in capite vulneratum & nudipedem; qui spontè & demissè omnia Ragotzii & Forgatschii arcana expeditionis consilia aperuit, sociumque suum des Alleurs aut captum vel occisum referebat. Cæsa prǽterea sunt ad minimum sex hostium millia, Cæsareanorum autem tam læsorum, quàm cæsorum 400. victores eodem vespere sua repetentes castra 15. Novembr. Claudiopolim abierunt, urbis claves, fidem & submissionem per Baronem Petrum Sceredum offerentem: ubi auditâ Ragotzii strage mox installationis theatrum, arcusque triumphales Ragotzio Ducatûs sui Principi festivè excipiendo extructi dejiciebantur: Provinciæ namque Ordines Albam Juliam modò citati erant, variis victualibus, & commeatu abundantem, quæ victorioso militi postmodùm itineribus & laboribus exhausto factæ sunt deliciæ. Hisce Berezenus & Budianus minimè perterriti, ipsa Nativitate Dominicâ nocte Sopronium, octo Viennâ mil-

Legatus gallicus capitur.

Ragotzius Soproniū irritò tentat.

milliaribus distans, pyrobolis, igneisque sphæris irruentes, 184. suburbiorum domos incinerant; civium verò & 600. præsidiariorum vigilantia & generositas illos feliciter ab urbe repellit. Kalendis quoque Januar. 1706. furiosius redeuntes reliquum ferme domorum ignibus destruunt, & 6. Januar. tribus in locis urbem furibundè impetunt; sed pari, imo desperata sub Præfecto Weiersheimio præsidiariorum, civium & mulierum defensione, cæde 760. rejiciuntur, præcisa illi dexterâ, & glande trajecto, qui deditionis signum exposuerat. *Vid. n.* 505.

Sebastinus Episc. à Patrib. Soc. accusatur *Rigidissimi* &c.

457. Magna hoc anno in Belgio & Hollandia inter Patres Societatis Jesu & Archiepiscopum Sebastinum orta est controversia & rixa: hic Apostolicus trecentorum facilè in Hollandia Missionariorum Vicarius; sed Jansenista, in multis Cornelii Jansenii, Episcopi Iprensis cum sociis illi adhærentibus secutus apud Sedem Apostolicam à Societatis Patribus in ecclesiastica disciplina *Rigidissimi* est accusatus, quòd nimirum pœnitentes sæpius à Confessionibus rejiciant, infantes baptizent linguâ vernaculâ, in eamque Ecclesiæ orationes, Sacra Biblia, & novum imprimis Testamentum novâ interpretatione translata, & typis anno 1696. & 1698. evulgata comuni populo distribuant; conjugale debitum imploriferis prohibeant: legata ad pias causas contra testatorum mentē applicent rebus aliis: infantes sine baptismo decedentes æternis damnet ignibus: immaculatam D. Virg. conceptionem non admittant: consuetis ecclesiæ indulgentiis & sodalitatibus plenam non adhibeant fidem

fidem: templorum reprehendant ornatum: diversas contra Romano-Catholicos satyras evulgent: Capitula Ultrajectense & Harlemense essentialiter constituant sede vacante episcopos, qui vi jurisdictionis episcopales exercere possint functiones, seque archidiaconos, Vicarios, Decanos asserant &c. Horum, inquam, Sebastinum accusatum pontifex ab officio suspendit, & alium substituit Vicarium Apostolicum. Sebastinus autem refractarius non pontificis, sed solius esse capituli constituere episcopos & deponere, seque innocentem asserens, Generalium Hollandiæ Statuum protectionem imploravit & obtinuit; qui elapso restitutionis illius termino, quatuor præcipuos Societatis Jesu Patres proscribunt: at ne plures Hollandiâ proscriberentur, Pontifex clero Hollandico commisit rei compositionem, &, ut quidam scribit, permisit Generalibus Statibus fieri satisfactionem. *Vid. num.* 564.

Horum Jansenistarum ibidem sunt primarii bini Patres de Witt, & Paschasius Quesnellus Parisiensis, ordinis Oratorii Berulliani, intimus notissimi Jansenistæ Antonii Arnoldi amicus; ideoque ex ejus Societate suspectus ex communi proverbio: *Noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se.* Hic omisso auctoris nomine edidit librum *Reflexions sur le nouveau Testament.* in 8vo. quatuor voluminum, per 40. annos passim ab omnibus in Gallia sine omni erroris suspicione lectum, in quo Sedes Apostolica propositiones centum & unam publicâ constitutione damnavit: quam Clementis XI. constitutionem Parisi-

Quesnelli scripta damnātur.

Clemēs XI. Jansenii &

Quesnelli propositiones damnat novâ constitutione.

risiensis, seu Gallici cleri congregatio 39. Prælatorum, & Parlamentum 130. capitum 6. Februarii 1714. cum Cardinale Rohano sine limitatione (præses autem congregationis Cardinalis de Noailles, archiepiscopus Parisiensis cum octo prælatis judicavit priùs à Pontifice sensûs declarationem expetendam) admiserunt, approbarunt, subscripserunt, & præfatas CI. propositiones damnarunt; proinde omnia Quesnelli scripta Bruxellis illi subrepta & suppressa sunt, ipseque ultra 80. annorum senecio ab archiepiepiscopo Mechliniensi hoc eodem 1705. anno traditus est custodiæ, ex qua subdolè bellici officialis Jansenistæ adminiculo elapsus, Amstelodamum in vestibus secularibus, edito alio libello *Idee generale*, suas contra Archiepiscopum Mechliniensem reflexiones defendit. Hinc Clemens XI. decimo septimo Kalendas Augusti 1705. Constitutiones Innocentii X. anno 1653. Alexandri VII. 1656. Clementis IX. 1669. Innocentii XII. 1694. emanatas quinque Cornelii Jansenii propositiones ut scandalosas, falsas, hæreticas & impias damnantes, novâ rursus constitutione: *Vineam Domini Sabaoth*, easdem ut hæreticas & impias damnavit.

Cujus declarationem Noailles Card. irrito exigit à pontifice.

Haud paucas hæ Quesnelli propositiones in Germania, Belgio & Gallia excitarunt controversias, quas Cardinalis Noailles si non approbat, favet tamen plurimum, & pontificiæ constitutionis, has damnantis declarationem adeo urget importunè, ut illo instigante Rex legatum Amelotum Romam miserit, qui 12. Januarii 1715. ipsi Pontifici pileatus & gladiatus Regia

gis literas tradidit, declarationem instanter pro Noaillo ad sopiendas suo in regno controversiarum discordias expetentes. Pontifex autem Amelotum ad Card. Tremovillum remittens, 31. Martii septem Cardinalium judicium & opinionum harum propositionum longâ disceptatione solidè disquirit; nihil verò ob Noaillis à Rege commendati auctoritatem concludens, iteratâ licet sæpius Ameloti instantiâ postulatus, ad exactiorem differt discursionem: ideoque Amelotus eâdem adhuc nocte cursorem mittit Parisios dilationem significans; dum interim in lucem prodeunt *Annotationes super præsentes controversias*, ab ipso fortè Noaillo compositæ, & Romam transmissæ; quapropter longius etiam post Ludovici XIV. mortem pontificiæ constitutionis sensus & declaratio adeo procrastinatus est, ut Amelotus Parisios sit revocatus, manserintque propositiones, ut jacent, damnatæ, & à variis postmodùm universitatibus discussæ similiter sunt damnatæ. *Vid. n.* 567.

Discordia inter Papam & Cæsarem.

Crescente interim Pontificis cum Cæsare discordiâ, ille apostolicum suum Nuntium Daviam Viennâ Romam revocat, constituitque commissarios nationalis germaniæ ecclesiæ Mariæ all'Anima, & hospitalis Romæ redituum computum & administrationem exigentes: quod inusitatum hactenus, & soli Imperatoris hujus ecclesiæ protectoris legato semper competens, Germani recusarunt: hinc Pontifice proventus illos sequestrante, Cæsareus rotæ auditor obseratæ ecclesiæ claves Cæsari Viennam submittit: ceteræ nationales ecclesiæ Pontificis de-

decreto fuère obtemperantes, præterquam gallicus Card. Fourbinus, regis sui hac de re judicium & responsum præstolabatur; qui postmodùm commissarium & ecclesiæ visitatorem apostolicum, sed cum adjuncto gallico, uti & Cæsar adjuncto germano permisit: & Pontifex tam Gallicæ quàm Hispanicæ ecclesiarum administrationes approbavit.

Controversia episcopatûs Lubecensis.

458. Mortuo Octobris initio 1705. episcopo Lubecensi Augusto Friderico Duce Holsato-Gottorpiensi alter Christianus Augustus, ejusdem Ducatûs Gottorpiensis administrator quamprimum episcopatûs Lubecensis possessionem ex legitima coadjutoriæ electione, vi pacti inter Domum Gottorpiensem, & Capitulum Lubecense anno 1642. Julii 8. & 1647. initi, concernentis electionem sex personarum ex eadem Domo successive sumendarum: deinde vi pacti Travendaliensis *art.* 8. & Recessûs Glückstadiensis, juxta pacis Monasteriensis instrumentum *art.* 5. §. *Postulati verò* 17. Atque etiam ex jure acquisito, armatâ manu in episcopali arce Cuthiniensi involat: cujus econtra alter competens Carolus Regis Daniæ frater junior compossessionem constanter appetens, ter mille Danis prædictam arcem ejectis C. Gottorpiensibus occupat, & episcopatûs administrationem juxta consuetam semper eligendi cum capitulo capitulationem usque ad definitivam Cæsareæ Majestatis decisionem vel sententiam permittit. Hæc periculosæ consequentiæ controversia inferioris Saxoniæ Circulo magnum gravioris belli metum incussit, ne ad opprimendam Regis Daniæ po-

potentiam Holsato-Gottorpiensis Dux Suecorum & Gallorum militare advocaret subsidium, in irreparabile totius Circuli & Imperii Rom. detrimentum. Quare Cæsare, Reginâ Angliæ, Saxone, Brandeburgo & Batavis mediatoribus multo labore res per legatos est composita: Carolus nempe Daniæ Princeps episcopatûs compossessionem resignavit Angliæ Reginæ, eidem æquivalens promittenti, & cui Georgius frater Danicum suum jus apanagii cessurus est. Augustus Frid. Dux Holsato-Gottorpiensis in actualem Episcopatûs Lubecensis, & arcis Cuthinensis possessionem est introductus, totusque eidem episcopatus 20. Aprilis 1706. à Legatis Cæsareo Comite ab Eck & Anglico Hamburgi Residente de Wick, ceterisque Commissariis est extraditus, Danis eum excedentibus. Quid deinde hoc in casu posthac statuendum, amicè utrimque conveniendum.

459. Die 24. Novembris Augustus Christianus Dux Saxoniæ Zeitz episcopus Jaurinensis, & Cæsareæ Majestatis Commissarius solemni pompâ magistratûs & civium Coloniensium excepit homagium, & quatriduò in Commendateria S. Joannis splendido tractatus est convivio, contradicente capitulo metropolitano, & omnibus ministris, & suo in servitio famulantibus comparere, & homagium præstare prohibente, quòd Archiepiscopus Coloniensis summum Urbis dominium olim ab Ottone Magno anno 955. Brunoni Archiepiscopo concessum prætendat, ideoque antiquitus Colonia Archiepiscopo simul & Cæsari certis sub con-

Colonia Neo-Cæsari præstat homagium.

conditionibus clientelare præstiterit obsequium, cujus formulam describunt Goldastus *in const. imper. pag.* 44. & *Limnæus lib.* 7. *cap.* 10. *n.* 7. 8. 9. Civitas è contra solidè demonstrat se ab Ottonis I. seu Magni tempore liberam & imperialem fuisse, & ut talem ad indictos Imperii circulos & deputationes vocatam comparuisse: suum proprium territorium, & Imperii habere matriculam; omneque jus, quo in urbe gaudet episcopus, ex mera Cæsarum liberalitate, privilegio & pactis cum civitate, salvâ hujus immedietate possidere: patet deinde urbis ab archiepiscopo independentia, quod ad circulum pertineat Westphalicum, archiepiscopus verò ad inferioris Rheni circulum; urbsque nunquam archiepiscopo sed Cæsari semper præstet fidelitatis homagium, uti Leopoldo, Josepho, & Carolo VI. 1717. 16. Novembris est factum, protestante quidem archiepiscopo, sed à Cæs. Commissario Comite Franc. Georg. Manderscheid. Blanckenheim rejecto &c. Cujusmodi jurisdictionum controversiæ plures nostro tempore, annis imprimis 1670. 71. 84. 85. archiepiscopum inter & civitatem intercessere, quæ nonnisi Cæsarea delegatione, & circuli Westphalici mediatione finiri posse scribit D. J. A. Pistorius im scharffsichtigen Adler *p.* 36. 253. Huic, inquam, homagio ex mandato metropolitano duo archiepiscopalis Alti judicii, ut vocant, scabini se subtrahentes, à civitate ad aulam Cæsaream Viennam delati sunt; quæ haud leviter hisce offensa, scabinos illos non modò juribus & privilegiis civilibus privavit, sed ducentis etiam

Quod Scabini subterfugientes mulctantur.

iam

iam quemque aureis mulctavit. Scabinis horum indemnitatem à capitulo metropolitano exigentibus, hoc mordax magistratui scriptum insinuat; quo hic magnopere læsus, scabinos in mille aureorum mulctam condemnat: quam nonnisi in reali executione solvere prohibens capitulum, omnia in archidiœcesi Coloniensi magistratûs bona, proventus & capitalia confiscat, & missis per expressum Viennam literis & querelis subsidium & mediationem Regis Borussiæ & duorum Electorum Moguntini & Trevirensis, deprecatur, probabiliter solutâ per realem executionem senatui mulctâ subsecutam, resque ita est composita.

Incrudescente interim pontificem inter & Cæsarem differentiâ, hic legatum suum Comitem Lambergum Româ Lucam, inde Viennam insalutato pontifice revocat, & 27. gravaminum satisfactionem literis ad pontificem missis minaciter expostulat: ut nimirum pontifex monitorium contra Machionem del Vastum emanatum tolleret: Palavicinum Romæ gubernatorem, & Cardinalem Pauluccium secretarium intimum officiis suis privaret, Generalem verò Pauluccium, Gallos in Ferrariensem ducatum admittentem, arresto innodaret; Carolum III. Regem Hispaniæ agnosceret, Legatumque de latere ad componendam discordiam mitteret Viennam &c. Deinde Nuntium Apostolicum Daviam Viennâ Neopolim jubet excedere. Subitaneus hic Lambergi discessus adeò Clementem XI. turbavit, ut literis ad Josephum Cæsarem 13. Augusti datis se excusaverit, & Cardinalibus Pau-

Pontificis tum Cæsare differentiæ.

luccio

luccio ac Fourbino, quorum hac in re usus consilio, illud objiciendo, medelam nunc etiam vulneri adhiberent. Differentiæ hujus mediator Augustus Rex Poloniæ utrimque admissus legatum Viennam ad partium compositionem ablegavit. Fuêre quidem aulæ pontificiæ duæ Status regulæ, ut quia hactenus monarchiam hispanicam potentissimæ Domui Austriæ conjunctam habebat suspectam, Gallicam sibi emeret conciliaretque subsidiariam favore potentiam; nunc verò monarchiâ hispanicâ ad Gallos translatâ existimabatur potiore Cæsarem quàm Gallos favore prosecutura, vel' exactam saltem utrimque partialitatem servatura. Altera fuit, ut Cæsareum omni quo posset modo Italiâ excluderet exercitum; sed & illa in Ducatu Ferrariensi, & ad Padum neglecta ulteriorem Cesari Italiam, pontificiaque territoria invadendi dedit occasionem, adeo ut felices Cæsaris victoriæ ad saniora pontificem coacturæ sint consilia.

Academia mechanicar. artium

Viennæ Austriæ Josephus Imperator præter liberalium etiam manuariarum vel mechanicarum artium academiam architecturæ, pictoriæ, statuariæ, Calcographiæ, Pyrotechniæ, aliarumque mathematicarum facultatum à Leopoldo I. approbatam, sed hactenus impeditam instituit & confirmavit, insignem etiam in alto Viennæ foro D. Josepho columnam à D. Parente devotam initio sequentis anni 19. Martii hoc titulo erexit: *Viro Mariæ de qua natus est Jesus, Austriæ tutelari, Leopoldo Magno vovente Josephus I. Imperator semper augustus erexit. MDCCVI.* Deinde Marleborugum Viennam de Imperii & belli

belli negotiis consultaturum accedentem benignè, gratiosissiméque excepit, & ex Imperii Romani consensu, ob singularia ejus in illud merita ejusdem Imperii Principem deplomate declaravit, votum & sessionem in comitiis concedit (cujus ad finem anni 1706. 22. Novembris facta est introductio;) attribuitque eidem Dominium Mündelheim, in circulo Sueviæ Memmingam inter & Landsbergam in fœcundissima situm planitie, juris olim Comitis Maxelraini, qui anno 1618. jus suum in Domum transcripsit Bavaricam Electori Maximiliano, ejusque ultimus possessor fuit Dux Maximilianus Philippus, frater Ferdinandi Mariæ Electoris, quo 1705. defuncto cessit Landgraviatus Leuchtenbergensis, & Principatus Mündelheimensis Leopoldo I. Cæsari, hunc Marleborugo clementissimè donanti; idque illo factum consilio, ut Marleborugum re bellicâ præstantem eo arctiùs sibi, Imperioque Romano devincîret. Expeditis ibidem negotiis Cæsaris effigie, & annulo pretii 12000. florenorum muneratus abiit Berlinum & Hannoveram, actisque ibidem rebus etiam publicis rediit in Hollandiam, & demum Angliam, amplis ubique exceptus honoribus.

Marleborugus Princeps Rom. Imperii declaratur.

Annus 1706.

461. Hujus anni 1706. die 14. Januarii Suecorum Rex Carolus cum Stanislao Leschinckio ex Saxonia suum 30000. exercitum in Lithuaniam educens, superatâ tripartitò Vistulâ Polonû Augustum & Moscum aggressurus, dum

23. Januarii Grodnum advenit, intelligit hunc metu longiùs discessisse. Carolus Gustavus Reinschildus verò cum parte exercitûs Augustum Regem transito cum 20. circiter millibus Viadro, infra Frauenstadt prope Rejersdorff in silva & dumetis hærentem, in patentem simulatâ metûs fugâ elicit campum: ubi 13. Februarii primum Saxonum sub Generali Schulenburgo impetum fortiter excipiens generosè repellit; sed binis vicibus sinistra ejus ala à Saxonico equitatu rejecta, totis mox resumptis viribus eundem perrumpens equitatum dissipat, confundit, & in turpem planè fugam, deserto peditatu, conjicit: qui à Suecis adeo internecivè deletus est, ut ex 13000. vix quingenti pedites superfuerint, 7000. verò capta cum 100. tribunis, centurionibus &c. 32. nova tormenta bellica, & ultra 74. signa pedestria & equestria, ut supra dixi: Suecorum tam cæsorum quàm læsorum ultra mille non sunt numerati. Reinschildus Saxones ad Silesiæ confines persecutus, pretiosum à Cæsare recepit annulum, quòd hisce subditis suis cum magna in Cæsarem reverentia parcens, aliò suum deverterit exercitum. Carolus Rex interim in Lithuania Moscos impotens assequi, Varsaviæ cum Poloniæ Republica 28. Novemb. de ejiciendo potissimum Augusto, & confirmando Stanislao paciscitur. *Vid. n.* 479.

Dissidiū episc. Basil. cum Bernens. 462. Basileensis episcopus Joannes Conradus, Imperii Rom. Princeps, & Catholicis Helvetis confœderatus, Sacramentum fidei à clientibus, præsertim Vallis grandis, Münsterthal, exigens, renuunt, nisi confirmatis priùs juribus

&

& privilegiis, ultra 220. annos concessis, & eis suus suadebat præses Wisardus: episcopus namque ejus à Bernensium ad Galliæ limites extensus reformatæ religionis indigenæ, præsertim Vallisgrandis supra & infra rupes gaudent cum Bernensibus jure civitatis & eorum protectione: quia olim sub Bernensium jurisdictione, certis posteà sub conditionibus permissi sunt episcopo, absolutam sensim in illos jurisdictionem multis utrimque cum rixis prætendenti; ideoque Bandeliero, ut vocant, seu Wisardo graviter offensus, ab officio & dignitate depositum pecuniariâ etiam mulctâ castigat, omnesque Bernenses ministros in suo jubet arrestari territorio. Qua de causa hic apud Bernenses questus, vi militari omnibus restitutus est officiis, humagiumque juris civitatis &c. indigenæ Vallisgrandis, quà concives Bernensibus præstiterunt, graviora episcopo, nisi desisteret, interminantibus. Episcopo Catholicos Suitienses, Underwaldos & Tuginos pro expellendis suo episcopatu Bernensibus, in subsidium invocante, Tigurini reformati in hac religionis suæ causa, & nimiæ oppressionis decẽ centurias liberas, & sex peditum millia Bernensibus submissuri, audiunt rem Nidaviæ 21. Aprilis ita compositam, componitur ut tam episcopus quàm Bernenses in sua quisq; permaneret jurisdictione. Ille protestando quidem quievit; sed à Bernensibus pro belli hujus expensis 70000. Imperial. postulata, nunc quidem condonata, quandocunque autem imposterùm Bernensium Vallis-grandis jurisdictio-

nem impeteret violando, hæc 70. Imperial. millia ſolvere teneretur.

462. Felix anno præcedenti Caroli III. expeditio ita Gallo Hiſpanorum oculos perſtrinxit, ut furore debacchantes immani in Hiſpanos ſubditos ſævierint crudelitate: in Arragonia Comes de las Torres & General Salazar occupatâ urbe & arce Morellâ præfectum natione Catalonum patibulo affigunt, pagoſque plures igni ſubjiciunt: templa & ſacra vaſa diripiunt, incenduntque, ſacras violant virgines & horrende inſaniunt ubique. Moncono fruſtra à Theſſeo tentato Caregam Galli diripiunt; ſed ab oppido S. Matthæi, quod jam tum devoraſſe de Torres videbatur, turpiter rejicitur: quam vindicaturus injuriam invasâ per vim Villâ reali omnes in ore gladii præter pueros & muliebrem ſexum rejectis Religioſorum precibus trucidat, ſimilisque aliis illata vis eſt oppidis. Quid? quod epiſcopi Murcienſis & Orihuellanus collectis aliquot armatorum millibus regnum Valenciæ invadentes in Auſtriacos furebant fautores, quibus cum 7000. conjunctus Marchio Ruffalius, cinctam à Miqueletis, ut Galli vocant, Alicantam obſidione liberat, multoſque ibidem ſuſpectos tam eccleſiaſticos & regulares quam ſeculares carcere mancipat; in Catalonia quoque Theſſeus omnia ferro & igne depopulatur; & præfectum arcis Miraveræ captæ contra jus militare patibulo affigit, tanquam proditorem Carolo militantem, qua immani crudelitatis gallicæ exaſperati ſævitia Hiſpani indigenæ plurimos quà palam, quâ clandeſtine animâ exuerunt, ut Gallorum

Rein-ſchildus Polonos Gallorũ cædit in Auſtriacos in Catalon perſecutio.

nul-

nullus à sua procul legione ausus fuerit discedere.

Andegavensis interim Regis Ludovici XIV. consilio & hortatu ipsemet exercitum ad Barcellonæ obsidionem ducturus, institutâ regni moderatrice Regina 23. Februarii Madrito discedens, Caspum ad Cataloniæ fines pervenit, ibidemque Thesseum & Noaillem cum 30000. exercitu offendit; Comes vero de las Torres in Valentiæ regno, & Berwickus ad Castiliæ fines hostes observabant: Comes demum Tholosanus 1. mensis Aprilis navali Barcellonam classe 22. navium mari, & 4. ejusdem terra Philippus intactis contra Thessei consilium & militares regulas Leridâ & Gironne cingunt; quam paulo ante Comes Cefuentes cum 300. armatis ingressus, cum eisdem 2. hujus rursum eandem egressus est cum insigni Miqueletorum copia, datâ loci & occasionis opportunitate Gallorum castra, uti non raro feliciter fecit, lacessiturus; 6. autem Aprilis Marchio de Aytona castrensia adversus Montem-Jovis aperit valla, & 500. passibus de nocte promovet; sed Miqueleti præsidiariorum in urbe signo provocati è montibus in hostium castra simul cum præsidiariis ferociter irruentes valla diruunt, & haud exiguam inferunt stragem, prætereaque urbi ex Lerida & Gironna novum suppeditabatur supplementum, cujus universim præsidium sub præfecto Com. Uleseldio, Dunegalo, St. Amando, Henrico Hasso-Darmstad. &c. belli ducibus censebantur circiter 3000. peditum, & 800. equites Britanno-Batavi, præter aliam militiam hispanicam

Barcellonam Galli obsident

nicam & cives, nihil laboris & periculi ad defensionem urbis & Regis sui ubique præsentis, eosdemq; non fortiter tantum, sed paternè etiam adhortantis fugientes, suam generose patriam adeo propugnant, ut infirmioribus Gallorum castris Comes Tholosanus è navali classe 4. armatorum submiserit millia & confirmaverit: nam duo Carolinorum & 8. Miqueletorum sub Ducibus Peterberugo & Cifuente millia gallorum continuò castra ex insidiis ita infestabant, & carpebant, ut nullus eorum limites auderet castrorum exire: 17. autem Aprilis opertam hostis viam Montis-Jovis, multo sed sanguine & morte famosissimi machinatoris de Lapara occupat. Tum terrâ marique urbs 80. tormentis & incendiariis plurimùm sphæris est flagellata, & galli primam Montis-Jovis circumvallationem furiose insilientes, præsidiariis fortiter quidem tribus omninò horis propugnantibus, numero tamen & robore superiores 20. mensis Aprilis pyrobolarii obtinent, strage utrimque cruentâ, & cæde imprimis Anglicani Ducis Dunegali cum pluribus Britanno-Batavis.

Quam Carolus Rex propugnat.

Hæc fama dum per urbem volaret, mox invocato D. Olagiæ urbis patronæ præsidio, compulsatisque æris martiis ex urbe præsidiarii, & de montibus hoc signo provocati Miqueleti (sunt milites monticolæ) Leridano fulti subsidio furiose utrimque excurrentes castra valláque hostium irruunt; sed Thesseus excursionis signum observans, toto tumultuariè collecto simul milite post acrem velitationem illos rejicit; quare ulteriori Montem - Jovis defendendi

Mons Jovis occupatur.

spe

ſpe deſtituti, præſidiarii 25. nocte illum deſerunt, à Gallis 26. occupatum, à quo die cives & præſidiarii diu noctuque in conficiendis internis receſſibus, exſtruendiſque inteſtinis propugnaculis & reductibus occupati difficillimum hoſtibus in urbem acceſſum præcludebant, ad ultimum ſanguinis defenſuri, Gallorum immanem perhorreſceutes crudelitatem; captivis enim Barcinonenſibus, cunctiſque Catalaunis neutiquam parcentes aut mactabant, aut ad triremes relegabant; Theſſeuſque quatuor circumcirca Barcellonam milliaribus pagos & oppida omnia in Auſtriacorum incenderat odium, ut totus adeo Gallorum exercitus & caſtra fame fuiſſent confecta, ſi adverſis annonaria eorum claſſis detenta ventis diutius emanſiſſet. Ceterum Philippus Andegavenſis iteratis adeo urbem arietare jubet tormentis, ut latæ paterent murorum ruinæ & intervalla generali omni momento impreſſione ſuperanda; eo tamen nihil eſt territus Carolus; ſed ubi major vis impetus, ibi ſuis adhortatione erat præſentior; initio quidem obſidionis conſiliariorum ſententiâ Terragonam ſecedere propoſuerat; creſcente autem indies periculo neque aulici præfecti ſui Antonii Ducis Liechtenſteinii demonſtrationibus, neque literarum dehortationibus Peterborugi & Ciſuentis, neque ullis regni Ordinum, & magiſtratus precibus, ut urbe periculorum causâ excederet permoveri poterat; ſed ad extremam defenſionem amore civium & præſidiariorum conſtans, & imperterritus permanens, omnes ad laborum tolerantiam animabat.

Caroli in urbe conſtantia.

mabat, ad periculorum constantiam & fortitudinem suo urgebat exemplo & patientiâ: quidquid igitur murorum interdiu hostis dejiciebat, illud noctu cives, Religiosi, & ipsæ passim mulieres amore Regis sui, quibusvis contemptis periculis, incredibilique infatigabiliter ardore gerris, corbium cistarumque objectu, & aggere non solum congestitio obstruebant, sed internos retro muros & valla nova extruebant sepimenta, loricas, & occultos reductus, vallaribus sudibus, & curulibus muniebant machinis. Et quamvis hæc improbo reficiebantur labore & diligentia; sed inopia subsidii urbis tandem robur deficiebat; paucis enim citra millibus restabant Britanno-Batavi, quorum potissimos & fortissimos in Montis-Jovis propugnatione aut mors aut sustulerat captivitas, reliquos continuus exhauserat labor viribus omnino deficientes: urbis adhuc miles 1400. arte militari inexcultus & numero, & opere vix quicquam præstabat; hostium autem furore quotidie invalescente, & exteriorem muri fossam seu contrascarpam occupante (Philippus enim Andegavensis spe jam tum urbe potiendi erat certus) crescebat periculum ferme inevitabile; nec tamen Carolus iteratis licet Peterborugi & Cifuentis rogatus literis urbem volebat deserere, nec unquam deserturus, nisi extrema cogeret necessitas; tunc aut quatuor jam tum in fugam paratis navibus, aut cum urbano excedere equitatu statuerat; nec vero etiam maturior abitus, nisi cum præsentissimo urbis & regni certò amittendi periculo, expediebat.

463. Ex-

463. Extremum tamen urbis periculum literis Carolus Architalasso Lacke significans, quam potest celerrimum subsidii classisque urget adventum, quæ tum ventorum tempestatibus, tum maris diu retardata malaciâ, octava tandem Maji ingenti urbis jubilo opportunè Barcellonam cum 55. militaribus navibus & plurimis vectoriis appulit; cujus adventum Architalassus Comes Tholosanus per speculatores intelligens pridie totis noctu velis se fugæ committit: Peterborugus autem quamprimum 5. armatorum millia è classe ad periculosam murorum in urbe ruinam opportunè disponens, generalem hostium jam tum decretam impedit, eluditque impressionem; nihilo tamen minus binis adhuc diebus continuata obsessio, sed raris tormentorum explosionibus, & quia nunc hostes validam ex urbe excursionem, simul & à copioso subsidio metuebant oppressionem, præcipiti se inde fugâ proripiunt, relictis inhumanæ crudelitatis suæ vestigiis, qua omnia circum urbem domicilia, villasque urbanas irâ & desperatione frendentes insanientesque in cinerem redigunt. Mox igniarios oppidani fomites cuniculis in Monte-Jovis, & in castris apparatui bellico appositos, & ferme accensuros opportune extinguunt, quorum unus non offensus die alterâ partem propugnaculi S. Matronæ in Monte-Jovis diruit. Urbis interim Præfectus Uleteldius, & Hasso-Darmstadiensis oppidani partem equitatûs cum ingenti popularis militiæ, & Miqueletorum copia in fugientem expediunt hostem, qui in extrema ejus agmina furibunde

Urbi advenit succursus.

Gallorū classis & exercitus fugit

irruentes magnã edunt ſtragem, ſub qua 9. inter & 10. matutinam horribilis ſolis ecclypſis per tota ſex minuta (qualem ab aliquot hinc ſæculis mundus non vidit horribiliorem) diem quaſi noctem obtenebrat, & omnibus ſimul horrore perculſis armiſtitium quaſi velitantibus indicit; radiis autem ſolis occidentem verſus ſenſim apparentibus animus redit Carolinis, qui Gallos magno adhuc pavore fugientes acrius inſequuntur, & ubique pertinaciter carpunt ingenti confuſione diſperſos, ut potior exercitûs pars aut fugâ, aut cæde fuerit contrita; nam una ſæpe die trecenti ad Caroli tranſibant caſtra transfugæ: in ſola autem urbis obſidione Gallorum occubuêre ſex millia, fugeruntque Rouſſilonum & Perpinianum (quo etiam Andegavenſis à Com. Tholoſano claſſe delatus exercitum miſere in finibus divulſum deſeruit) ad Hiſpaniæ limites, & januam Galliæ, relictis ultra 2000. ægrotis & vulneratis, 166. æneis tormentis (præter ea, quæ terræ infoſſa) 27. mortariis cum ferreis cantheriis, omnibus impedimentis, & incredibili bellico annonæque apparatu, quatuor millionibus æſtimato. Fuſis fugatisque ſic hoſtibus Carolus in æde D. Petri Deo Servatori ſuo in gratiarum actionem *Te Deum laud.* intonat, uti antea quoque peregerat in adventu claſſis, ſingulari Dei beneficio in extrema ſibi neceſſitate ſubmiſſæ, poſtquam ad maris portam Architalaſſum Laacke, Bings, Jenning, Peterborugum, Wynthamum, reliquosque tribunos, Comit. Noyellem, Stanhopium, cæterosque naucleros, & navarchos benigniſſimâ excepiſſet humanitate, & gaudio.

Hæc

Hæc eſt illa celeberrima Barcinonenſis obſidio, nullis prope ſæculis audita, quam duo ſimul Reges, unus impugnabat, & alter propugnabat, de Iberica pertinaciter decertantes corona; cujus ambiguum orbis exitum ſuſpiciebat univerſus, & Herculeam Caroli in tam præſentiſſimo periculo urbis ex præterita obſeſſione necdum reparatæ admirabatur fortitudinem, qua continuis 35. obſidionis diebus præter diurnas nocturnasque ſollicitudines & diſcrimina tam interni quàm externi hoſtis ſuſtinuit impetum; latebant enim in urbe haud pauci, qui occultâ invidentiâ cives & præſidiarios ad urbis honeſtè dedendæ factionem ſollicitabant; habent enim hoc Hiſpani privilegium, ut ſi hoſtis grandi muros ruina perforaſſet, depoſitis cives armis traditionem ultroneam offerrent. Hos Carolus infracto eſſe animo, ſpe ſuccursûs certò adventantis conſolabatur, & Auſtriacâ benignitate modeſtè dimittebat. Dici vix poteſt, quantum hæc Barcinonenſis ſtrages Gallos tot annis hucuſque victoriis glorioſos terrore proſtraverit; (Certè Maintenone Regis concubina dolorem terroremque phlebotomiâ delinivit) præſertim dum jam occupato Montejovis indubitatam urbis ſperaſſent deditionem; jamque glorioſiſſimi in Ruſſolonia parabantur ubique triumphi, & carè ſatis elocabantur feneſtrarum proſpectus, quò curioſius captum cum Barcinone Carolum III. in gallicam deducendum cuſtodiam poſſent perſpicere. Sed Philocteris ſibi fabricarunt tela admodùm perniciosa; Unde quidam ſcribit hunc ſarcaſmum:

Hacte-

Hactenus esse virum te Rex Ludovice probasti,
Sunt testes Martis, sunt Venerisque tibi.
Nunc vix in thalamo vir dici jure mereris,
Teque virum in castris Anna Britanna negat.

Gallowajus Alcanteram occupat & plura alia loca

464. Interea temporis Henricus Comes Gallowajus Britannorum, immo & Lusitanorum Archistrategus lustrato Elvasii 15000. peditum, & 5000. equitum exercitu 24. Mart. cum 33. tormentis bellicis potissimum campestribus movet in gallicum Ducem Berwickum ad Castiliæ fines considentem: qui quia viribus multò erat inferior, fugiens omnem declinabat ictum; ideoque Gallowajus 9. mensis Aprilis cingit Alacantaram ad Tagum Regni Estremaduræ fluvium, quatuor præsidiariorum millibus munitam, & generosè admodùm defensam; sed patefactis murorum ruinis, cunctisque ad decretoriam impressionem paratis ultroneè se Gallowaji discretioni 14. permittit, non sine exiguo Regis Portugalliæ gaudio per triduum jovialibus ignibus & luminibus plaudentis: magna ibidem commeatûs & bellici apparatûs copia ad necessarium Lusitanorum adjumentum est inventa. Hinc imposito 4. legionum præsidio, reparatisque murorum ruinis castra Placentiam versus sunt translata, & manifesto per regnum publicavit Gallowajus se à Serenissima Angliæ Regina illuc Hispanorum amicum & defensorem esse destinatum, qui grave insolensque Gallorum injustè invadentium jugum ab illorum rejiceret cervicibus, & suavius Austriacorum [quorum hactenus gavisi benignitate] Caroli imprimis Principis gloriosissimi simul & humanissi-

nissimi morigerè subirent; quotquot proinde Generales, tribuni, subtribuni, centuriones, cæterique milites Gallorum castra deserentes Caroli sequerentur militiam, eisdem gavisuros honoribus, militaribus officiis, & stipendiis, quibus apud Gallos fruiti erant; quo plura etiam oppida & civitates, Coria, Placentia, Casuella, aliaque plura se Caroli submiserunt ultroneè potestati, Archistrategusque Lusitanorum Marchio das Minas Carolum Placentiæ Hispanorum Regem in metropolitana publicavit Ecclesia, & Ambrosianum hymnum intonavit.

Quod intentatis Berwickus minis frustra impedire conatus, insolenti plane furore fruges ubique abundantes non intermisit corrumpere, transitaque Massaganâ ulteriorem Lusitanis confœderatis progressum conatur impedire; sed hi vi perrumpentes opportunam sibi viam & aditum Madritum usque sine impedimento præparant: ideoque Andegavensis Ducissa sibi meritò timens convocatis regni Statibus consilium & subsidium in hoc regni periculo, & Principis sui Philippi absentia postulat; sed nescio quo fato prospera hæc confœderatorum intermissa neglectave sit expeditio; Lusitanorum Duces vix somniassent suos in Hispaniam progressus tam fore felices & insolitos, & tam insperatus victoriarum cursus Madritum usque illos in stuporem raptos vel timor perculit vel admiratio; vel etiam retardavit Ducum invidia, quòd tantam Gallowajo, alterius regionis & religionis homini gloriam æmularentur; aut quod Montejovis jam occupato, Barcellonâq; uti famâ perceperant

Madriti timor.

Lusitani cur interrumpunt victoriarũ cursum.

perant ab Gallis divulgata) cum toto Cataloniæ regno indubitatè brevi intercipiendo totas sibi Gallorum vires & furorem imminere certò metuerent, ultra progredi noluerunt, cum tamen vel ideo maximè arma promovere debuissent, ut Gallorum Barcellonæ infringerent & sisterent impetum, aut vires dividendo infirmarent. Verissimum hinc patet, quod S. Gregorius *lib. 5. moral.* scribit: Invidum pusilli esse animi, & angusti cordis, ingenii vilis atque abjecti; invidendo namque aliis ostendit se illis minorem & inferiorem esse, suamque parvitatem prodit & debilitatem: quod enim invidet, hoc ipse non habet, & tamen vehementer concupiscit. Unde Alanus *de nat. planctu.* ait: Invidiâ quodnam monstrosius monstrum? aut quod damnosius damnum? quæ pœnalior pœna? hæc est cæcitatis abyssus, humanæ mentis infernus, contentionis stimulus, & corruptionis aculeus, totam Caroli Regis fortunam corrumpens & pessundans. An non potius sperassent Gallorum, fortiter pugnando, invidiam? miserrima namque est fortuna, quæ inimico caret. At quia invitis *Publ. Syr.* canibus venari difficile, Gallowajus debuit nolens volens victoriarum cursum interrumpere, qui tunc occupato Madrito Gallos Ibericâ fortè monarchiâ potuisset exuere, subsecutâ præsertim internecivâ Gallorum ad Barcellonam strage.

Castel-Rodigo, Salamanca

Vix autem permovit Lusitanos, ut exercitum civitati Rodrigo ad Portugalliæ limites applicarent, quâ etiam 30. Maji per ultroneam traditionem interceptâ, demissum gallicum

unius

unius legionis præsidium, & popularis duorum millium militia juramento adacta adversus Austriacos nunquam militatura. Inde refectis aliquamdiu viribus Salamancam contendunt celeberrimâ florentem Universitate, quam cùm Berwickus spontè desereret, Magistratus urbis claves demisse Marchioni Das Minas offert, Carolumque 7. Junii Regem cum gaudio suscipiens proclamat: hanc sequuntur Avila & Pennaranda, Barcarota, Jacca, Salva-Realis, Almead-Realis, Logales &c. atque ita Gallowajus Castiliæ gradatim penetrat viscera, renitentibus licet Lusitanis, ad hybernalia, ne robur exercitus nimium deficeret, anhelantibus, cum tamen ulteriorem provoarent expeditionem & idonea anni tempora, & commeatûs copia abundantissima, expresso tandem Regis Lusitanorum imperio ulterius Madritum versus progressa jam paucis aberat milliaribus, & jam totum Arragoniæ regnum ad Carolum inclinabat. Hoc ut Andegavensis Ducissa impediret, & Arragonios confirmaret, inque suas alliceret partes, Ameloti gallici legati instinctu mandavit Tortosam marino instructam portu à Cataloniæ regno avelli, & Arragoniæ, omni maritimo portu carenti, perpetuo adjici, quo meliori Arragonia quam hactenus floreret mercaturâ, & merces copiosius commodiusque maris beneficio distraheret. Astutiam explosère Cataloni hoc ineptam tempore, nec alienum donare Ducissa posset, & sibi auferre; Arragonii vero se Carolo submittunt, Regemque proclamant. 465.

& plures urbes se Carolo subjiciunt, & tota Arragonia.

Andegavensis Madrito fugit Pampelonam.

465. Philippus igitur Andegavensis citatis Pampelonâ equis 6. Junii afflictis aliquot legionibus venit Madritum, & Berwicko conjunctus dum se Austriacis imparem viribus cerneret, exposito Regni Statibus periculo, omnes fugam consulebant, quam mox etiam adornans omnes Ibericæ Coronæ gemmas & thesauros convasatos in Galliam præmittit (quos hæc etiam hypothecæ loco usque ad sumptuum refusionem retinuit) inter quos numerabatur immensi pretii & magnitudinis margarita, la pupille cognominata, quòd orbis nunquam viderit ei similem; deinde omnia aulæ mobilia, peristromata, figuras, imagines, & quidquid demum pretiosum & artificiosum (qualibus admodum raris Madritensis abundat & splendescit aula) quæ conferri comodè non poterant, Gallorum furor confringit, destruit & conterit, ut crudelitatis suæ relinqueret vestigia. 18. Junii maritum secuta uxor Ducissa cum cæteris Domûs Bourbonicæ fautoribus Pampelonam, relicto Madriti Legato gallico Ameloto, viro vafertimo, qui rem Philippi, quantum fieri posset, curaret, & omni modo & studio promoveret. Gallowajus interim cum exercitu Madrito appropinquans [quem à latere Berwickus cum 9000. est comitatus, quasi viam illuc Confœderatis demonstraturus] à quatuor urbis Deputatis 20. Jun. invitatur, moxque Comes de S. Vincentio duabus peditum legionibus & 600. equitibus urbis Madritensis Caroli nomine capit possessionem, quem die 27. subsecuti Gallowajus & Mar-

Marchio das Minas, 2. Jul. Carolum III. consuetis regni ceremoniis, & incredibili urbis jubilo Hispanicæ monarchiæ Regem proclamant, ejusque adventum regni proceres sollicitant, & citissimis etiam Gallowajus urget cursoribus. Carolus igitur 23. Jun. Barcellonâ discedens, & in itinere insignem Marleborugi in Brabantia contra Gallos audiens victoriam, Montferratum sex milliaribus Barcellonâ in altissimo situm monte ad monasterium Ordinis S. Benedicti voti causa Deiparæ Virgini miraculis ibidem celeberrimæ supplicaturus, gratiasque acturus contendit, ibidemque suspenso anathemati gladio gemmis pretioso sic inscribit:

Carolus Madriti Rex Hispaniæ proclamatur.

Votoq; Montferrati soluto Cæsaris augustæ Rex Aragoniæ.

Caroli III. Regis Catholici anathema proprio marte, arte & manu in monte Serato affixum. Quæ sacris in paginis nigra dicitur, sed formosa: quæ mater ejus est, per quem Reges regnant, humillimè provolutus in genua, in perpetuam Austriacæ devotionis DeVoto anIMo ConSeCro, & depono gladium lateri meo detractum, ut pro me ita exarmato fortioribus armis cœlum militet, sub auspiciis magnæ hujus cœlorum Reginæ, quam eligo & confirmo In beLLo DVCeM exercitus, In paCe CVStoDeM regnorum, ac Advocatam ad Deum pro me peccatorum maximo. Monserrati VII. Calendas Julii, ejusdem Virginis Matris Mariæ, cœli terræque Dominæ infimus clientum, servusque perpetuus Carolus.

466. Inde Madritum pergit per Arragoniæ regnum, in cujus metropoli Saragossæ, seu Cæsaris Augustæ applaudente populi consensu ab Archiepiscopo Rex ad regni thronum elevatus

[ex more enim antiquo Rex ibidem non coronatur] solemnissime benedicitur. Tum rejectis ab officiis & dignitatibus per Philippum Andegavensem promotis, & Comite Uhlefeldo Barcellonæ Præfecto in totius Castiliæ Proregem constituto, iter Guadalaxeram prosequitur, quo se interim ob commeatûs inopiam Lusitanorum exercitus relicto Madrito retraxerat; huic accedebat Caroli comitatus 4000. peditũ & 2000. equitum, & ex Valenciæ regno Comes Peterborugus cum 14. Britanno-Batavicis peditum, & 3. peditum legionibus, 9. inquam millibus, ac Lusitanorum decem approperabant millia, ut justus conficeretur confœderatorum exercitus; Berwickus autem reparato mox exercitu, immo equitatu validior Zinpozuelosi ad Xamaram fl. considens, omni cura & studio Madriti à Confœderatis deserti, & Toleti invigilabat defensioni, ac subinde varios Hispaniæ proceres Caroli castra visitaturos, Comitem de Lemos cum conjuge sua, Episcopum Barcinonensem, & Indiæ Patriarcham 80. annorum senecionem intercipit, qui omnes cum aliis 150. Madriti captivis in Galliam sunt translati. Proinde gloriosus ille populi ad Caroli præsentiam applausus, illa Madriti tradita possessio, & Philippi fuga, ille procerum, Ducis etiam Medinæ Celi, ad tempus à Philippo discessus, & promissa erga Carolum fides & devotio, scriptis Marchioni das Minas tradita, quid Carolo profuêre? profuisset procul dubio Lusitanus hic plurimùm, si hostem Madrito fugientem sine mora persecutus Navarrâ ejecisset, si virium confirmationem im-

Lusitani annonæ defectu Madritum deserunt.

Rem Austriacam pessundant Lusitani socordiâ

impedivisset, & machinationes contrivisset, si liberum in Portugalliam aditum, & necessariam communicationem cautiùs conservasset &c. sed patrium & hæreditarium Lusitanorum videtur malum cunctatio, quæ nostrâ in tantum crevit ætate, ut in proverbium abierit; maxima autem inimica est victoriæ (*Tacit. hist. l. 3.*) Rex Macedo ad tantum victoriarum numerum pervenit hac unâ re, nihil differendo; Lusitani optima quæque differendo perdunt: proinde noluisse interim visus est qui distulit; vixque est ambiguum Lusitanorum Gallis non latuisse consilia; ideoque Carolo reditum in Castiliam persuasisse. *Vid. n.* 524.

Carolus redit in Castiliã.

Nam crescente indies & prævalente Gallorum exercitu [quod ex regnorum affinitate haud difficulter à Gallis fieri poterat, à Confœderatis autem omnia ex longinquo magnis omnino sumptibus & difficultatibus, & periculis transportanda erant] Berwickus Salamancam & omnia Madritum inter & civitatem Rodrigam oppida occupaverat; Carolus ècontra deficiente commeatu sua ad Tagum haud procul Aranjuezo castra Valenciam 9. Septembr. transferre cogitur: Comes tamen Peterborugus ut à tergo esset securior, Requennam & Cuennam ad fines Valenciæ & Castiliæ intercipit, & Vice-Comes de Fonte Arada Guadamaram & Salamancam clandestinâ nuper intelligentiâ à Gallis captam, & Carolinis maximè eousque infestam, deditione obtinet; sed quia promissa Lusitanorum 10000. cunctis per Gallos obstructis aditibus emanebant subsidia, Salamancam, destructo ur-

bis robore, deserit, reditque Carolus trajecto clam hoste Tago fl. in Regnum Valenciæ, eò quòd hostis molam mille Carolinis militibus in commeatus advehendi securitatem communitam, armatâ manu occupaverit, cæsis eorum 350. & 500. captis.

Andegavensis Madritū rediens furit in Austriacos, & Reginā viduam.

467. Vix Carolus Castiliæ regno excesserat, novam 22. Septembr. Philippus Andegavensis Madriti capit possessionem triumpho similem, eosque omnibus privat officiis, qui se & conjugem inde fugientes non fuerant subsecuti, & urbe ultra septem milliaria ejicit: cruentas Austriacis fautoribus injicit manus, Josephum Haubranam militarem Ducatûs Mediolanensis Secretarium affigit patibulo, Alexandro Savedræ Hispaniæ Proceri è fenestra in plateam ejecto caput conteritur; diversorum domos & aulas maximo omnium terrore flammis subjicit, Comes de Lemos confiscatis maximis ejus bonis perpetuo innodatur carceri, concessis annuè uxori ejus pro honesta sustentatione 1000. pistoletis: tres fratres de Mora perpetuo quoque carcere, alii triremibus damnantur; Religiosus P. Sanchez ferreæ inclusus caveæ horribili mancipatus carceri mucido semel in die pane & aqua contra sacros Canones sustentatur. Caroli II. viduam Mariam Annam Palatinam metu factionis ex Hispania Toleto 20. Septembr. in Galliam velut captivam relegavit Bajonam; debito tamen Reginis honore ibidem exceptam, cui Andegavensis pro regia triennali alimentatione à Carolo testata 300000 Impp. adhuc erat debitor, & ut Vatinianum Hispano-

ſpanorum animis odium adverſus Carolum infunderet augeretque Philippus, Carolinos omnes tanquam peſtiferos hæreticos, totam ſubverſuros Hiſpaniam averſandos, fugiendos, vi armisque propulſandos utrobique evulgat. Tum Berwickus ſecundam promoturus fortunam & Martem, 9. Octobr. Cuencam capto præſidio ſuæ facit poteſtatis; Nievalos in altiſſimo monte armatâ capiendo manu totum Calatajudanenſe ad fines Arragoniæ territorium occupat: civitatem deinde Elchem Regni Valentiæ, Villam realem ad fluvium Milles, & Orihuelam ad fines Murciæ capit, Murcienſisque Epiſcopus Regni Protex à Philippo conſtitutus omnibus urbem privat privilegiis, & miles diripit. In eodem quoque regno Berwickus poſt octo dierum flagellationem 18. Novembr. devincit Carthagenam, inter promontoria de Gates & de Palos in mediterranei maris peninſula ſitam, optimo portu 200. triremium capaci gaudentem. Præterea Marchio de Saluzzo & Comes de Soppa invadunt Arragoniam, & occupatam 20. Decembr. urbem Exeam flammis præter templum conſumunt, & omnes exceptis pueris, fœmineo ſexu, Senibus, & Patribus Capucinis delent internecione; hos verò, quia cives in fide Caroli animantes confirmaverant, captivos Pampelonam abripiunt; eâdem in oppidis Uncaſtillo & Luſtea uſi crudelitate, fruſtra ſic reverentiam, fidem & amorem erga Andegavenſem Arragoniorum armis imprimentes. Ciceronis ignorantes doctrinam *lib. 2. de offic. Nullà re facilius*, ait, *multitudinis conciliari poteſt favor & benevolen-*

Gallus plura recuperat.

volentia, quàm abstinentiâ & continentiâ, neutiquam sævitia & crudelitate: quâ Arragonii juste irritati haud procul Mequinenza duo Gallorum millia internecivè prosternunt, & oppidum pro Ebri fl. transitu percommodum intercipiunt: equitemque Pons tribus Gallorum millibus in eandem irruentem Arragoniam, popularis eum miles Molinam usque cæso potissimùm milite repellunt, captis tribuno, 9. centurionibus, 14. procenturionibus, gregariisque plurimis. Saragossæ, seu Cæsari-Augustæ quoque Tillius minatus invasionem, sed substitit inter minas. Marchio de Bay tamen exiguo Lusitanorum præsidio munitam Alcantaram scalis transcendit, præsidiumque elapsis equitibus aut capit, aut trucidat.

468. Interea temporis Carolus Valentiæ commoratus ita latuit, ut ob loci distantiam, ac tempestuosi maris inconstantiam, Gallorumque in cunctis accessibus vigilantiam reliquæ ignotus Europæ mortuus credebatur; sed probè sanus Barcellonam 30. Septembris cogitabat, Cataloniæ Status convocaturus, jamque itineri accinctus dum audit recentem Ulyssibonæ appulsum succursum, viam relegens omnia regni oppida & munitiones visitat, exercitum ad hybernalia disponit, omniaque ad futuram adornat expeditionem.

Ex succursu Laackii res Caroli restituitur.

Dum interim Architalassus Laackius novo Britanno-Batavico succursu & classe 150. navium Alicantam in regno Valenciæ armatâ intercipit manu, fugientemque in validissimam arcem præfectum 4. Septembris ad deditionem co-

cogit: inde levatis Alteæ 17. Septembr. anchoris Insulam aggressus Yvicam, ultroneè in fidem & potestatem Caroli III. recipit, quæ mediterranea decem in longitudine, & sex in latitudine milliarium insula vino & frumento, sed sale imprimis abundans totam alit Hispaniam & Italiam. Paucis pòst diebus, 24. Septembr. Balearem Insulam & urbem Majorcam invadit, renitentemque Proregem pyrobolis adeo vexat, ut indigenæ vel pyrobolorum metu territi, vel gallici jugi pertæsi ad ultroneam illum traditionem compulerint. Hæc quoque Insula inter Baleares maxima, in longitudine 22. milliarium, & in latitudine à meridie versus Septentrionem 60. mill. commodissimo portu, fœcundissima frumentis, oleo, corallis & auro, quo omnes ibidem Hispanici cuduntur Regales; quare Laackius valido insulæ & urbi imposito præsidio, partem classis in occidentalem Indiam, aliam Ulyssibonam ad hyberna destinat, aliâ Barcinonem avolat, Peterborugum in Italiam vecturus, cum reliqua redit in Angliam. Quâ expeditione res Caroli quodammodo resarcita, Carolusque evulgato ex conducta per classem typographia per Hispaniam Manifesto vacillantes Hispanorum animos in fidei confirmat constantia, & variis argumentis, rationibusque allicit adversantes.

Madriti verò fatalis in Hispanos sæviebat Saturnus: Dux enim Infantadus ad arcem Granadæ, Comites Salvitiera, Valdamorus & Montereyus Alcandendos traducuntur; Duci Pejaro, Comitibus Penarandæ & Fuensalidæ interdici- tur

Andegavensis in Hispanos sævities.

tur aula; Dux Hijar Galliciæ Gubernator exuitur provinciâ, Hispanicum adeo Gynecæum dimittitur servitio, quòd fides periclitaretur ubique. Quid dicam: *necesse est multos timeat, quem timent multi*, juxta vulgatum: *Multis terribilis caveto multos*: immo *nemo ei satis est fidus, quem metuit*. ait *Curt. l.* 10. *quemque quis metuit, odit, immo periisse desiderat. Cic.* 2. *offic.* quatuorècontra regios consiliarios de simulato in fuga Philippi morbo suspectos, atque immaturo proscriptos consilio ad aulam revocat, detractâ tamen Salarii consueti medietate, Comes autem Miranda de regni proceribus (Grandis Hispaniæ) non minimus, tam inhumanam fugiens crudelitatem, Lusitanorum Regis tutelam petit & obtinet.

Petrus Rex Lusitaniæ moritur.

Qui Rex Petrus II. in proximo Ulyssibonæ topiario 4. Decembris tactus catharro, 9. ejusdem vitam cum morte commutat, natus 26. Aprilis 1648. Alphonso fratri regiminis incapaci in thronum suppositus, ejusdemque fratris uxori ex pontificia dispensatione matrimonio copulatus improlis, nupsit secundò Mariæ Sophiæ Palatinæ domûs Neoburgicæ, ex qua plures suscepit liberos, & primogenitum quidem principem Joannem 22. Octobris 1687. quem Regni status & proceres 1. Decembris 1697. patris declararunt successorem; post cujus obitum gallica tamen factio adnitente imprimis Duce Cadavalo, supplantato primogenito Joanne secundogenitum Franciscum, gallici principem genii, succenturiare volebat; sed Austriaca prævalente factione, communibus omnium

Succedit filius Joannes.

vo-

votis Joannes V. ſucceſſor confirmatus, confractiſque prioris Regis inſigniis & ſigillo 1. Januarii 1707. more gentis in thronum elatus, acceptoque ſceptro Rex proclamatur ſolemniſſime. Hic uti patris in throno ſucceſſor, ita & Auſtriaci fuit fœderis confirmator, frendentibus licet Gallis & Cadavallo, qui in omnium venit ſuſpicionem, quod portugallicæ quidem expeditionis initium adeo fervens fuerit & felix, exitus autem languidus, tardus, & ſemper faſtidioſus; quia ex gallizantis omnimode Cadavalli inſtinctu (ideoque cum uxore filia Harcourtii galli captus dicebatur) conſilio Auſtriaca *cadunt* in *valla*, hoc eſt, in vanum, ut ſupra vidimus. *Vid. num.* 488.

469. Adeamus Italiam, in qua Mars initio Gallis faventior, in fine crudelior, & Auſtriacis propitior immo glorioſiſſimus. Præparat ſe ibidem uterque belligerantium exercitus ad inſtantem expeditionem gnaviter; Galli namque copioſis maturè ſupplementis confirmati, omnia ubique flumina munitionibus, & militaribus ſepimentis, Cæſareanis tranſitum prohibentes, indefeſsè communiunt; Cæſareani legionum ſuarum ſupplementa impensè ob Gallorum imminentium multitudinem deſiderantes, propter annonæ deficientiam relicto Breſciano in Veronenſe ſe conferunt territorium, & Ibericus Generalis Toralba eadem de cauſa deſerto Oglio in Pedemontium cum parte copiarum contendit, quo ut plures Galli quoque poſſent deſtinare copias, General. Medavus Calepio Soncinum uſque foſſiles ducit lineas, huncque locum egre-

Gradiscæ irrita proditio.

gie roborat. Sed irrita illis cessit Gradiscæ in Forojulio ad flumen Lizanzo, Austriaci territorii proditio; jam modo traditori viginti Imperialium millia, equites mille, & bis mille pedites parati promissi erant; sed opportunè manifestata evanuit, summo Austriacorum emolumento; eorum quippe granaria, instructissimumque ibidem armamentarium, & territorium Forojuliense contributionibus exhausissent.

Eugenius vadit in Italiam.

Eugenius autem Sabaudus præmissis supplementis & 8. Borussorum millibus 7. April. Viennâ cum Joanne Wilhelmo Duce Saxo-Gothensi, milite in bello belgico, Turcico, & Sueco-Polonico emerito, cum Emanuele Mauritio Elbœufio ex domo Lotharingica, Marchione Langalerio & Bonnevallo (omnes à Bourbonicâ offensi aula Cæsaris fidem & tutelam imploraverant) vadit in Italiam, hoc anno acriùs ob feuda imperialia recuperanda imperendam: quem prævenit Vendomius gallici deinde in Italia exercitûs Generalissimus, Duci primùm Sabaudo, cum Mantuano in hac succenturiatus dignitate: hic absente adhuc Eugenio viginti trium millium exercitu 18. Aprilis Raventlavium Montechiari & Gavardi cum 9. peditum, & 3. equitum millibus confidentem tumultuariè invadit: nam ducenti præmissi equites dum eminentiorem prope Calcinatum occupant locum, & ab Cæsareanis inde depelluntur, reliquus interim exercitus gallicus transito canali sinistram horum aliquo usque à dextera disjunctam alam, quam Comites Vehlen & Falckensteinius ducebant, magnâ adoritur violentiâ.

Raventlavius à Gallis cæditur.

per-

perturbat confusione, mediam mox irruit aciem, quam Borussus quidem miles acriter defendit, sed multitudini impar cedit usque Calcinatum, ubi collectis viribus, adductisque tormentis vim repulsurus iterato ultra Chiesam fl. relictis tormentis repellitur, tertiò demum ultima in eminentiori loco tentaturus, cæsis plurimis in plenam conjicitur fugam. Raventlavius interea temporis reliquo cum exercitu trajectâ Chiesa hostis latera incursurus, cernens, socios ubique fugam capientes, per diverticula (in quibus Vendomius paucis illum legionibus internecivè Triponti potuisset opprimere) se proripit Gavardum, quo Eugenius ante horam advenerat, novum suâ præsentiâ turbato militi vindictæ spiritum infundens. Cæsareanorum cæsa & læsa sunt duo millia, quingenti, capta duo millia, & duo Comites Vehlen & Falckensteinius, omnia insuper Borussorum impedimenta, 6. campestria tormenta, signa aliquot tam equestria quam pedestria, quæ Vendomius victoriæ testimonia per Colbertium Regi Versaliam submittens literis certò stipulabatur Germanos à se paucos intra dies totâ ejiciendos Italiâ, qua de victoria tanto Rex plaudebat gaudio, ut de ea Vendomio literis fuerit gratulatus; nec incruenta Gallis stetit victoria, occubuit enim marchio Heronus, lethaliter vulneratis Marchione de S. Germano, Beaupro, & Bellabro.

Eugenius rem ut propediem restitueret, misso Tridentum cursore palatinarum & Saxo-Gotharum copiarum batavico ære militantium increpans tarditatem, celerrimum urget

Eugenius in Veronense conten-

dit territorium. Cui Vendomius Athesis transitũ prohibere nõ potuit.

get iter & progressum, desertisque Gavardo, Salo, & aliis Brisciæ oppidis eorum præsidia ad Veronense advocat territorium. Hoc ut impediret Vendomius, Medavum dimittit Salum, Montebaldum versus General. Albergottum, ipse ad Mincium considet: hic, Albergottus, Germanos Montebaldi optimis loricatos sepimentis oppressurus, ab Harrachio comite cæsis captisque plurimis fortiter rejicitur, campestribus tormentis privatur. Medavus quoque postremum Generalis zum Jungen agmen aggressus ducentorum cæde abigitur; atque ita Germani ex annonæ defectu, tum etiam Eugenii jussu in Veronensi territorio ad fanum S. Martini 17. Maji castra metantur: Vendomius autem mutatis castris Rivolo ad Athesim fluvium contendens, multis eundem loricis, sepimentis & munitionibus ubique, sed imprimis Castelbaldi adeo obvallat, ut nullibi Cæsareanis pateret transitus, & credebatur etiam impossibilis: Generalis enim Toralba à Garde usque Segam illum tuebatur, Bussolengum mille, Chievum quingentis præsidiariis, Legnanum aliquot cùm peditum tùm equitum firmat legionibus: alia quinque millia haud procul Veronâ consident, invitis & obnitentibus firmiter Venetis impetum metuentibus, quos ne offenderent Galli, inde alio castra transferunt, terrenturque insignibus Confœderatorum victoriis Barcellonæ, & Joudognæ in Flandria obtentis, & triumphalibus tormentorum explosionibus per Germanos promulgatis; ideoque Dux Aurelianensis ad hæc Italica,

&

& Vendomius ad Belgica submittitur castra, rem suâ ibidem restituturus prudentiâ, & militari, Regis judicio, scientiâ; cujus exiguum hic dedit specimen, totam fortè Italiam si mansisset, amissurus, ut suo contigit successori.

470. Aurelianensis necdum castra accesserat, & Eugenius hoc parat stratagemate Athesis transitum Legnani simulatè tentandum: dum hic panico Galli excitantur, tribunus Batteus cum aliquot inferiùs legionibus haud procul Ruota nova Athesim transiturus destinatur, quem clam Eugenius Melaram & Castelbaldum subsecutus, Palatinas hic & Saxo-Gothas offendit legiones, easque adversus oppidum Mazum, firmiter à Gallis obvallatum opponit, & tantum incutit præsidiariis terrorem, ut evocatis aliquot Badiâ per navalem pontem turmis validam mille ducentorum armatorum excursionem fecerint in Palatinos; sed pluribus eorum læsis & cæsis sunt rejecti, utque eos arctius includeret, tormentario ad Athesim erecto aggeri grandiores imponi jubet ballistas. Tribunus Batteus interea temporis quingentos navibus pedites in alteram Athesis partem sine ullo hostis inscii impedimento transmittit, jubetque Eugenius nautico sine mora ponte omnes suas transire legiones, & ut certius hostium cognosceret motus, Comes Beaufortius Mazum inter & Ruotam novam ad Athesim considens, Vendomii observabat itinera & consilia: qui inopinatum Battei cum cunctis legionibus Athesis transitum 7. Jul. sine omni factum obstaculo cognoscens, [quem impossibilem hactenus opinabatur

batur] terrore perculsus, retractis undique copiis Boaram & Luciam tumultuariè se proripit, variis per Germanos velitationibus accisus. Inducta insuper, ut dixi, in aggerem tormenta solummodò visa, neutiquam exonerata, Gallos noctu Mazo & Badiâ expellunt; hanc Badiam tribunus Hoffmannus occupaturus, sed à Venetis præventus (quorum erat territorium) non admittitur; Eugenius igitur frustra à præfecto deditionem exigens, fractis demum oppidi portis vi invadit, & germano roborat præsidio. Totus denique germanus exercitus desertâ ab hoste Maloperâ, & Castagnarum fugiente, Athesim pertransit, Vendomium verò fugientem Dux Anhaltino-Dessaviensis cum volatico decem millium exercitu supra Veronam persequi aut in medium & angustias redactum in certamen provocare cogereve jussus est; sed ille relictâ ubique Athesi, tot sepementis, aggeribus, & munitionibus, tanto labore & sollicitudine obvallatâ, soli intentus est turpiter fugæ: Eugenius autem non athesim solùm, sed & canalem Biancum, & Tartarum fl. sine ullo ferme detrimento trajecit; in hoc naves aliquot cum delecta ducentorum manu, & 400. ægrotis Cæsareani intercipiunt, simul & campestre gallorum pharmacopolium, 50. florenorum rhenensium millibus æstimatum.

Eugenius properat in Turinii obsessi succursum.

471. His feliciter præter omnium expectationem actis, Eugenius ad maturandam Turinensis obsessionis anhelabat solutionem, urgebatque Padi transitum, validis etiam ubique sepimentis obvallatum: sine mora igitur Darmsta-

ſtadienſem Principem cum 8. Cæſareanis legionibus verſus Occhiobellum ad Padum amandat, Anhaltinum Ducem cum Cæſareo-Boruſſis copiis Badiam, quo etiam Roccavionem & Wetzelium cum 4. equeſtribus, & 3. pedeſtribus ablegat legionibus: tribunum Batteum Poliſello appropinquare ſua cum phalange jubet, qui 17. Jul. veſperi duo peditum millia ex canali Bianco, Poliſelli in Padum ſe exonerante, ſimul navigiis devolutus celerrimè feliciterque traducit; ſed quia Padi decreſcentia exſcenſionem non permittebat, Cæſareani prævio Beverenſis principis exemplo generoſe aquas pube tenus pertranſeunt; hos Galli magna vi retrudentes, majori à pyrobolariis germanis tertiò repelluntur, & in fugam conjiciuntur: quare Eugenius primâ ſtatim luce eo profectus jam tum ſingulari ſupremi caſtrorum præfecti Baronis de Ried providentiâ nauticum paratum pontem tranſiſſe Battei phalangem, & ſtationem vallo firmantem offendit: tunc reliquus undique accerſitus exercitus trajecto Pado Ferraram verſus contendens caſtra ad Pontem del Lagoſcuro metatus, occupat Meſolam, & hoſtis fixis ad Panari fl. tractum vigiliis & ſtationibus, ejus velle tranſitum interdicere videbatur; ſed non multò pòſt deſerto Finale di Modenâ, eundem etiam Panari tractum magnâ demittit præcipitantiâ, & in Parmenſem ſe confert Ducatum, quo illum ſecutus Eugenius aut ad certamen laceſſiturus, aut in caſtris oppreſſurus; illud caute hoſtis declinabat, hæc opportuno retro Parmegianum fl. loco erant inacceſſa; ideo-

ideoque re utraque infecta supremus vigiliarum præfectus Zumjungen Carpum invadit, & deditione capit, impositoque præsidio 9. Augusti Eugenius Reggium versus ad fanum S. Prosperi Ducatûs Modenensis considet, Gallis Crostolli latentibus, Reggiumque communicationis & securitatis ergo Kriechbaumius aggreditur, & tertio oppugnationis die præsidiarii relictâ urbe ad arcem confugientes, altero mox die vincentium potestati se sponte submittunt, deseruntque cum urbe 26. æneas curules machinas, & insignem bellicum apparatum. Inde Eugenius in Parmense & Mediolanense solum progressus, magnis inde properat Stradellam passibus, præcipuum in Astæ seu Pompejæ Comitatum transitum, & opportunè obtinet admodùm sibi compendiosum, quem Aurelianensis ultra Padum continuò subsequens occupare neglexerat, & Fevilladus delectâ ex Turinis castris manu occupandum tardius advenerat.

Quem Aurelianensis impediturus subsequitur.

Hasso-Cassellensis cæditur.

Hæreditarius interim Princeps Hasso-Cassellanus suo cum exercitu Generali Wetzelio conjunctus postquam in Mantuanum hinc inde excurrerat, versus Mincium fl. Voltam, Cavrianam & Monzambanum intercipit, & 19. Goitum, insigni commeatu abundantissimum, cujus præsidium Cremonam deductum; sed præfectum ob maturam urbis deditionem Madavus capite minuit: neve etiam Princeps in Mediolanense excurreret, Medavus & Toralba Oglium fl. loricis & munitionibus probè sepiebant; jussu igitur Eugenii, ut hostium vires distraheret, Hassus octo armatorum millibus Castiglio-

num

num in Mantuano cingit obsidione, & Medavum viribus multò superiorem urbi succurrentem primò quidem impetu repellit, & suismet rejicit colubrinis; sed ex occultis fruteti insidiis à tergo circumfusus, miles terrore perculsus, & Gallorum multitudine oppressus magnâ fugam arripit confusione, nulla Principis authoritate, minis aut promissis sistendam; contractas igitur copias Valegrum reducens, cæsorum læsorumque numerat universim 1500. Galli circiter mille; proinde captum nuper Goitum devastat, & Medavi cum Aurelianense impedit conjunctionem unicè desideratam.

472. Sub hæc Eugenius ad Turini agonizantis auxilium properans fluvios Scriviam Bormiamque, & 29. Augusti prope Astam navali ad id à Sabaudiæ Duce constructo ponte Tanarum transiens venit Isolam, indeque demissis Albam impedimentis & ægrotis, Carmagnolam tendit de disponenda Turini liberatione cum Amadeo Sabaudiæ Duce deliberaturus. Famosam hanc obsidionem universa suspiciebat Europa, ad cujus devastationem tota per hiemem Gallia incredibilem tormentorum, commeatûs & bellici apparatûs copiam expediverat, ut Turino deleto finem Sabaudico simul & Italico bello imponeret. Quam Rex expeditionem archistratego commisit Fevillado cum triginta octo armatorum millibus, 160. muralibus tormentis, 80. mortariis, 250. tormentariis centurionibus, 800. balistariis, 250. pyrobolariis & cunicularìis, non unam quasi urbem, sed orbem impugnaturus. Nec impiger Dux Victor Ama- Turini obsessio.

Amadei ad præsidiarios Turinnenses adhortatio.

Amadeus cuncta in vigorosam parat defensionem; proinde ex urbe in castra discessurus suos sic affatus est cives & milites: *Agedum generose miles, imminens quantumvis sit hostis periculum, despondere tamen non decet animo: si namque vestram in patriam & libertatem fidem spectó & constantiam, certam mihi de hoste promitto victoriam, qui illam ad ultimum sanguinis meritò defendendam libertatem vobis rapere meditatur: nec insatiabili illius superbiæ sufficit vestra devastasse bona, sed & urbe, fortunis & domibus vos exuere & spoliari conatur, cruentis ejus hucusque manibus ereptas. Fortis esto animose miles & constans, aderit mox terra marique subsidium à confœderatis indubitate stipulatum, quod uti Barcellonæ, ita hic hostium infringet vires, & in turpem conjiciet fugam. Nota mihi est, O Pedemontani & Germani, vestra fortitudo & generositas, ad defendendam libertatem, & fortunas promptissima, quam ego singulis pro meritis loco & tempore dignè compensabo, & illata obsidionis tempore detrimenta abundè resarciam: ego ipse pro salute & libertate vestra meam in fronte exercitûs exponam vitam & sanguinem: ego approperantem urgebo succursum: ego hostium continuo castra & latera incurram, viresque distraham: Deus interim, ut confido, justam secundabit causam, & subditorum mihi amantissimorum vota exaudiet.* Tum ad urbis præfectum comitem de Thaun conversus: *Quantum tuam, Comes Strenuissime, æstimem virtutem, & fortitudinem, & militarem prudentiam, patet ex eo, quod tibi committam propugnan-*

tuendam & defendendam metropolim mihi unicè dilectam, urbem firmiter munitam, omnibusque instructam necessariis: numerosum addo præsidium, & bellicis assuetum laboribus & ignibus; insignem superaddo nobilitatem & fidelissimos cives, assistendo & obtemperando promptissimos: optima & laudabilissima hic dabitur occasio universæ præstandi Europæ imperterriti animi tui specimen & argumentum, immortalem comparandi nominis gloriam, & Cæsaris, Germaniæ, Italiæque præclara de generositate & fortitudine tua sperantium voto & desiderio omnimodè satisfaciendi. Inde Dux ad castra discedit, & Fevilladus 13. Maji urbi appropinquans castra Doriam inter & Padum figit, vallumque castrense 2. & 3. Junii noctu aperit, & obsidionales accessus ab exterioribus urbis munitionibus 15. vix passibus distantes promovet. 8. Junii pyrobolos in urbem vibraturus salvum ultroneè conductum ducali offert gynæceo, tunc quidem non admissum; ast ubi ad ultimum mensis Junii incederetur domus fœnaria, alterque pyrobolus Principis penetrasset cœnaculum, desertâ urbe Genuam Ducissa transmigrat, quam Dux Genuensis per Marchionem Rivarolam, & nobilitatis florem, missis obviam pluribus triremibus & 550. classiariis honorificentissimè excepit.

Ducissa Sabaudæ cum gynæceo libere à Fevillado urbe dimissa à Genuensibus honorificè excipitur.

Tum Fevilladus cum parte exercitus padum transmittit, duo Sabaudorum millia Chieri confidentia repulsurus; hi autem viribus impares fugâ sibi consulunt, & ille Chierum, Castiglionem, Moncalerum, Chierascum, Albam, Carmagnolam, Mondovum, & Astam haud ægrè oc-

occupat, Sabaudo Duce ad Lucernenses cum equitatu valles se recipiente, quem Fevilladus fuisset eo persecutus, at ducum suorum consilio, & certo militum periculo detentus, Turinum ad castra, desertis prioribus vix conservandis oppidis, revertitur gravibus, iteratò excursionibus per præsidiarios oppugnata: nam 27. Junii magno irruentes impetu castrenses magna ex parte vineas destruunt, plures ferreis occludunt stylis cutules machinas, cæsisque octo belli officialibus & centenis aliquot gregariis, eorum 50. captos in urbem traducunt: cautius verò Galli exteriores urbis accedebant munitiones subcuniculatas. 8. Julii Dux Aurelianensis lustratis castris haud prosperos cernens successus, ad suum redit in Lombardiam exercitum, & Fevilladus mutatis tormentariis suggestibus (cui multum impendebat temporis) dimidiatam tandem meliori successu lunam, exterioris fossæ murum defendentem, multo occupat sanguine. Tunc iteratâ præsidiarii excursione hostium evertunt operas, & captis 30. plurimos cum 2. protribunis & centurione trucidant; econtra Galli 5. Augusti apud arcem fossæ murum, seu contrascarpam cruento obtinent impetu; quâ altero tamen die insigni Lignevillei centurionis, & Baronis de S. Remigio fortitudine duorum millium strage sunt rejecti, non sine primariorum tribunorum cæde, & vulnere Fevilladi, cujus ad latus socero Sevro caput tormentarius divulsit globus, craniumque in Fevilladi dispersit capillos; qui paulò tamen post loco iterum potitus est. Nec interim feriati excursionibus præsidiarii, 12. Aug.

Aug. occupatam à Gallis apertam viam mille eorum cæde repetunt; quo hi, uti & continuis urbanorum ejaculationibus efferati, urbem ignibus evertere funditùs moliuntur, dum murus imprimis inter duo propugnacula interjectus, jam aliquo usque esset perforatus & dejectus. Sabaudus quamvis castra (unde continuum urbi submittere poterat subsidium) ab urbe Carmagnolam & Racconigum transtulisset, ducenta tamen pulveris nitrati vascula 300. mulis in urbem feliciter transmisit; hoc imposterum ut Fevilladus impediret, occupato Capucinorum, ut vocant, monte, arctius circumvallationis lineâ urbem circumdat, cuniculosque (unde gravissimum hucusque passus detrimentum) perductis illuc aquis pessundat; tum ingenti furoris impetu ac tormentis urbem Galli arietant, quòd succurrentem Eugenium intelligerent appropera re, eumque formidarent; quare 26. August. furioso dimidiatã lunã impetu capiunt; qua quatuor pòst horas fortiter rursus ejiciuntur.

Eugenius postquam de Turino tempestive liberando in omnem prudenter occasionem cum Sabaudiæ principe consuluisset, conjuncto 1. Septembris utroque exercitu, trajectoque 4. Septembris Pado haud procul urbe consident, & ecce Aurelianensis Turinensia subit castra mutuo Fevilladi consilio hostem intra castrorum valla & sepimenta expectaturi. Inter hæc ingens bellici apparatûs & commeatûs supplementum Susâ ad gallica per 1500. mulos deportandum castra inauditur appropinquare; missus igitur Marchio Viscontus, ultra alveum Elpigna-

Gallicus apparatus intercipitur.

num, & Marchio Langalerius infra oppidum Pianezzam illud circumdantes intercipiunt, cæso cum præsidiaria legione tribuno Bonelo, reliqui ad Pianezzam arcem confugiunt, postridie per subterraneum aditum armatâ manu occupatam, parcitumque fuit 30. solùm belli officialibus & 50. gregariis; prædicta præda, & duo in ære milliones cum dimidio feliciter ad cæsareanum delati sunt exercitum. Pianezzæ Duces ambo convenientes, trajectâ Dorâ fl. dexteram exercitûs alam Pianezzæ, sinistram, & stativa prætoria prope Ducis topiarium, seu Veneriam, ut vocant, collocant: Aurelianensis verò sua Sturam inter & Doram metatus castra, numerabat cum Fevilladi exercitu 34. peditum, & 13. equitum millia.

Amadeus & Eugenius Pianezzæ conveniunt. Gallorũ castra irruunt.

479. His licet Cæsareani numero inferiores, animo tamen superiores, ingenti hostes 7. Septemb. invadunt alacritate: dispositis namque ita peditum ordinibus, ut equitatui daretur transeundi spatium. Tum dato certaminis signo Princeps Anhaltino-Dessaviensis cum tribuno Salmuth sinistram in hostem alam protinus ducit; quem subsequuntur Dux Würtenbergensis cum Generale zum Jungen & Rehbinder, suisque copiis magno quidem impetu hostium valla ore tenus elevata irruunt, sed incredibili illum Galli fortitudine sistunt & sustinent; accedunt cum suis Saxo-Gothensis & General. Kônigseckius pari generositate insilientes: pugnatur utrimque furiose, sed & cruenter & ambigue, nullique pedem referentes: adest tandem opportune Eugenius, qui stricto mox gladio

Cæ-

Cæſareanum & Boruſſum militem prævio ducens animanſque exemplo valla tranſcendit, & ut equitatui etiam pararet aditum, illa diruit, & dejicit; quo miles diutius citra mandatum (nam gallos prius longius propellere & perſequi debuerat) occupatur, equitatûsque ardentius irruentis præcipitatione impediretur, Galli recollectis ſubito viribus impetum ſiſtunt. Cernens hoc General. Iſſelbachius tribunum protinus Haindelum cum legione Starrenbergica hoſtilibus ſepimentis & vallis imponit, tormentiſque à hoſte deſertis in eundemque converſis locum mordicus tueri jubet: hoſtis interim equitatûs germani partem repellebat, & Boruſſum vi perrumpens peditatum turbabat, dum Cæſareani ad dexteram deflectentes latiorem valli & ſepimenti aditum patefacerent; hic Starrenbergica legio inſigni hoſtis impetum conſtantiâ detinere & tormentis tamdiu arcere, donec reſtauratis peditatûs equitatûſque ordinibus hoſtem ſimul aggreſſi ſecundò in fugam conjiciunt. Nec impiger General. Rehbinder cum palatinis ſuperatis loricis & aggeribus hoſtem inſequitur; ſolus Saxo Gothenſis gravibus impeditur obſtaculis, & magnanimâ licet generoſitate hoſtem prope Lucentam acriter ſe defendentem adoriretur, ingentem per mediam horam paſſus ignem evincere non potuit, donec tandem incredibili equitatum virtute repellit; ſed quia mox Galli novo confirmantur ſubſidio, accurrunt Kriechbaumius & Harrachius Principi adjumento, ſuccenturianturque Iſſelbachius & Bonnevallus egregie pugnantes, hoſtemque propulſantes.

Pari Dux Victor Amadeus fortitudine medium exercitûs corpus in hostem educit, qui validum ejus impetum sustinere non potuit, illumque etiam dextera eò adegit ala, ut ibi quoque fugam Sturam versus debuerit capessere: at revalescentibus ibidem viribus adeo tumultuariè se firmat, ut solus insequens equitatus illum aggredi non sufficeret, observarentque se mutuò, donec adducto equitatu & tormentis impetitus in effusam se fugam ad Padi usque pontem committit, ubi se vincentium permittit voluntati, Lucentamque deserens (quo ingentem convexerat annonam) flammis subjicit, ut pauci ibidem, & in castris simul ter mille siliginis, & bis mille panis bis cocti sacci fuerint reperti. Porro inter cruentas has velitationes urbani præsidiarii excurrentes ingenti Cæsareanos excipiebant gaudio liberatores & conservatores, licetque Galli omnino cæsi & castris essent exuti; urbem tamen continuò ad seram usque vesperam tormentis flagellant & globis arietant, quæ causa fuit, ut postliminiò terrore præoccupati derelictis omnibus tormentis, impedimentis, cunctoque apparatu bellico præcipiti fugâ sibi consuluerint, potiorem tamen nitrati pulveris & pyrobolorum partem igne demum consumpserint, exceptis 8. pyrobolorum millibus.

Gallorũ fuga

Immortalem verò Daunius urbis præfectus hac gravissima trimestri urbis defensione sibi gloriam comparavit, qui tam frequentes, tamque furiosos hostium impetus & assultus usque ad ultimum omnes tam generosè simul & feliciter rejecit, tot cruentis excursionibus, & tumultua-

tua-

variis velitationibus hostem infestavit, ut nisi bellici apparatus & pulveris adfuisset inopia, majus sine omni dubio intulisset detrimentum; vix enim tantum nitrati supererat pulveris, quo Principem triumphaliter urbem subeuntem ineffabili cives jubilo & tormentorum applausu exciperent. Mansit confœderatus hac nocte exercitus in arena certaminis, hoste divisim sub Fremontio, & Albergotto, trajecto Cavaretti pado versus Pignerolam fugiente, quem plures emissitiæ turmæ insequentes plurimos reducebant captivos, nec pauciores eorum rustici in montibus necabant & comprehendebant. Capti autem sunt 4. Marelchalli, de Murci, de Villiers, de Senneterre, & Marsinus, qui 9. mensis ex vulnere obiit, in urbe, Marchio Bonnevalus à fratre captus, la Brettonnierus, 8. tribuni, 12. protribuni, 98. centuriones, summa omnium captivorum & occisorum 12670. in sola urbis obsidione refertur duodecim occubuisse millia: obtenta quoque mulorum & equorum 5000. duodecim enim circiter dimacharum legiones descensis relictisque equis pedites aufugerunt: cum Paulo Diack Hungarorum tribuno ultra 2000. ad Cæsareana transfugêre castra: capta præterea sunt tormenta bellica 158. [alii referunt 255.] è quibus 114. fuêre muralia, seu obsidionalia; 55. mortaria, 40. signa pedestria & equestria, ærarium campestre, quatuor iconismi regii magno 4000. pistoletorum pretio facilè æstimati; comprehensus deinde pridie certaminis cum omnibus mulis & impedimentis supremus belli Commissarius Carreltus cum 3.

circiter millionibus paratæ pecuniæ gallico militi in stipendium distribuendis. Cæsareanorum autem & Confœderatorum tam læsorum quàm occisorum dicuntur fuisse 3247. inter quos præcipuus Dux Brunsvico - Beverensis. Gallorumècontra universim cæsorum, vulneratorum, captorum & transfugarum 33. ferme millia, & duplici sauciatus est vulnere Dux Aurelianensis, cujus consilio hostem non intra sepimenta expectandum, sed in campo invadendum dictitabat, cui obnitebatur Marsinus, omnino contrarius.

Hæc est illa famosa per Europam Turini obsessio, & cruenta ejusdem, simul & Eugenio gloriosissima liberatio, quæ Regis Ludovici XIV. ærarium multis exhausit millionibus, quibus totam Sabaudiam, Italiam & universam, sed irritò, nundinari sperabat, seu potius rapere Hispaniam; & certè erat janua *Tur in*, & per quam omnia illa haud difficulter poterat occupare, ideoque ejusdem exitium & interitum diu noctuque moliebatur, iteratò quamvis aliorum consilio dehortatus; neque immanis effugiet crudelitatis notam, si, quod dicitur, verum sit Regis mandatum in occisi marsupio Marsini inventum, nonnisi post occupatum Turinum aperiendum: urbem nimirum hanc diripiendam, ejusdem robur & propugnacula funditùs evertenda, totum denique Pedemontium & Sabaudiam contributionibus emungendam & eviscerandam; sed delapsus Rex in foveam quam aliis præparaverat; ad Eugenium verò gratulatoriæ undique de tam insigni obtenta victoria pervolant

Ludovici Reg. crudelitas.

Eugenius per Europam gloriosissimus.

lant literæ, & Cæsar Joseph in grati animi testimonium eidem gladium pretiosis distinctum adamantibus & gemmis, à piæ memoriæ parente suo Leopoldo, post primam Landaviæ occupationem sibi donatum, per Lambergum Comitem transmittit : in Anglia virgo quædam ad mortis extrema fermè deducta, consanguineisque orbata, auditâ tam insolenti Eugenii victoriâ, eidem duo millia lib. sterlingorum testamento legavit, hoc expressè addito, ut sine ullis quamprimum sumptibus liberè ad eum destinarentur: alius ibidem hortulanus eâdem motus causâ dimidium illi bonorum suorum, centum sterlingorum libras ordinavit; tam celebris namque & accepta erat ista per Europam victoria & Eugenii gloria. Qui virtutem seminat, laudem meritò metit, & famam ; quam Eugenius communiter aliis tribuens, duplo recipiebat gloriosiorem ; quanquam nulla sit tanta humilitas, inquit *Valerius Max*. quæ dulcedine gloriæ non agatur : natali enim, ait *S. Hieronymus epist*. 121. *ad Gabinianum*. ducimur malo, & adulatoribus nostris libenter favemus ; ac quanquam respondeamus nos indignos, & calidus rubor ora suffundat ; tamen ad laudem suam anima intrinsecus lætatur, suis namque laudibus audiendis, ait *S. Chrysostomus lib*. 5. *de sacerd*. nihil inde delectari, nescio, an cuiquam unquam mortalium obtigerit. Notum est illud Ciceronis : Honor alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloriâ. Carolus V. Chytræo in ipsius laudes coram perorante, Agnosco, inquit, me imparem hisce tuis dictis ; admoneri tamen quoad laborem par fieri. 474.

474. Refocillatus ad 13. usque Septembris exercitus castra ad colligendos victoriæ suæ fructus promovet Eugenius, & oppido Chivas applicat aliquot jam tum diebus circumdato: Accisus autem Gallorum exercitus desertâ Pignerolâ in Delphinatum properat, postrema cujus agmina Waldenses adorti necant plurimos: Dein Eugenius aliquot millium phalangem Pompejam, seu Astam versus, & Baronem de S. Remigio versus Augustam Salassorum demittit, qui exclusis inde Gallis omnem illis in Ducatum Mediolanensem aditum intercludit, hunc invasurus Eugenius cum potiori parte exercitus contendit Casalium, dum Amadeus cingit Chivas, & 15. Sept. ultroneâ deditione sub discretione capit cum 1140. præsidiariis, 13. tormentis, & ingenti bellico, annonæque apparatu: ejusdem quoque discretioni submittit se castellum & oppidum Ivrea, ubi insignem obtinet prædam, trecenta dalerorum millia, à Gallis ibidem deposita: Vercellum ultrò à Gallis desertum, secuta sunt alia oppida, Mortara, Trino, Bardum, ad tertium tormenti jactum Noveræ cives ad deditionem coëgerunt præsidiarios 600. Hispanos & Rhetos, cæsarea majori ex parte arma amplexos. Hisce inopinatis confœderatorum progressibus territus Vaudemontius Mediolani gubernator 18. Septemb. convasatis noctu subitò rebus, Ticinum cum uxore & familia, Principe Sesto & Generali Colmanero fugit; quem paulò pòst Medavu s in urbem reducens, postquam impossibilem Mediolani retinendi statum literis Ludovico Regi significasset, civibusque ut æqui bo-

Amadeus plura recuperat.

Mediolanum cæsari deserunt.

bonique cum Cæsareanis transigerent permisisset, abiit Ticinum 6. armatorum millibus defensurus: Aurelianensis dilaceratum quidem exercitum ad Mediolanensem etiam demittit Ducatum, sed dum oppessulatam undique Augustanam vallem penetrare non potest, unde venerat, revertitur: missus itaque 24. Septemb. Cezano, ubi Eugenius castra metatus, Mediolanum tubicen, deditionem postulans, ad portam mox vigiles inclamant: Vivat Cæsar, Vivat Rex Carolus, ductusque sub magno jubilo & acclamatione civium ad senatum, deditione propositâ hic per Com. Joannem Baptistam Scottum, & Ubertum Stampum urbis claves Eugenio in castris offerunt, quibus ad servitium & fidem Cæsaris redditis, ad ejus mox possessionem capiendam illuc Principem Darmstadiensem, Comit. Visconttum & Felsium ablegat, ingenti congratulatione acceptos; ipse cum Amadeo Duce alterâ die urbem ingressus incredibili excipitur gaudio, arce deditionem adhuc recusante: quare publico Eugenius evulgat Manifesto, ut vernaculus & popularis quamprimùm miles domum remittatur, nullisque nisi Cæsaris & Eugenii obtemperetur mandatis: tum rejecto Bourbonico novum instituit senatum & regimen; ablata à priori regimine bona Annibali Visconto, Cusano & aliis resarcire studet: Senatorem Paganum unice civibus dilectum, & aliquamdiu Pizzighitonæ captivitate innodatum, aliosque oppressos & captivos libertati & dignitati pristinæ restituit; Andegavensis cusos imagine Philippinos recudit; publice sub gravi jubet pœna latentia

Quod ultroneè Eugenium admittit

tentia factionis gallicæ tam mobilia quàm immobilia bona & possessiones detegere ac revelare; adeo ut Marchionis Castel Rodrigo annui 20. millium Imperialium reditus, aliorumque Ducis de S. Petro, March. Casnadi, Principis Pinaccii, Ducis Barlanæ &c. bona fisco fuerint addicta.

Eugenius arcem cingit Mediolan.

475. Die 25. Septemb. Eugenius arcem Mediolanensem validissimo robore per Europam celeberrimam, & præter hispanicum gallico etiam 600. præsidio contra hispanicæ prærogativam nationis firmatam in & extra urbem circumcingit, expeditque protribunos de S. Amour, & Com. Kuffsteinium cum 300. equitibus, ut gallorum versus Pizzigitonam & Lodum cis Addam fl. motus observarent, & hoc Lodum simul invaderent; quod etiam eodem die deditione captum est: Daunius deinde Ticinum cingit, & Cardinalis Archiepiscopus Mediolanensis Archintus eodem quoque die magno nobilitatis flore comitatus Victorem Amadeum & Eugenium Sabaudiæ Duces in castris haud procul Corsico salutaturus visitat, qui die altero 26. Amadeo non bene disposito Eugenium triumphali urbem pompa ingredientem, & à senatu prius magnifice, tum in æde metropolitana à se observantissime receptum ad summum ducens altare Ambrosianum pro gratiarum actione intonat *Te Deum laudamus*: & ad sacras D. Caroli Borromæi ductus exuvias, inde eques, ad Marchionis Cæsaris Visconti aulam divertit, & demum ad castra revertitur.

Lodum.

Triumphaliter Mediolani excipitur.

Occupato Lodo & Como Galli cum Vaudemontio

montio summâ Addam transeunt Cremonam versus præcipitatione, Eugenio castra Corsico Melignanum transferente; cui se ultro Cassanum, castella Leonis, Terzum, Bordolanum, Fuentes, Verua (quo libera Padi Casalium usq; navigatio effecta est) & Leccum submittunt; Ticinum vero cùm Daunius castrensia 28. Sept. aperiret valla, & urgeret traditionem, per emissos feciales gallico se impediri præsidio prætendit: Dux igitur Saxo-Gothensis cum aliquot illuc destinatus legionibus cùm Daunii castris 2. Octobris accederet, tertiâ ejusdem die honestis militaribus se conditionibus submittit, præsidiumque hispanicum Valentiam & gallicum Susam demittendum transigit; sed validam in urbe arcem gallico munitam præsidio dum recusat præfectus extradere, mulieres urbis Episcopum Cardinalem Moriggiam enixis ut ad deditionem permoveret præfectum precibus interpellant, qui armato cum ejus facultate tam sæculari quàm regulari clero eum tandem coëgit. Insignis ibidem bellicus & annonæ apparatus est inventus, urbsque valido per Gallos robore firmata fuerat, quòd opportunus sit in Statum Mediolanensẽ accessus. Galli collectis interim quodammodo viribus, Augustanum Ducatum seu Vallem Salassiam superato Bernardi monte penetrasse dicebantur, in quos mox Comes la Rocca cum legionibus aliquot Chatillon versus expeditus viam cavam & arcem Bard præoccupando transitum occludit. 4to nonas octob. Eugenius castra movet Cavam-Curtam proximè Pizzighitonam, eamq; invasurus, & comunicatio-

Plura occupat loca Ticinũ &c.

Cavam-Curtam

tio-

tionem Gallorum cum Cremona interrupturus, protribunum de S. Amour cum 600. armatis præmittit, qui altero statim die occupato exteriori fossæ muro & opertâ viâ foveam transcendit, & coronatam invadit munitionem, præsidiariis ad interiora confugientibus, & oppidum impigre propugnantibus; illud namque oculis lustraturus Dux Amadeus, in brachio vulnere cum aliqua contusione, & ab ejus latere marchio Lusingus graviter sauciantur. Hanc difficilem admodùm obsidionem in 23. mensis Octobris protractam continuæ aëris tempestates & pluviæ adminiculatæ, militem fermè genu tenus aquis immersum animo dejecissent, nisi 25. oppidi præfectus noctu traditionem spontè obtulisset, dummodo Alexandriam certò captam sciret: quod cùm germana stipularetur fide Langallerius, 27. factâ deditione præsidium gallicum honestis Cremonam conditionibus cum 4. tormentis & 12. plaustris demissum, reliqui Hispani, Itali & Helveti Cæsaris amplexi sunt militiam. Ceterùm Eugenius superato Pado exercitum traducens Tortonam præmittit tubicinem urbis submissionem exigentem, præfecto obsistente propiùs accedens aggerem erigit tormentarium, & Darmstadiensi Principi cum omni equitatu Alexandriam committit invadendam, cujus pulveraria domus incensa 2. virginum monasteria, varias domos & 700. oppressit incolas, latamque murorum fecit ruinam; quo ad Eugenium delato, majorem peditatûs ex bellico consilio partem eò conducit, & 18. Octob. eam circumvallat, commendatâ Isselbachio Tor-

Alexandriam.

Tortonæ obsidione, quæ 15. Octob. ultroneâ quidem occupata est deditione, sed præsidium ad arcem confugiens contumaciter renititur: vigesimâ primâ tamen Alexandria Cæsaris se fidei committit, demissi præsidiarii Galli, Hispani autem & Helveti captivi detenti. Comes etiam Martignus Laulam, Lavenzam, & Seravallem, General Zumjungen arcem domum d'Isola intercipiunt; hujusque præfectum donec inique extortum ab indigenis tributum restituerit, retinet, Marchio de Courtance Astam seu Pompejam urbem, & 1. Novemb. arcem cum 400. præsidiariis & 40. circiter officialibus curulibusque 14. machinis, capit. Tortonam &c.

476. Gallicus interim Turini accisus exercitus prope Exilles in Delphinatu sub Albergotti præfectura moratus, vicum adeptus Veillanum loricis vallisque communit, nec non omni invigilant modo in Pedemontium irrumpendi, ideoque Rex supremum quondam belli Legatum Comitem de Bezons ex Normandia evocatum eò destinat, novis exercitum tormentis & bellico instruit apparatu, Susamque & Perousam ingentem convehit annonam & commeatum; sed omni Gallorum molimini tam sollicitè Eugenii vias obstruxerat solertia, ut Delphinam ubique legerent caudam. Gallicus autem exercitus in Italia residuus & abs Gallia disjunctus, Mantuam se contulit, quo etiam Mediolanensis nuper Gubernator senior Vaudemontius cum uxore confugerat; Sabaudus verò Vercellum incredibili firmat robore, & decem quotidie operariorum millibus interruptis communit laboribus. Dein- Viam in Pedemontiū Gallis obstruit.

de cum Eugenio Frassinettum venit, motoque inde 8. Novembris exercitu cis Padum Mortaram, ultra autem in Montferratensi arcem intercipit Aronam. Princeps deinde Hanoveranus 20. Octob. noctu cum pyrobolariis suis eminentem S. Gataldi locum seu stationem ad mœnia Modenæ occupat, ubi erecto suggestu tota imperi potest civitas, unde urbis præfecti De Bar tres opum & facultatum suarum cistæ metu periculi ad tutiora deferendæ in Cæsareanorum manus incidunt, qui 3. Novembr. transcenso per scalas muro urbem invadunt, excedente in arcem præsidio, & contumaciter propugnante; nihilo tamen minus primum arcis pontem Confœderati obtinent, retinentque, & omnes ad eam accessus solertissimè oppessulant: Amadeo Duci exercitum 20. circiter millium Casalio applicanti ultro se submittit; ad oppugnandum verò castellum 30. murales Turino machinæ & mortaria expectabantur. Eadem Cremonam manebat fortuna, cui cum 6. mille præsidiariis Gèneral. Toralba præsidebat, & magnam Dux Vaudemontius civibus libertatem & privilegia promittebat, si fortiter urbem contra Cæsareanos defenderent. Veruntamen Galli Mediolanensi ubique excludebantur Ducatu, invalidabatur moneta & recudebatur nova. Modenensibus prohibebatur graviter incolis omne cum Gallis commercium & annonæ suppeditatio; Vaudemontius èontra publico Cremonæ edicto omnes Statûs Mediolanensis urbes aqua interdicebat & igni Cæsari se submittentes & submissas, declarabatq; rebelles, qualem se ipse tam præcipiti

Amadeus Casalium obtinet.

piti Mantuam fugâ significabat, & quia hic Dux eâ se ipsum exuerat dignitate, Cæsar Eugenium Ducem constituit generalem Ducatûs Mediolanensis Gubernatorem omnium meritissimum, qui per emanata mandata avocatoria plurimos ex Gallorum castris subditos & milites evocavit. Arcis verò præfectus Marchio de Florida factâ cum ducentis præsidiariis excursione boves aliquot repetebat sibi ablatos; sed abs Com. Königseckio est rejectus, viginti præterea amisit transfugas, totidemque paulo post, dum noctu 10. inter & 11. Novemb. exteriorem Cæsareani diruunt munitionem. Idem Marchio 15. Novemb. insigni ab urbe protervіâ per literas passim dispersas annonam, pecuniam & vestimenta pro suis exigebat stipendiariis, recusanti ferrum minabatur & ignem: cui urbis respondebat præfectus Königseckius tam iniqui executionem postulati, tuum, præfecte, caput, & stipendiariorum tuorum sanguis & vita persolvet: induciis tamen postliminio ad 1. Februar. sequentis anni pactis, urbs bis mille pistoletos vel monetæ, vel annonæ persolvit. Toralba interea cum hispanico præsidio Cremonâ excedens, imponit gallicum, omnesque ex diffidentia cives armis exuit, & adeptis Turino muralibus tormentis Amadeus 6. demum Decemb. Casalii arcem suæ fecit potestatis, captis 800. Gallis, 83. gallicis potissimùm tormentis, & ingenti bellico apparatu Turinum traductis, dum paulò antè 29. Novemb. Isselbachius Tortonam arcem armatâ irruens manu omnes cum Præfecto Francisco Ramirez, & vice-præfecto Capra

Eugenius fit Gubernator Mediolanens.

Arcis Mediolanens. ab urbe petita deditio.

præsidiarios in ore gladii prostravit, plurimamque ibidem paratam pecuniam, pretiosasque merces illuc securitatis ergo delatas in prædam accepit.

477. Cæterùm Galli in tali provinciarum jactura in Mantuanum arctius compulsi omnem eo contrahunt annonam & frumenta, quòd Germani in Ferrariensi Mantuam usque præparare hyemalia videbantur: nec Mantuanus Dux sibi Mantuæ fidens, quòd fœnaria ibidem domus hostili consumpta esset igne, & Cremona ab Germanis arctius cincta, Veronam ad Venetorum territorium cum uxore aufugit. Et verò etiam crescente hyemis acerbitate Eugenius Cæsareum ad hybernalia distribuit exercitum, Cæsareanis assignat territorium Parmense & Piacentinum; Anglo-Batavis Mediolanense, & Pedimontanum Suevis: Duce autem Parmensi octoginta duplonum millia pro hyemalium molestiis solvente, Cæsareani ad Cremonense & Mantuanum declinant solum, ut Cremonæ cum Mantua opportunius intercideret Gallis correspondentiam, arctiusque includerent: militares præterea Eugenius exigit collectas & tributum, à Boloniensibus & Ferrariensibus sexdecim menstruè duplonum millia, quindecim à Florentinis, & à Parmensibus cum superiori summa universim nonaginta duplonum millia. Amadeus Sabaudus devicto mox Casalio suas Turinum traducit copias, exteriores urbis munitiones ab hostibus dirutas reparaturus; quo etiam initio Januarii Eugenius & Dux Hasso-Cassellensis ad bellica futuræ expeditionis consi-

Mantuæ Dux fugit Veronam.

Eugenius hybernalia militi assignat, & Amadeus.

lia

lia cum aliis belli ducibus se contulerunt. Atque ita ex cruentis Turinensis obsidionis & liberationis campis gloriosissimæ Confœderatis, ac imprimis Duci Eugenio effloruêre victoriarum palmæ, & dulces provinciarum acquisitarum fructus: Ducatum namque Pedimontanum, Montferratensem, potiorem Mediolanensis partem, & Italiam ferme totam furtivis Ludovici XIV. manibus vix unius anni periodo eripuêre; *Sic nunquam satis fida potentia, ubi nimia est*, *raroq; potentia fato sempiterna est, Tacit l. 2 annal. sed magnæ fortunæ magna sunt pericula, & brevibus momentis summa quæq; evertuntur* (*Tacit. l. 4. & 5. ann.*) nam sola restabant Cremona, Valentia, Final, arces Mediolani & Modenæ, Niza, Susa, Mantua & Sabionettum, pleraq; aut eminùs cincta, vel jam tum obsessa, vel non longè pòst deferenda. *Vid. num.* 492.

Et totã fere subjugavit Italiam.

Fama tum temporis ferebat, vera fictave, non dixerim, magno Florentiæ Duci Cosmo III. coronam & regnum Italicum à Ludovico XIV. eâ fuisse oblatum conditione, si confœderatus sibi Dux Cæsarem impugnaret, & extinctâ Molicæa Ducis familiâ Dux Bituricensis & ejus descendentes in Ducatum succederent Florentinum. Gallicus hic conceptus Borbonicæ haud dubio familiæ foret percommodus, quo & pedem firmaret in Italia, & erectâ reunionis seu dependentiæ, uti in Germania anno 1680. Camerâ, urbes & territoria plura, fictis fortè titulis & antiquis raperet documentis. At quia Cosmus non ignorabat Ludovicum Reges creandi carere potentiâ, adeoque Europæ Principibus

Gallus Ducem Florent. in armorum societatẽ sollicitat.

risui potiùs quàm honori esset futurus; simul etiam nomen & ducatum amittendi certo quasi exponeretur periculo (quemadmodùm Principibus pluribus Ludovici consiliis & armis confœderatis, Jacobo II. in Angliæ, Maximiliano Eman. in Bavariæ, Mahumeti IV. in Ungariæ jactura aliisque hisce nostris contigisse temporibus vidimus) sciret quoque quanto labore & difficultate Magni Ducatûs titulum & dignitatem à Pio V. Pontifice 1569. sui acquisiverint prædecessores; prædictus namque Pius Cosmum I. Regem quidem Etruriæ primùm; sed contradicente Maximiliano II. postmodùm Magnum Florentiæ Ducem declaravit, & Cæsar confirmavit. Et quòd denique gallici sibi Principis successio esset suspecta, regiam meritò recusavit Cosmus coronam & dignitatem.

Neapolis Carolum Regem affectat.

478. Gloriosæ hujus expeditionis fama Neapolim jam passim pervaserat, quæ & suæ quoque libertatis à gallica servitute suspirabat assertorem, iteratò diu noctuque per plateas inclamantes: Vivat & veniat Carolus III. voluit, sed non potuit illud prorex impedire, quòd inhumanam ejus crudelitatem execrantes quidem; sed & nauci facientes, prætorianos ejus non metuebant milites, Carolo affectos, sibique suspectos: & non nisi insolentem quandoque offensum capite minuebat. *Vid. num.* 496. Nec exiguis quoque hæc victoriarum catena pontificiam Gallis nimium addictam constringebat aulam angustiis, si prætertim liberum per pontificia territoria Cæsareani ad regnum Neapolitanum postularent transitum, Caroli V. quondam sub

Cle-

Clemente VII. metuens fortunam: augebatque hanc Pontificis solicitudinem Proregis Neapolitani ineptia, qua assignatos recens Cardinalibus ecclesiasticos in Neapolitano detinebat reditus. Clemens XI. namque XVII. Maji viros novendecim virtute & doctrinâ insignes ad Cardinalatûs promovit dignitatem, Gallum unum & Germanum stirpis Saxonicæ, Augustum Christianum, tunc Jaurinensem, modò Strigoniensem Archiepiscopum, reliquos Italo-Romanos: hanc Cardinalitiam mitram tot votis à pluribus desideratam Philippucius de Macerata omnium stupore recusavit, paupertatem humiliter alleganti oblata sunt ultrò à variis 32. Imperialium millia: sed neque illa, neque dignitatem constanter acceptavit: qui non multò post 21. Jul. piissimè in monasterio monachus obiit; singulari cujus virtuti sic Pontifex parentavit: *Magnus, quia meruit, maximus, quia recusavit.*

Roma sibi metuit.

19. Cardinales creati.

Philippucius Cardinalatum recusat.

Societas Jesu in defuncti Generalis sui Thyrsi Gonzalez (qui contra universam suam societatem fuit constans semper sententiæ probabilis relictâ probabiliore impugnator acerrimus.) locum eligunt Michaëlem Angelum Tamburinum Modenensem, præterito gallicæ nationis candidato unicè prætendente.

Defuncto Monasterii Westphaliæ Episcopo Plettenbergo, novi Episcopi electio 29. Jul. instituta, ob varias capitularium differentias pontificiâ bullâ prorogatoriâ in 28. Augusti, rogatû Caroli Ducis Lotharingiæ, Episcopi Osnabrugensis competitoris, spe votorum delusi, est dilata: Episcopus namque Paderbornensis Met-

ternich ibidem capitularis omne ſæpius ſtudium ad Capitularium favorem & vota procuranda Carolo Lotharingo & Cæſari addixerat: ubi vero majorem in ſe Capitularium affectum, poſtulationem, & Batavorum per miniſtrum ſuum Itterſon benevolentiam [qui ſuam prius Caroli promovendi operam, ſi votis prævalere poſſet, Cæſari obtulerant] ardentemque eorum ſe promovendi induſtriam & contentionem animadvertebat, ipſe pontificio eligibilitatis indulto ſecretè proviſus, plura Capitularium vota imperat, fruſtra Cæſareo Legato, Comite ab Eck contentioſè contranitente. Elapſo igitur prorogationis termino, Capitulum rejectâ ulteriori pontificiâ prorogatione 30. Auguſti Epiſcopum Paderbornenſem Joannem Wernerum Baronem Metternich de Gracht conſuetâ ſolemnitate 21. & in ſecunda electione 19. votis elegit in Epiſcopum Monaſterienſem, & realem dedit poſſeſſionem, proteſtante ècontra cum 16. Capitularibus Epiſcopo Oſnabrugenſi Carolo, & Comite ab Eck ſubito per catharrum ſuffocativum extincto. In hac Capituli diſcordia Epiſcopatûs adminiſtratio uſque ad Pontificis confirmationem eſt ſuſpenſa, quæ brevi etiam poſt tempore, ob inſignem virtutum D. Metternich excellentiam eſt ſubſecuta XIII. Decembris Carolo Lotharingo ad Archiepiſcopatum & Electoratum Trevirenſem elevato.

Metternich fit Epiſcopus Monaſt.

Carolus Lotharing. Trevirenſ.

Equeſtris S. Joannis Jeroſolymitani Ordo, ab Raymundo tempore Innocentii II. & Henrici V. Imp. pro ſolis germani ſanguinis Nobilibus per expreſſa ſpecialiter ſtatuta & privilegia inſtitutus,

tutus, plures hactenus in germanico præsertim Alsatiæ Prioratu admisit variarum nationum alienigenas, ejusdem commendis, proventibus, bonis & pensionibus gaudentes, & nationes ulterius suas propagantes, non sine maximo germanæ nobilitatis præjudicio, detrimento, & evidentissimo totius Germaniæ, Imperiique Romani periculo, dum belli præsertim tempore hujusmodi commendatariæ fortioribus Imperii Rom. urbibus & fortalitiis inhæreant. Hinc Leopoldus I. Imperator anno 1700. propter has & alias urgentissimas causas non solùm ad præd. equestrem Ordinem literas misit dehortatorias; sed Ratisponensis etiam trium Collegiorum Rom. Imp. Senatus sub dato 7. Julii 1706. prohibitivum eidem Ordini transmisit conclusum, à Cæsare approbatum & confirmatum. Ne ex nunc, & in perpetuum ullas commendas, proventus & pensiones, neque ullas ejusmodi commendarum administrationes, ministeria &c. tam intra quàm extra Imperium Rom. ulli alterius nationis alienigenæ sub gravi pœna & cassatione conferat, aut imposterum permittat; sed omnes omnino excludat, & solos tantùm germani sanguinis Nobiles juxta aliarum nationum, exteros excludentium, exempla, ad majorem germanæ nobilitatis conservationem & augmentum admittat.

Ordo S. Joann. Jerosolym. pro solis Germanis institutus.

Ab eodem etiam tricollegio Ratisponensi emanavit 7. Julii 1706. conclusum, cassans Apostolici Nuntii Coloniensis mandata pœnalia, communicationes & evocationes causæ feudalis mere laicalis, quam in Camera feudali Prin-

Camera princip. Thoref. non admittit pontificia mandata.

cipis Thorensis in Westphalia coram competente judice (à quo immediatè ad Cæsarem appellatur) agitatam ad ecclesiasticum suum forum, obnitente Principe evocavit: quare illam & pœnâ pecuniariâ, & ecclesiasticis cogere censuris tentavit. Hæc, inquam, mandata pœnalia, utpote contra fundamentales Imp. Rom. leges, constitutiones, recessus, & ultimas Leopoldi & Josephi Impp. capitulationes §. 18. cassavit, & jura Principis confirmavit.

Helveti cum Gallo renovát Capitulatum magno suo damno.

In Helvetia antiquum Veneto - Helveticum militem scribendi fœdus, ringentibus licet Gallis icitur: renovant quoque suum Hispano Galli Mediolano Helveticum [capitulatum vocant] spe solvendæ restantis pensionis cum Helvitis catholicis Uri, Suitz, Tugio & Abbatiscella, contradicentibus aliis Protestantium urbibus, ipso etiam Cæsare Imperioque Rom. & quia internecivas Gallorum in Italia & Brabantia strages audierant, necdum subscriptum & consignatum differunt: Gallorum aureis tamen promissis & muneribus postliminiò capti, fœderi, seu Capitulatui subscribunt, & juramento confirmant violatâ neutralitate, & austriacâ hæreditariâ unione: quibus regius legatus aureas singulis donavit catenas cum regis iconismo ac mnemosyno, dapsilique refecit epulo, adeo ut in hanc fœderis renovationem Rex 400. francicarum librarum impenderit millia; sed subsecuta mox est pœnitentia totam affligens Helvetiam: Eugenius namque Mediolanensis gubernator gravi interdixit pœnâ omne cum Helvetis commercium, quam protestantes quidem Italiam

liam versus provinciæ Satratuæ Berna, Glarona, Basilea, Scafusia & Tigurum, fœderi contrariæ, demissè, sed frustra sunt deprecatæ, magnum inde passæ detrimentum; quod ut averterent, Regis Ludovici XIV. consilio provinciæ quædam belligerantium partium se offerunt pacificatores, seu mediatores, & hujus rei causâ literas ad Generales Hollandiæ status, Cæsarem, Pontificem, & plurimos Europæ Reges & Principes expediunt, quas eorum plures nedum legere; sed nec aperire dignati sunt: Pontifex adversæ Ludovici XIV. ecclesiæ primogeniti, fortunæ indolens, Helvetorum quidem laudabat studium; sed nec ille, nec Veneti in Anglia legati, nec gallici in Hollandia pacem persuadebant.

Cæsar autem ne obtentis tot à Deo victoriis & beneficiis foret ingratus, eucharisticam in choro & foro instituit orationem, totaque civitas jovialibus collustrabat ignibus, in unica Nuntii Apostolici aula erant tenebræ, & undique occlusa; sed varia plebis in eam jacta sunt scommata, lapides in fenestras, & direpta fortassis fuisset, nisi appositæ prohibuissent excubiæ.

Viennâ plaudēte silet Nuntius Apost.

479. Vacillantem in Ungaria Ragotzium, & inclinatos ad pacem aliquot Rebellium magnatum animos gallicum rursus erigit confirmatque auri submissio, ut in suammet ferro & flammâ crudelissimè patriam sævire non desisterent; quamvis eos Palffius Croatiæ Banus, & General. Rabutinus sæpius fuderint, fugaverintque; Berezenus namque, Vack-Bottyanus &

Rebelles ungaros Ludovicus R. confirmat.

Gallus Rebelles excitat.

& Ockayus hujus anni innitio Sopronium urbem regiam arctâ septimanis aliquot cinxerunt obsidione, & continuis ignibus tormentisque urbem cum suburbibus adeo misere devastarunt, & cineribus sepelierunt, ut paucissimæ restarent domus integræ; constantem tamen civium in Cæsarem fidem nullâ vi, nec blanditiis delere potuerunt; sed furiosum illorum impetum urbis muro scalis jam insilientem generosâ fortitudine cæde illorum ultra mille rejecerunt: advolante autem in subsidium cum 4. millium exercitu Palsio, turpi fugâ sunt elapsi, quamvis viribus fortiores. Et ut germano militi omnem vivendi tollerent subsistentiam, molas ubique incinerant, in Styriam barbariè irrumpentes Hannibalem Heisterum ad internicionem fundunt, ipsumque vulneratum cum tormentis & impedimentis capiunt, in Moraviam, Marchiam, Transylvaniam &c. excurrentes supra omnem adeo sæviunt barbariem, ut XII. Regni Comitatus irrecuperabilem patriæ suæ ruinam & eversionem spectantes, in ipsum adeo Ragotzium arma vertere decreverint; quod metus tamen postmodum, & intentata varia tormentorum genera inhibuerunt. *Vid. num.* 505.

Quos Sopronium obsidentes Palfius depellit.

Sæviunt in patriâ

Fridericus Augustus Rex Poloniæ nuperâ à Sueco afflictus clade suæ metuens Saxoniæ, de quolibet sui ducatûs oppido & vico (quorum 18000. universim numerantur) unicum colligens militem restaurat exercitum: illo tamen in Polonia degente Carolus XII. Rex Sueciæ cum 20000. & Stanislaus Leschinskius in comitiis Volhiniensibus in Regem confirmatus Lusatiam

Pax Polono-Suecia.

&

& Saxoniam cum 18000. occupant, Schulenbergum cum Saxonibus expellunt, Lipsiam occupant, Lipsienses nundinas instituunt, comitia indicunt &c. & gravissimis emungunt exactionibus, prætextu finem sic belli imponendi: defectus namque nervi bellici, quem Augusto Regi subministravit hactenus Saxonia, & nunc funditus exhauriebat Carolus, brevi finem bello imponet; Augustus enim septennali livonico-Polonico bello 88. milliones ex Saxonia haustos insumpsit: tormenta bellica 819. ex Saxonia in Poloniam invexit, in eamque 36648. germanos Saxones conduxit, ibidem neci traditos. Hinc 22300. Suecorum in Saxonia hyematio indigenis quidem acerbissima tanti in hoc fuit levaminis, quòd irremissibiliter extortæ singulis mensibus 62500. Impp. contributiones apud illos consumendo, sub strictissima militari dissiplina quodammodo resarciantur. Insperatò tamen mox subsecuta pax est, & Fridericus Augustus Moscorum fœderi renuntians, & Regnum Poloniæ, solo nomine retento, abdicans, transfert in Stanislaum. Pax hæc tam inexpectata, & clandestinè inter utrumque Regem pacta omnibus, ipsi etiam Mardefeldo, Suecorum archistratego incognita fuit; ideoque illam Augusto significanti non credens, Polonos & Moscos ad oppidum Kalisch 29. Octobris aggressus, Mardefeldus cæditur, & ipse cum tormentis, impedimentisque capitur cæsis Suecorum 2500. alii ajunt 6000. Tum Augustus desertâ Poloniâ in Saxoniam Dresdam 15. Decembris redux, habito cum Rege Carolo amicabili colloquio pacem

Suecus cæditur.

cem publicari jubet, remanente nihilominus Carolo cum exercitu in Saxonia cum incredibili indigenarum detrimento & exitio (*Vid. n.* 508.) Moscorum vero Czaar seu Imperator ad Polonorum jura & libertates ex fœdere conservandas ingentem in Lithuaniam & Poloniam effudit exercitum. *Vid. num.* 509. *&c.* Silesii Lutherani reformationem, seu oppressionem metuentes, totum Lutheranæ sectæ corpus per suos Principes, Comites, urbes &c. ex Ratisponensi collegio Cæsari humiliter supplicat, & deprecatur liberum Lutheranæ suæ religionis exercitium, per pacem hactenus Westphalicam illis permissum & stabilitum: Cæsar enim (cujus est regio, illius etiam religio) Romano-catholicam fidem austiaco sensim zelo reducendo Lutherasmi vires, sine vi tamen, debilitabat. Hinc Silesii proximum sibi tunc Suecorum Regem Carolum Lutheranismi protectorem invocarunt, & obtinuerunt, de quo *infra.*

Judicio Camerali Wetzlarii hucusq; propter commissos quorundam excessus clauso, dicasterium Cæsareo-Imperiale aulicum litium causas & mandata hactenus expedivit; quæ an & qualiter sint admittenda, Principes Brandenburgo-Bareutensis & Onolzbacensis scire desiderant: Elector vero Brandeburgicus brevi aperiendum audiens, collegium illud Cameræ pro Imperii tribunali non agnoscit, usque dum Baro de Ingelheim, Comes Nutz & Wigand graves officii sui imputatos excessus coram deputatis Imperii visitatoribus & commissariis sufficienter purgaverint. *De quo supra n.* 439. 512.

In

In Bavaria turbarum priori anno auctores, Mathias Kraus lanio secto prius capite quadripartitus fuit: Curialis alter perpetuo damnatus est carcere: Augustæ vero Vindelicorum in damnorum recompensationem juris perpetui adjectum, seu donatum fuit oppidum Lechhausen. Sed Maximilianus Emanuel Elector & Dux Bavariæ, & Joseph Clemens archiepiscopus & Elector Coloniensis fratres Viennæ & per Imperium Romanum, urgentibus maximè Anglo-Batavis, & Imperio Rom. consentiente, electoralique collegio confirmante 29. Aprilis publicè Imperii hostes, omnibus dignitatibus, prærogativis, provinciis & bonis privati à Josepho Cæsare banno, omnibusque pœnis banno annexis innodati & proscripti sunt: & Maximilianus quidem igni & aqua interdictus, quòd læsæ Majestatis reus Ottomannicam Portam ad impiam & perfidam viceni cum Austriaca Domo fœderis violationem, & ejusdem Domûs impugnationem, quamvis irritò, sollicitaverit: rebelles in Cæsarem Ungaros ad continuandam factionem, rejiciendasque omnes concordiæ sæpius tentatæ conditiones incitaverit, confirmaverit, seipsum in persona ducem eorum & antesignanum obtulerit; Austriacam Domum nefariis ubique proditionibus opprimere; verbis & scriptis in ipsis adeo ecclesiis sacram Cæsaream calumniari majestatem: & Romanum Imperium, cujus ipse membrum & columna, neglecto tam perfidè juramento, & effuso tot Romanorum civium sanguine, armis invadere, rapinis supprimere, rejectâ Cæsaris, Regum, aliorumque Prin-

Bavariæ turbatores puniuntur.

Maximilian. & Joseph Bavariæ Duces hostes proscribuntur.

Principum dehortatione fuerit molitus. Quæ proſcriptiones in Archidiœceſi Colonienſi & Leodienſi, in Bavaria Monachii 4. Maji, & 11. ejuſdem Ratisponæ per Cæſareos publicatæ ſunt caduceatores, & quatuor Electoris filii Principes Monachio Clagenfurtum Carinthiæ, ſub 100. equitum, & 200. peditum conductu ſunt relegati, Bavariaque reformata. Queſti tunc temporis ſunt in Ratisponenſi Collegio Legati Suecicus, Bremenſis, Saxo-Gothicus ſuorum, aliquorumque Principum nomine præd. Electorum proſcriptionem conſenſu quidem Collegii Electoralis; ſe autem & Principum Collegio inconſultis contra jura pragmatica, pacta Monaſterienſia, Imperii receſſus, & Cæſaream Capitulationem, non ſine periculoſæ harmoniæ diſſolutione à Cæſare factam; ideoque cum reſervatione perpetuam impoſterum Cæſaream conſtitui poſtulant capitulationem, hæc, & ſimilia prohibentem. His 15. Aprilis 1706. ad Cæſarem delatis querelis, reſpondit anno ſequenti in Januario: Si Principes ea, quæ ante, in, & poſt prædictam proſcriptionem ex militaribus Imperii declarationibus intime examinatis & adhibitis acta ſint, conſiderent, legitimam facilè, dignam & juſtam approbabunt: quam ſi alio modo & ordine impoſterum fieri cupiant, poterunt perpetuæ electionis cæſareæ capitulationi inſerere &c. Certum verò eſſe ſcribit quidam auctor, quòd nulla hactenus Imperii Rom. lex ad ejuſmodi proſcriptionem explicitum Principalis Collegii requirat conſenſum & concurrentiam; proinde prædicta banni proſcriptio ſi juxta mili-

Filii Bavar. Clageufurti detenti.

tarem

tatem Imperii declarationem (in qua suo Principes consensu semper concurrunt) facta est, consequenter Imperii Principes ad hanc ipsam proscriptionem effectivè suo concurrerunt consensu.

Germanorum socordia

480. Veternosi interea Germani ad Rheni superioris tractum adeo stertebant, & circulares differebant copias & subsidia, ut licet aculeatis iterato Batavorum ad Ratisponense collegium literis eorum castigata fuerit tarditas & somnolentia; nihil tamen aut vix quicquam in hujus anni expeditione est effectum, sed pudor! quæ anno priori gloriose acquisita, hoc sunt turpiter deperdita. Ludovicium per totam hyemem castrum arctè circumcinxerant Germani, & omnem hucusque interdixerant commeatum, ut jam omni die propter famem adeo invalescentem expectaretur deditio; hanc Villarius metuens magnis properat Parisiis in Alsatiam passibus, circumfertur passim fama, Gallos undequaque vires colligere, Villarium indefesso studio & labore omnia in obsidionis succursum & liberationem præparare, mox etiam cum triginta millium exercitu adfuturum. Hanc evulgatam ubique famam Germani sæpius perceperant, sperabanturque Gallorum molimina præventuri: aderat quidem etiam exercitui Badensis; sed sufficientes ei deerant vires, plures necdum suppletæ legiones, plures à circulis nondum submissæ, aliæ nimium à se distantes erant, ut dum tardius colligerentur, & decem nonnisi armatorum millia censerentur, Badensis hostium multitudini impar cedere debuit, Villariusque

Villarius castrum Ludovicium liberat.

Haganoviam occupat cum ingenti bellico apparatu.

rejectis & oppressis Germanorum stationibus sufficienti Ludovicium castrum commeatu, apparatuque bellico instruit, & Germanos insequitur, qui beneficio noctis deserto 2. Maji Drusenhemio, fugâ sibi consulunt. Tum Villarius Haganoviæ applicat exercitum, in qua Germani insignem commeatum apparatum bellicum, & rem tormentariam 47. congregaverant; Saxonicum quidem præsidium aliquot fortiter diebus pro loci natura & constitutione propugnabant; sed viribus longè impares hostium se potestati tradere sunt coacti; atque ita anno priori tanto labore & sanguine parta, unico quasi die sunt dilapsa, cum maximo Imperii Romani detrimento & discrimine; belli namque sedes ex gallico in germanicum translata est solum, & opportuna rursus Landaviam & Philippopolim oppugnandi Gallis data est occasio; fossiles denique Lauterburgenses lineæ tanto tempore & impensis elaboratæ ab hostibus dirutæ & complanatæ sunt summo Germanorum despectu. Germanis hoc ex libertate vitium inesse, scribit *Tacitus*, quòd ad publicos *armorum* conventus &c. non simul, nec jussi conveniunt, sed & alter & tertius dies, *& mensis* cunctatione coeuntium absumitur: patrium & hæreditarium malum, quod nostra in tantum crevit ætate, ut in proverbium abierit. Alexander Macedo ad tantum victoriarum numerum pervenit hac unâ re, nihil differendo; nos optima quæque differendo omnia perdimus, unde *Jamb. Vet.* Noluisse visus interim est, qui distulit. Villarius itaque Palatinatum inferiorem gravibus emungit exactionibus

nibus & militaribus collectis : jussu demum Regis stragem in Brabantia ab Anglo-Batavis illatam instauraturus, legiones aliquot illuc submittens, Landaviam impugnare, ut conceperat, prætermisit. Ergone tam seria Anglo-Batavorum monita & ad maturam vigorosamque expeditionem admonitiones omnino irritæ nihil efficere potuerunt ? eccur Badensis exercitum maturius collectum in hostem non duxit ? an non majori armorum vi castrum illud Ludovicium interea temporis impeti potuit, dum hostis longe inferior succurrere non potuit ? quæ imprudentior inertia & temeritas tantum bellicum & tormentarium apparatum, commeatumque credere tam vili, & sufficienti nudato robore oppido; qui ad prævolantem passim hostis advenientis famam Landaviam commodè transvehi poterat & salvari ? Certum est, nisi singulari Dei providentiâ in Belgio Gallus à Marleborugo adeo internecivè cæsus fuisset, ut ex Alsatia plures in Belgium Villarius subsidii copias submittere debuisset, levi jam negotio superiorem rursus Germaniam & Rheni tractum, aut totam saltem FranconiamSueviamque occupasset. Badensis cùm malè ideo audiret, literis ad Generales Hollandiæ Status datis tardam & infaustam hujus anni expeditionem excusat; quod invalescentibus morbis germanorum exercitus adeo fuerit depastus, ut viribus integri & sani vix sexdecim superessent centuriones (taceo gregarios magis obnoxios) atque ita hoc anno ab Germanis nihil acquisitum, sed acquisita turpiter non sine exiguo confœderatorum dolore,

justaque simul offensa sunt labefactata. *Vid. n.* 511. 512.

Ludovicus R. suos in Brabantia ad prælium excitat.

481. Feliciorem adhuc Ludovicus Rex belgicam sperabat expeditionem Maximiliano Bavaro & Francisco Villerojo commissam: nobilissimas enim illuc legiones generositate, militarique excultos exercitio (regiam vocant domum) & totius Galliæ robur demiserat, nec non copiosiore milite auxerat exercitum, indubitatam sibi spondens victoriam, ad quam literis Bavarum & Villerojum incitabat, provocabatque ad certamen, haut diu differendum, quòd exercitûs sui augmentum lateret adhuc confœderatos viribus multo inferiores: nec dubitare se, quin regius miles suus regiam nobilitatis etiam suæ exerturus sit virtutem, Barcinonensis modò strages eum non terreat, studiosâ omnino curâ supprimenda; proinde certaminis arenam, & aciei dispositionem sibi transmissam approbabat, optabatq; brevi faustũ voti sui effectum; quod maturiori moliebantur confœderati evertere vigilantiâ; in anglia namq; habito in Reginæ Annæ præsentia militari consilio (ad quod ex Hollandia Comes Noyelles & Hompeschius etiam accesserant) bellicus quamprimum nervus est coactus, decretaque matura expeditio. Marleborugus igitur cum sociis in Brabrantiam sine mora profectus, congregat tumultuariè exercitum, & Danorum imprimis remotiùs distantium urget adventum, hostem, antequam se inaccessis castrorum vallis communiret, invasurus; Danis sine ulla decem dierum requie Venlonâ accedentibus, 23. Maji (qui fuit solemnis dies dominicus

nicus pentecostes) gallis aliàs propitior pleno movet exercitu in gallos Tirlemontii 60. millibus confidentes; nec Bavarus & Villerojus pugnam detrectabant, quamvis Marleborugus crederet eos fugam arrepturos; quam non tantùm non meditabantur; sed quòd aliquot recenter ex Germania essent aucti legionibus, & Danos intra biduumn nonnisi adfuturos ex interceptis studiô literis existimarent, non Germanorum impetum sustinere, sed fortiter generoseque sine mora inferre, antequam peditatus eorum & res tormentaria accederet, Bavarus moliebatur, nisi illud forte fortuna Villerojus magno confœderatorum commodo prohibuisset. Gallicus igitur se extendebat exercitus à flumine Mehaigne ad oppidum usque Judoigne, & in loco ubique eminentiori, tormentiique aptiori, pagos continebat Ramillies, Offuz, & Taviers, fossis, sepimentis, & senticetis probè munitos; prioris oppidi cœmiterium muris etiam vestitum copiosus insidebat peditatus: ita ut vicus Taviers dexteram, Offuz sinistram alam, & Ramillies medium defenderet corpus: alam verò dexteram ducebat Villerojus & Comes Guiscardus, sinistram Comes de Arco, & Bavarus toti præerat exercitui; Confœderatorum è contra dexteram conficiebant alam Angli & Danicus peditatus; sinistram Batavi, & 8. Danorum equitum legiones, quæ displosis primum ad 2. horam promeridianam in hostem tormentis, alam illius dexteram aggressæ, à cataphractis regiis legionibus non solùm stricto rejiciuntur gladio; verùm etiam 6. ad 7.

Præliũ in Brabantia.

legiones confusæ planè dissipantur, & dejiciuntur: his Dux Würtenburgensis & Danorum Generalis tempestivè succursuri, cum 21. equitum agminibus ad sinistram modice declinantes in hostium latus interjacente licet palude, & maximis peditum retro senticeta ignibus remorati furiose irruunt, & regia fortiter pellunt agmina, sed mox fortius repelluntur; rejiciunt pelluntq; secundò, repelluntur denuò: fit pugna & strages utrimque cruenta & pertinacissima, donec resumptis ex integro Dani animis, acuente illos centurionum exemplo & ducum fortitudine stimulante hostiles perrumpunt ordines, turbant, & in fugam domum illam, ut vocant regiam, invincibilem passim jactatam convertunt: Marleborugus namque sinistræ sentiens alæ periculum, aliquot ex dextera continuò ala (quæ sinistram Comitis Arco ob rivum impervium, aliaque impedimenta invadere vix poterat) agmina sinistræ subsidio submittens, militemque ad fortia stimulans à cespitante equo in foveam dejectus, vix geminum captivitatis, & mortis evasit periculum: nam dum alteri ab generali adjutore suo Brinfeldo reponitur equo, tormentarius huic globus caput rescindit; globus alter Marleborugum inter & manuales ejus sclopos intervolans, invictum ejus animum dejicere non potuit. Bavarus quoque dexteræ suæ alæ in fugam inclinanti subsidium allaturus, dehortatur à Villerojo, quòd regia ibidem essent agmina, quæ omnem repellere vim sufficerent. Sub hæc confœderatorum peditatus pagum Ramellies, præcipuo Gallorum robore firmatum, incredibili

Galli devicti.

bili involat furore, & circa prædictam horam quartam, dum eorum simul fugit equitatus gloriosè devincit; in medio quidem pagi se mox hostis recolligit, sed ibidem dissipatus medio abhinc milliari rursus obsistens in fugam iteratò agitur. Sinistram Gallorum sub Generali Arco alam Overkerkius Batavorum archistrategus vix adortus, aliquot subitò in latus ejus turmas immittit; Arco autem dexteram commilitonum suorum alam capessentem fugam perspiciens, condensatis equitatum ordinibus cautè retrahens, deserensque peditatum fugit, cujus major ab Anglis pars in arena internecivè deleta, reliqui in fuga per noctem persecuti, prostrati sunt aut capti.

Marleborugus capit Lovanium, Mechliniam. Antwerpiam &c.

482. Et quia Confœderati anno præcedenti in fossilium linearum debellatione longiorem in fuga se muniendi moram Gallis prope Lovanium concesserant, illum nunc errorem corrigentes, tumultuatim illos ubivis insequuntur; ideoque Dillam fl. sine impedimento 25. Maji trajicientes, desertum terrore Lovanium, ingenti apparatu bellico & commeatu instructum, & Mechliniam, die altera Bruxellas occupant: 27. transito Bruxellensi canali, & valido aditu Alst, 1. Junii Mirlbecki castra metantur, ibidemque gratiis voce & tormentorum boatu Deo pro insigni victoria actis, Gandavensis ad meridiem magistratus urbis suæ claves in castris Marleborugo offert; 3. Junii Audenardi quidem cives ultroneam urbis deferunt traditionem; sed Bournevillus urbis præfectus ad arcem fugiens, horâ tamen secundâ pomeridianâ se submittit, & honore

Gandavum.

Audenardum.

nore militari cum præsidio est demissus: subsecutæ sunt Brugæ, Damm, Liera, Furna & Alostum, atque ita duodecim urbes cum provinciis intra 15. dies receptæ, & à Gallis ex metu derelictæ. Tandem Antwerpiam celeberrimum Europæ emporium devenit Marleborugus, arce validissimâ, & præsidio Gallo-Hispanico utrimque æquali communitam; Galli arcem occupaturi rejiciuntur ab Hispanis, coguntúrque se Carolo submittere, libere traducti Quesnoum & Landrecum; præfectus autem Marchio de Harazena cum Hispanico in arce præsidio adusque ulteriorem Caroli III. dispositionem est permissus, & Marleborugum inde Hagam Comitis abeuntem 9. Jun. Antwerpiæ Episcopus & Præfectus in itinere prope Meren honorificè salutant; idem paulò post Consul urbis & Pensionarius præstantes Antwerpiæ claves submissè præsentant, quas obligatoriis mox verbis Marleborugus illis restituit.

Numerus devictorum & spoliorum.

Cæterum hac in pugna ceciderunt duo Confœderatorum millia, vulnerati sunt mille trecenti; hostium vero Gallorum in arena dicuntur cæsa 4000. capta 5000. quos inter prætoria Regis legio cum suo præfecto March. de Meziers, & ducenti Belliduces & Officiales, 12. supremi belli Legati & Mareschalli, quatuor bavarici cubicularii, & March. de Entregues, Tallardi filius; sed grandis fuit fugitivorum numerus, ut de LX. vix XX. eorum superessent millia: in manus quoque vincentium devenerunt hostium gallorum impedimenta, commeatus, bellicus apparatus, 50. tormenta, & 60. signa eque-

stria

ſtria & pedeſtria: unica equitatûs Danici legio (qui maximum ſuâ fortitudine huic victoriæ pondus adjecêre) quinque regiæ domûs ſeu militiæ ſignis equeſtribus, & undecim pedeſtribus fuit potita, quorum pleraque Regis Ludovici XIV. ſymbolo, ſole, erant inſignita, cum hac inſcriptione: *Nec pluribus impar*, fortunæ fortè inconſtantiam pariter expertis; vexillum aliud gerebat Mercurium cum hac epigraphe: *Terraque marique*, nempe victor Ludovicus; aliud cœlum fulgure & fulmine coruſcum præferebat inſcriptum: *Quo jubet iratus Jupiter*: præſignificare fortè voluerunt Ludovicum hactenus terraque marique victorem, nunc devictum; ejuſque militem hactenus terribilem nunc terraque marique abduci captivum, quo jubet iratus Jupiter, Deus, cujus honori, & gratiarum actioni, perpetuæque rei memoriæ, ſeu triumpho hæc tam illuſtris victoriæ ſigna in ampla Hagæ Comitis aula inter tormentorum tonitrua & joviales ignes ſunt expoſita & ſuſpenſa. Non injucundi tunc viſu fuêre duo argentei editi nummi, in cujus uno latere Ludovico XIV. in militari habitu deliquium patienti Angliæ Regina Anna ſub loricatæ ſpecie Minervæ haſtatæ, palmam invictæ eripit potentiæ, cum hac utrique inſcriptione: *Ludovicus Magnus: Anna Major*. Latus alterum currentem gerebat victoriam, palmam, & coronam geſtantem civicam, cujus ſcuto inſcriptum: *Clades Gallorum in Brabantia*, 23. *Maji*. Superſcriptio autem erat Ovidii: *Cura pugnacis facta Minervæ*. Quam circumdabant 12. ſcutula devictarum urbium: Nummi notabiles.

Lovanium, Bruxella, Mechlinia, Liera, Antwerpia, Furna, Aloftum, Athum, Audenarda; Brugæ, Gandavum, Danium, cum fubfcriptione: *XII. urbes cum provinciis intra XV. dies receptæ* 1706. Extrema autem nummi fuperficies erat hæc: *Dominus tradidit eum in manus fœminæ. Judith. cap.* 16. Nummus alter præferebat Ducis Marleborugi imaginem cum fuis competentibus titulis: in adverfo autem latere Martem devictos hoftes pertranfeuntem, triumphale unâ manu fignum, alterâ Brabantiæ, Flandriæ, & Antwerpiæ infignia gerentem, cum fymbolo: *Pretium non vile laborum.* Subfcriptum erat: *Gallis acie devictis, Brabantia, Flandria, Antvverpia XV. dierum fpatio ereptæ* 1706. Marginis infcriptio Virgilii: *Marte ferox, & vinci nefcius armis.* Hic certè victoriarum curfus tam infperatus adeo celebris non fuiffet, nifi celeritatem Marleborugus habuiffet auxiliatricem, quâ fi Bavarus initio certaminis [à Villerojo tunc prohibitus] prima Confœderatorum invadendo agmina ufus fuiffet, dubius, aut plurimùm faltem victoriæ fuiffet exitus retardatus: *Prolatatio enim inimica eft victoriæ.* Tacit. lib. 3. hift. *Statim exequi regium.* Idem. lib. 6. Quare Rex fubftituto exercitui belgico Vendomio, Villerojum Parifios revocat, plebi adeo de clade fufpectum & odiofum, ut domum & aulam ejus certò diripuiffent, nifi fubitò militaris adhibita vim repuliffet cuftodia; ad Lugdunenfem igitur fuam tutius abiit provinciam; utpote Rex ipfe potius prælium imperando cladis anfam dederat, qui hucufque victoriis glori-

Villerojus fit odiofus.

riosissimus, hisce cladibus admodùm afflictus, contractum inde morbum duplici sanavit phlebotomia.

483. Marleborugus interea temporis Bruxellis, & per totam passim Brabantiam & Flandriam nomine Regis Caroli III. publico Manifesto omnimodam indigenis stipulando securitatem omnibus & singulis cujuscunque conditionis & statûs militibus sub irremissibili capitis pœna quodlibet furtum, rapinam, insolentiam & molestiam ubicunque locorum exercitam inhibet, strictamque militarem promittit disciplinam. Tum ab urbis gubernatore, Marchione de Deinse invitatus, Bruxellas ingressus observantissimè à Brabantiæ Statibus, consilii Brabantici & urbis Deputatis exceptus, plura de re publica cum eisdem consultat, quem vellent Regem: responderunt ArChIDVCeM: non DVCeM GaLLIæ: & Churchilo urbis gubernatore admisso, hanc demum 6. Jun. communibus ediderunt suffragiis Brabantiæ Ordines resolutionem: Nos Carolum III. Regem nostrum legitimum agnoscimus, admittimus & veneramur, confidimusque à Majestate sua uti Flandriæ Comite certam hujus nostræ provinciæ privilegiorum, morum & consuetudinum confirmationem obtenturos, nec permissurum, ut illa tam sacra quàm politica ullatenus violentur aut immutentur, simulque ut consueta regiminis nostri forma, & modernus provinciæ status & usus in civitatibus, oppidis, territoriis, & judiciis permaneant; ærustcatores, & pecuniæ fœnori recens acceptæ approbentur, & tollan-

Carolus III. Rex in Brabantia proclamatur.

tur

tur demum omnes bonorum confiscationes hucusque exercitæ. In quorum tam communem quàm particularem securitatem hæc omnia Dux Marleborugus & Generalium Statuum Deputati approbare & confirmare non dedignabuntur. Acta in congregatione sacro-politica Flandriæ deputatorum in Curia Mechliniensi 6. Jun. 1706. Quæ omnia & singula nomine Caroli III. subscripserunt & confirmarunt Dux Marleborugus & Batavorum Deputati Ferdinand von Cöllen, J. H. Baro van Renswoude, J. von Goslinga & Cuyper: qui continuò castra comitantur, & omnibus bellicis intersunt consiliis & negotiis. Flandriâ verò Carolum legitimum dominum cum gaudio admittente, noluit eum Nuntius ibidem Apost. agnoscere, multis licet rationibus tentatus; jussus ideo inde discedere, abiit Insulas pascendus inter lilia.

Ei subditur Ostenda

Cursum porrò victoriarum Confœderati continuantes Ostendam robore validissimam, & triennali olim Ambrosii Spinolæ obsidione celebrem 20. Jun. invadunt, & 6. Jul. præter omnium expectationem deditione capiunt, quam ingens imprimis maturavit timor Gallorum animos nimium dejiciens; tum commeatûs inopia, tum incussus demum civibus & epibatis ab Overkerckio metus deflagrandi domos eorum & navigia, si auxiliatrices Gallis manus porrigerent, demissum sine armis, signis & tympanis Montes Hannoniæ præsidium cum Præfecto suo Marchione de Couvarubia, & Comite de la Motte Houdancourt hac conditione: ne intra 6. menses contra Carolum III. ejusque Confœde-

fœderatos militarent; plures autem eorum relictis Philippi castris sequebantur Caroli, insignis ibidem præter annonam fuit bellici apparatûs abundantia, 40 ænea & plura ferrea tormenta, stetitque hæc Confœderatis centum mortuis, & læsis trecentis. Inde Menam munitissimam gallici Belgii clavem, insigni celebris Vaubani artificio ædificatam 5. Augusti Generalis Salisch aggressus, & per dies aliquot acriter arietatam 22. Augusti ultroneâ intercipit traditione; præsidium die Divo Ludovico festivo, & Ludovico XIV. victoriis celebri, inde Caramanus Præfectus traducit Duacum: obsidionis solutionem Galli quidem tentare voluisse credebantur, nisi cum exercitu Marleborugus eorum vigilanter motus observasset, Locus ab annis aliquot solidè roboratus, levi tamen militum 481. jacturâ, & 2031. læsurâ occupatus fuit, Gallis decem cæsorum millia frustra garrientibus. Vix occupata erat Mena, paucis pòst diebus submittit se quoque vincentium potestati (5. Septemb.) Dendermonda, ob paludes, ubi Dender fl. Scaldim influit, vix accessibilis; destructum namque iteratâ machinarum vi defixum castellum, & munitionem exteriorem armatâ vix manu ceperant, & illicò traditionem offerunt, captumque præsidium mittitur in Hollandiam. Complementum hujus annuæ expeditionis fuit Athum, ad fines Hannoniæ urbs validissima, quam anno 1697. in vere Galli interceperant, & ultimo pacis tractatu Hispanis in ejusdem anni authumno restituerant; ideoque murorum ruinæ necdum reparatæ, sed gerris

Mena.

Dendermonda.

Athum.

ris & cæspitibus tantummodò obstructæ; non tamen in hac, sed alia urbs parte 21. Septembr. est invasa, & 2. Octobr. obtenta, præsidium 1600. libertate exutum aliò est deductum: oppugnatorum vero tum læsi, tum cæsi sunt circiter 900. atque ita exercitus laboribus exhaustus, sed meritis & victoriis gloriosus ad hybernalia 6. Novembr. est dimissus, postquam Cortricum contra hostium excursiones & invasionem sufficienti fuerat robore firmatum.

Classis Anglica nequit excurrere.

484. Marleborugus Hagam Comitis 9. Novembris delatus, expeditis ibidem cum Generalibus Statibus & aliis confœderatis negotiis, 25. ejusdem transfretavit in Angliam, quæ anni quidem principio navalem 12000. armatorum classem Galliam invadendi causâ paraverat, numerabatque 12. lembos & orarias. (quæ sunt majorum ancillæ, & legunt oram litoris) quarum singula 80. continebat milites, ut unâ simul vice duodecim illæ orariæ 900. classiarios in oram exponerent; jamque binis expeditionis Dux Comes de Rivers vicibus se ventis crediderat, sed adversis semper rejectus, magno Galliæ emolumento, quæ tunc non exiguum eversionis effugit periculum, non vanè à Ludovico formidatum; unde quidam:

Ludovicum Magnū humiliavit Anna.

Fœmina te domuit Magnum, Ludovice, Britanna
Major te, interitum perficit Anna tuum.

Vel ut alius:

Anna dedit vitam, sed rapit Anna decus.

Anna nempe Philippi III. filia, Ludovici ma-

mater dedit ei anno 1638. 2. Septemb. vitam; altera Brit*anna* (ultimo grammate) Anna rapit ei gloriæ decus & famam, quæ vitæ æquiparatur *L. Justa 9. princ. ff. de man. vind.* immo vitæ præfertur. *L. Isti quidem ff. quod met. caus.* & est maximum bonorum. *Gloss.* 1. *in extravag. ad conditorem. de verb. signif.* *Mirabor* (inquiebat olim ille apud *Plutarchum de conviv. 7. sap.*) *si gubernatorem videro senem*: notatumque est, quòd inter Reges Franciæ post Ludovicum XI, nullus excesserit annum clymactericum 63. ut refert Cominæus, præter unum Ludovicum XIV. anno 1715. 1. Septemb. mortuum, & omnes Reges Franciæ Henrici violentâ sint morte sublati. Observatum etiam, quòd intra C. annos, à quo tempore Franciscus I. animum adjicere cœpit ad impia cum Paganis fœdera, vix unum reperies Regem, qui naturali & suavi defunctus sit morte; cùm tamen ante illud infelix sæculum nullus Galliæ Rex hostili fuisset ferro peremptus, uti *Eugubinus & Thomas Bozius lib. 7. de ruin. gent.* advertunt. Hic Franciscus I. quamvis multos progenuisset Principes, ejusque stirps & familia pluribus constaret capitibus, solio tamen & regno privata, atque violentâ est morte sublata: nam Franciscus primogenitus ejus, vivente adhuc parente periit veneno. Novem pòst annis filius alter Carolus Dux Aurelianensis peste conficitur: tertius filius Henricus II. regnum adeptus in nuptiis Isabellæ sororis Philippo Hispaniarum Regi desponsatæ decimo sui regiminis anno interiit hastiludio. Hujus quinque filii coronâ regiâ aut nunquam aut

Regum Franciæ immatura mors.

aut brevi potiti sunt tempore: nam primogenitus ejus Franciscus II. decimo sexto ætatis anno, & 17. regiminis mense sublatus quoque est veneno; secundo genitus Ludovicus Dux Aurelianensis puer obiit: tertio genitus Carolus IX. Rex improles anno 25. ætatis non sine veneni suspicione decessit: Henricus III. Rex cultro seu gladio brevi post adeptam coronam 1589. confoditur: quintus demum Henrici filius Hercules Franciscus Dux Alensonius trigesimo ætatis anno ab inaudito hactenus morbo est oppressus, qui per omnes corporis poros sanguinem simul & spiritum, non sine tamen veneni suspicione extorsit; atque ita Regia Francisci Valesii stirps omninò perempta, & Galliarum Regno est privata. Porro Henricus IV. Magnus Bourbonius 20. regiminis anno 1610. 14. Maji per Franciscum Ravaillac cultro necatus est. Ludovicus XIII. si non turpi, saltem misera periisse morte dicitur. Ut verò ad Franciscum redeam & animum partibus infectum effugiam, videantur Metensis Episcopus Belchairus *lib.* 20. *num.* 36. & Raynaldus in histor. ecclesi. *ad annum* 1551. *num.* 72. ubi sic ajunt:

Cur regnum à stirpe Valesia in Borbonicâ translatum.

Franciscus I. Valesius optimè stirpis suæ amplitudini consuluisse sibi visus fuit, dum impedito per omnes vias Tridentino Concilio perpetuos in Germania hæreticos impio sibi fœdere junctos, hostes Austriacis Carolo V. & Ferdinando I. opponeret: ob quod arcano Deus permisit consilio, ut Helvetii Sacramentarii Zwinglianam in Gallias inveherent hæresim, quâ Valesia Francisci Regis stirps intestinis hæreticorum tumultibus penitùs ex-

excisa, Gallia innumeris cædibus & incendiis deformata, & regnum in Borbonicam denique stirpem sit translatum. Ita Belchair. & Raynald. *loc. cit.* Idem Franciscus ad continuandum contra Austriacos bellum Solimanno Turcarum Imperatori per Polinum Legatum suum confœderatus, tam nefando fœdus confirmavit juramento, ut si illud violaret, tantumdem foret, ac si Sanctissimæ Trinitatis violaret fidem, negaret Christi divinitatem, Mariæ virginitatem & maternitatem, Christi in Ss. Sacramento præsentiam, & illius loco suem adoraret, & ejusmodi impia & nefanda alia. *Subsecuto igitur an.* 1543. *bello Franciscus turcicam evocat cum Barbarossa in Italiam classem* (ait Masenius *in anima hist. lib. 6. num.* 21.) *qui à Pontiis insulis ad Ostiam Tiberinam appulsus tantam Romæ, vicinisque populis trepidationem incussit, ut nisi Polinus Francisci legatus literis Romam perscriptis consternatos à pavore revocasset, urbs brevi deserta populo, defensioneque omni caruisset. Triduo pòst motâ Barbarossa classe Etruriæ Liguriæque oram sine accolarum noxa* (*secus quàm in Neapolitana fœdè devastata fecerat*) *prætervectus, Niceam urbem occupat, sed arcem loci naturâ, ac Præfecti Pauli Simonis constantiâ egregiè defensam deserens, Tolone magno procerum studio, ac provinciæ impendio per hyemem altus substitit; classis verò pars in Hispaniæ litora prædatum emissa magnis ditata spoliis Algerium se contulit. Barbarus anno sequenti sanioris Regis consilio, quàm accersitus fuerat, missionem accepit. Magnis hic cultus à Gallis muneribus, atque etiam à Ge-*

Francisci I. fœdus cum Turcis impiissimum.

nuensibus, quos intactos reliquit; sed Etruscis, Brutiis, Liparaque Insula revertens ingentem & miserandam hæc classis intulit cladem: Christiani enim tanto passim numero in servitutem sunt abducti, Gallis nequicquam deprecantibus, ut fame mœroreque confecti, totum mare, Byzantium usque cadaveribus insternerent; neque se aliter, quàm Christianorum exitio pro Christianis pugnare ostenderent. Ita Franciscus denique comperit, quo ad famam & fortunam emolumento immanissimi hostis præsidia evocaverit, quæ, superis hanc impiissimam temeritatem improbantibus, ingentia pro auxilio damna, pro speratæ victoriæ gloria æternum Christiani nominis dedecus reliquerunt, & infelicissimam animæ ejus fortè pepererunt æternitatem: nam tribus ante mortem annis delirationem & desperationem concipiens, continuò per diem & noctem gravis conscientiæ morsus ejus obtrudebat animo, illas tot Christianorum in servitutem à barbaris abductorum naves, eorumque gemitus & lamentationes, diræ & imprecationes auribus ejus semper insonabant, quas neque moriones facetiis & ludicris, nec suâ doctores eloquentiâ & argutiâ, nec viri religiosi divinæ spe misericordiæ, ardentibusque suis precibus, nec Confessarii admonitionibus & dehortationibus valuerunt elidere aut dissipare; sed ut Parisiensis ait Jesuita Causinus (apud quendam anonymum Staats-Sonne *fol.* 19.) repetebat continuò: salvus fieri non potero, damnatus sum, nec ullum salutis meæ superest remedium, qua in desperatione etiam mortuus decessit.

Misera ejus mors.

Quod

Quod idem impiissimum fœdus coram Sigismundo Poloniæ Rege detestatus Episcopus Casertanus Benedictus Mandina Legatus Apostolicus, sic de eodem loquitur: *Franciscus I. Galliarum Rex moriturus exclamavit: perii, heu! perii, quòd volui fœderatus esse ei, qui hostis est Christi. Cardinali Guisio subjicienti misericordiam, pœnitentiam, consolationem ex sacris literis benè multum: omnis, inquit, misericordia mihi clausa est, qui ut æmuli mei (Caroli V.) vel gloriam infuscarem, vel vindicarem injuriam, fœdus pepigi cum Turca, & Christianorum capita tanquam armenta ad Mahumetanam servitutem vivus, vidensque passus sum abigi. Eâ autem* (pergit Mandina) *sum charitate in mortuos, ut facilè credam, has voces esse extremè potius dolentis quàm desperantis; id tamen negari non potest, Franciscum pœnâ vivum, mortuumque mulctatum esse, quâ in terris cogitatu est maxima.* Knichen *in polit. 2. sect. 3. cap. 10. col. M.* 1315. Quare Fulco Archiepiscopus Remensis in illum ita acriter insurgit: *Quis non expavescat, vos inimicorum Dei amicitiam velle, ac in cladem nominis Christiani pagana arma, & fœdera suscipere detestanda? nihil enim distat, utrum se quis Paganis societ, an abnegato Deo idola colat.* Ideoque Belcairus Episcopus Metensis, *Comment. rerum Gallic. lib. 22. num. 3.* scribit: *Christianos omnes, qui hujusmodi auxilia implorarint, aut infeliciter cæsos, aut in miseram servitutem conjectos, aut suis ditionibus expulsos esse.* Alius scribit auctor, à quingentis fermè annis septimum quemque Regem Galliæ ab

hoste victum & captum fuisse à tempore S. Ludovici IX, qui anno 1250. cum duobus fratribus Alphonso & Carolo in Ægypto à Saracenis victus fuit & captus, quingentisque librarum millibus tandem redemptus, ab hoc septimus ordine Joannes I. anno 1356. ab Eduardi Regis Angliæ filio cæsus & captus obiit in Anglia. 7mus ejus numero successor Francisc. I. A. 1525. Febr. 24. à Carolo V. Ticini profligatus & captus ductus est in Hispaniam: tandē 7mus ab hoc ordine numero & nomine bis septem Ludovicus XIV. hactenus semper ferme victor, ultimis vitæ suæ annis sæpius à Cæsare Leopoldo & Anna Britanna, Ducibus Eugenio Sabaudo & Marleborugo ad internecionem victus quidem, nunquam captus est, annum tamen 63. dum hæc scribo, excedens, sed morbo ex inaudita venere affectus, similem an subiturus mortem, novit ille, *qui aufert spiritum Principum.* Psal. 75. 13. quique olim per Jehu Prophetam Josaphat Regem Juda fœdere cum impio Achab Rege Israël constrictum sic affatus est: *His, qui oderunt Dominum, amicitiâ jungeris; idcirco iram Domini merebaris.* 2. Paralip. 19. 2. & per Eliezerum 2. Paralip. 20. *Quia habuisti fœdus cum Rege, cujus opera fuerunt impiissima, percussit Dominus opera tua.* Metuo autem Ludovico XIV. climactericum longè excedenti annum terribiliorem (opto meliorem) quàm prædecessoribus mortem, qui impiora, frequentiora & atrociora cum Turcis & hæreticis pactus fœdera, consilia, arma, militem, nervum, opes & frumenta illis subministravit, viam illis aditumque in

Ludovicus XIV. ejus successor.

in Christianas provincias, Romanumque Imperium inauditâ crudelitate, urbium & provinciarum devastatione, deflagratione, & tot Christianorum deploranda servitute patefecit; qui prostitutâ omni humanâ divinâque fide tam horrendis firmata juramentis fœdera tam perfidè infregit, non suum imitatus prædecessorem Carolum Magnum, etiam hoc magnum, quòd suum gestaret sigillum insculptum sui gladii capulo, velut eo propugnaturus, quidquid hoc signasset, & verbis promisisset. Hic regiam non solùm fidem & juramentum perfidiæ gladio jugulans, tota insuper regna ad nefandas in legitimum Regem factiones, perfidiam & necem consilio, ære & ope fovit, promovit, & infinitis cædibus, rapinis & incendiis ad extremam labefactavit ruinam, & penitus evertit, unde Poeta:

Omnia conatus; justum tibi, fasque piumque,
Et Sacramenti fœdera crimen erant.
Degener ambitio nullum servavit amorem
Christicolis, Christi sanguine tincta fuit.
Hic tibi cunarum, sedet hic labor ipse juventæ,
Et senii, ut nulli parcere, sæve, queas.
Nec satis est insontum te salutarier ipsum
Sanguine, in auxilium barbara castra vocas.
Non templum, non sacra domus non libera per te
Regio, & est nusquam cladibus ulla quies.
Falleris ah! demens, non hoc stat fœdere mundus,
Sævitia ut justos opprimat, atque furor:
Tentatur quandoque probus: sed tempore tandem
Surgit, & injusti criminis ultor adest.

Perfide pertingis metam, mensuraque plena est
Injustis spoliis: reddere rapta decet.

486. Interea temporis dum omnia Bruxellis officia, Senatus, Status & Collegia Caroli III. nomine immutantur, eidemque fide & juramento obligantur, avocatorio diplomate hispanus miles & indigenæ revocantur, exterminantur Galli Brabantiâ, novi denique coguntur sumptus, nervus & miles, Ludovicus Rex literis per Ducem Bavariæ ad Marleborugum & Generales Hollandiæ Status 20. Octobr. datis armistitium & particularem affectat pacem, ad quam modò Helvetius Callieres, Roville & Comes Avaux erant à Rege destinati; veruntamen hi sine sociorum scitu & consensu componi ullo modo posse negant; nec profuturam ajunt; nisi Europæ universalis detur & constans, quam ambitiosa Ludovici perfidia pro suo non possit lubitu, ut hactenus est compertum, violare, & ex nova pace nova serere nequeat bella multò atrociora. Nonne ex Piræneusi pace tam horribili firmata juramento mox perfidum in Belgio subsecutum est bellum? quid tot in Hispania, Belgio, & Imperio Rom. iniquas peperit hinc inde prætensiones, & Metensem reunionis Cameram nisi pax Neomagensis? Argentorati in Germania, in Italia Casalii occupatio perpetuæ inter Rom. Imperium & Galliam pacis futurum assentabatur remedium; sed facta est Germaniæ pestis totam latè inficiens consumensque viciniam. Quid emolumenti & tranquillitatis pax Ryswicensis & Hispaniarum partitio, ut sanctè à Ludovico promittebatur, Europæ contulit? nun-

Pacem petit particularem.

Paces hucusq; initæ potius noxiæ.

nunquid bellum, & bellum quidem per universam adhuc cædibus, rapinis & incendiis Europam cruentissimum? pacem Rex sinceram & constantem non cogitat; sed ruptá confœderatorum concordiâ [quod unicum Ludovicus intendit] restauratisque viribus adulterinam repudiare pacem, & Bellonam concupiscere, hæc impia praxis est Bourbonica: hæc iterata hucusque pacis repudia toti nunc Europæ sunt odiosa & damnosa; nam perfida illa pacis fœdera plus Europæ nocuerunt, quàm offensiva Ludovici arma; hinc credula nimis sæpius decepta, nunc cautior rapta repetit, non armis quietura, donec antiquis Gallia finibus coarctata minùs potentior & insolentior firmam imposterùm & constantem servare pacem compellatur. Forte ingens etiam pecuniæ inopia Regem ad paciscendum necessitaverit: fuit enim tunc 400. millionum capitalium debitor, quamvis octavam clericorum, & tertiam sæcularium in regno suo proventuum partem exegerit hisce belli temporibus.

Hæc prospera anni expeditio, quia tot victoriarum palmis fuit gloriosa, Regina Britanniæ Anna armipotenti Deo per universum regnum suum in gratiarum actionem eucharisticum indixit diem, quem ab omnibus sub pœna sanctissimè observari voluit, & compositam ab Episcopis orationem ad Deum fundere. Concordia quoque seu unio tandem Anglo-Scotica pluribus disputata ambagibus, magno utriusque nationis gaudio & emolumento expedita est & subscripta 110. votis, aliis 69. votis dissentientibus.

Unio Anglo-Scotica composita.

Terribilis in Aprutia terræ motus. bus. In Regni Neapolitani provincia Aprutia 3. Novemb. horribilis terræ motus unius horæ quadrantis spatio 36. urbes, oppida & arces evertit, 15000. hominum oppressit & contrivit, sex verò millia miserè sauciavit.

In indicto 17. Novemb. Badæ in Helvetia conventu ventilata est inter Abbatem S. Galli, & Suitienses Glarionesque de supremo Comitatûs Toggii in abbatis territorio jacentis dominio controversia: illi quidem cedebant Abbati jurisdictionem criminalem; sed negabant, prohibebantque indigenis fidem homagiumque eidem præstare. Re ad generalem Badæ conventum delatâ, Abbas per suum ibidem Deputatum declaravit se Comitatum Toggiensem non quà Helvetiæ consortem, sed quà Imperii Rom. Principem possidere: cujus se feudum 22. Novemb. ajebat à Cæsare adeptum; ideoque omne omnino jus Helvetis denegabat. Quæ declararatio omnes in admirationem rapiens conventum dissolvit, non leviter Abbati dedignatum. In hujus Comitatus finibus monasterium Renti flamma cum copioso Tigurinorum annonario & armamentario consumpsit, damno centum millium Impp.

Vigesima septima Novemb. regia solemnitate Berlinum ingressus est Hæreditarius Borussiæ Regis filius cum neosponsa sua filia Electoris Luneburgo-Hanoverani. Viennæ quoque 12. Decemb. Franciscus Ferd. Baro de Rummel in episcopum Viennens. solemniter assumptus est, quondam Josephi Imperat. institutor. Insulis quoque in Belgio in parochia S. Mauritii Joseph

Cle-

Clemens archiepiscopus Coloniensis Elector in festo nativitatis Domini ab Episcopo Tornacensi consecratus est episcopus, & in festo circumcisionis Domini in templo PP. Societatis Jesu anno 1707. celebravit ibidem primitias, fratremque Emmanuelem communicavit.

Annus 1707.

Kalendis Januarii 1707. publico præconio declaratur in Saxonia pax à mense Septembri anni præteriti sancita inter Augustum Poloniæ & Carolum Sueciæ Reges. Nullam aliam visum est rationem fuisse, cur tam longo silentio pax premeretur, nisi quod sine Czaris scitu, & inclusione pacta fuisset, ne forte ejus officiis diverteretur, protraheretur que Saxoniæ calamitas, cui per exercitus Suecici moras subjacebat; nihilo tamen secius Sueci stationes suas in Saxonia per alios octo menses protraxerunt, nequicquam accelerantes discessum, ea qua videbantur reges familiaritate convivere, & se mutuis epulis recreare. Auspicamur autem annum 1707. variis belli vicissitudinibus obnoxium, ad cujus expeditionem studiosa erat utriusque partis præparatio: Britanno-Batavi haud contemnendum Carolo III. subsidium tam equestre quàm pedestre per Comitem Rivers classe submiserant, ut ejus modò exercitus triginta duo armatorum millia numeraret, Andegavensi par equitatu; atque ita Carolus 15. Februarii Valentiâ Tortosam abit, Comitemque Noyellem Arragoniæ proregem præficit, cujus regni Status

In Hispania utriusq; partis ad expeditionem præparatio.

auctoratis aliquot legionibus centum imperialium millia in belli nervum uti & Cataloniæ Ordines suppeditarant. Nec feriatus Andegavensis à dominiis hispanicis nervum, bellicum, & à Clero quatuor mensium spatio duos exigebat milliones, dicto etiam tempore præstitos: magnam deinde ad fines Valentiæ copiam annonæ colligit, maturéque Dux Berwicensis accedens Albocertæ castra ad præmaturam cuncta dispo-nit expeditionem: & quia Philippum Andegavensem prægnans detinebat uxor, Ludovicus Rex fratrem suum Ducem Aurelianensem præficit exercitui, spe majoris ibidem gloriæ quàm priori in Italia anno aucupandæ.

Minorca Carolo subditur

Variæ proditiones patefactæ.

Balearis interea Insula Minorca se Carolo, excepto Portu-Maono submiserat, quem eam ob causam indigenæ à longè cingebant; sed quia hæc Gallis urbs magno erat emolumento futura, Villarius eques expeditâ Massiliâ & Thoulone classe eò tumultuariè provolans, depulsis indigenis totam recuperat insulam: tribunus quidem oppidi Ciudadelæ insulares incolas ad Caroli fidem conatus reducere, subdole captus, & in Galliam cum sociis est deportatus: Carthagenæ etiam detectâ mature factione quatuor ejus auctores jam fugam mari meditantes, ipso facto 6. Februarii sunt suspensi: In Sardiniæ metropoli Cagliari nobilis quidam hanc Carolo insulam traditurus, sed deprehensus in Galliam relegatur: in Estremadura provincia omnium confiscantur bona, qui nuperam ibidem Lusitanorum irruptionem non impediverunt: & contra omnes Arragonios, Catalonos & Vale-

lencenos pœnalem judicialem instituit Andegavensis processum, in eorum apprehensione certò exequendum; atque ita benevolum Hispanorum in Carolum affectum fune & rotâ, quem humanitate gallicâ, utpote suspecta & inconstanti eradicare eorum animis non poterat.

Carolus autem convocato Valenciæ bellico consilio decreverat totum per Arragoniam exercitum Tago fl. tunc permittente in Castiliam traducere; & ut conservaretur Valentiæ regnum exercitus maturè in campum eductus consumptis hinc inde hostium annonariis valida quædam occuparentur loca, & dispersæ adhuc legiones hostiles, antequam colligerentur, tumultuariè opprimerentur.

489. Hisce conclusis & ratihabitis Marchio das Minas & Comes Gallowajus. 6. mensis Aprilis exercitu in campum educto hostiles domos annonarias Caudatæ, Yesæ, & Montalegræ destruunt, plures hostium turmas in Castiliam rejiciunt, & Villenæ arcem 7. dierum obsidione cingunt, quam Berwichus archistrategus (nam Aurelianensis Dux alterâ post pugnam die prius castra accessit) liberaturus, commeatum Valentiâ hactenus confœderatis adductum interdicere intendebat; ne igitur Valentiæ regnum hostium cederet direptioni, & confœderatorum exercitus omni spe subsidii destitutus grassantibus in eo morbis magis deficeret, communi consilio Almanzam 24. Aprilis abeunt aggressuri Gallos equitatu 6000. superiores, & ad prælium jam paratos. Ad tertiam circiter pomeridianam 25. April. Gallowajus cum britan- Almanzensis pugna Carolo infelix.

no

no Batavicis ſiniſtræ alæ epimachis dexterum Gallorum equitatum adortus, ultra L. paſſus repellitur; ſuccenturiatæ autem binæ pedeſtres Soutweli & Wade legiones Gallos rejicientes primam eorum lineam turbant & confundunt: peditatus præterea Britanno-Batavicus tam fortiter cruentéque in hoſtem irruit, ut turbatis ejus ordinibus ad muros uſque Almanzæ illum propelleret, atque obvios quoſvis proſterneret; ſed mox à ſubvenientibus Gallis denuo propulſatur, & duæ confœderatorum cohortes penitùs necantur ab illis; qui dexteram Luſitanorum alam langueſcentem obſervantes eam tumultuarie perrumpunt, Luſitanuſque in fugam ſe convertens equitatus deſerit peditatum à Gallis circumcinctum, captum, aut mactatum; ſiniſtra vero ala non modò hoſtium generosè vim ſuſtinebat; ſed quia ex defectu equitatûs Gallowajus huic Britannicum interpoſuerat peditatum, ſexdecim Gallorum turmas equeſtres diſſipat & rejicit; his ſuccenturiatæ novem pedeſtres Gallorum cohortes hanc Britanno-Batavicam ſiniſtram alam multùm acciſam, & pluribus orbatam tribunis furiosè inſiliunt, & agunt in fugam; duobus abhinc milliaribus duo peditum millia Gallicus quidem in fuga comprehendit equitatus, quorum tunc manus generosâ defenſione ad montes elapſa, die alterâ ob annonæ & pulveris defectum, viribusque exhauſta, hoſtium (comitis Asfeldii) ſe poteſtati tradiderunt. Plures in arena Galli, quàm Confœderati occubuerunt; ſed fugiente equitatu totus confœderatorum peditatus aut contritus aut

ca-

captus est, numero 9000. capti præterea 837. belli officiales, signa tam equestria quam pedestria 120. cæsa vero sunt 5000. & universim cæsorum, læsorum & captorum 15000. dicuntur. Gallowajus & Das Minas cum reliquo equitatu transito propè Tortosam Ebro fl. in Cataloniam ad Caroli copias confugerunt, duplicatoque Alciræ, Xativæ, & Alicantæ præsidio, Cataloni suam in Carolum fidem & devotionem novo confirmarunt juramento, immani hac quamvis strage fuerint admodùm consternati, quæ tanta certò non fuisset, si Caroli equitatus 3000. gallico 6000. fuisset æqualis; si portugallicus deinde equitatus præcipitem nimis fugam deserto atrociter peditatu non arripuisset; nisi denique Carolus diviso exercitu cum parte copiarum discessisset (quorumnam consilio?) in Cataloniam, quem neutiquam latere poterat omnium ubique Gallorum oculos cunctos suos observasse motus & consilia: ideoque omnibus Philippus non tantum tormentis 20. & impedimentis, sed binis etiam duorum Regnorum Arragoniæ & Valentiæ potitus est coronis, eórumque urbibus & munimentis, eidem mox non sine crudelitate submissis: nam omnes Valentiæ & Arragoniæ urbium cives armis & antiquissimis exuti sunt privilegiis, eaque in perpetuam flammis consumpta sunt oblivionem, Valentiæque arcem urbis domitricem velut capisterium imposuit. Almanzæ verò nobili, fideli & felicissimæ, uti indigitabat, urbi, oculatæ victoriæ testatrici omne restans remittit tributum, & liberas privilegiatasque quotannis 15. die-

Causa stragis

quâ duo amittit regna.

dierum, à D. Marci festo, ejus victoriæ anniversario, nundinas instituit.

Andegavensis plura Valentiæ & Cataloniæ &c. loca subjugat.

Aurelianensis diviso exercitu, relictoque ad Valentiæ defensionem ibidem Asfeldio, cum reliquo exercitu in Cataloniam pergens Saragossam, seu Cæsar-Augustam Arragoniæ metropolim novâ quoque arce contra Hispanorum directè privilegia [nam in Regis admissione Arragonii regni Ordines hisce illum affabantur verbis : *Nos tanti, quanti vos valentes, in Regem dominum nostrum hac admittimus conditione, ut libertates & privilegia nostra conservetis sarta tecta inviolabiliter, aliàs non*) communit, seu potius refrenat : cui duo contradicentes primarii cives suspendio inauditi sunt condemnati, fortunæ aliis confiscatæ. Inde Aurelianensis Fragam transvadato flumine (cujus pontem confœderati flammis consumpserant) contendit : hujus direptionem cives sex pistoletorum millibus redimere, & suis restaurare pontem sumptibus adigebantur. Berwickus Tortosam Cataloniæ recenti à Gallowajo confirmatam præsidio frustra non sine detrimento tentat; Balbastrum & Alcira ultroneè se hostium potestati submittunt : Xativam in Valentia armatâ capiunt manu, & traditione castellum, acriter per tempus aliquod defensum. Hanc Andegavensis urbem solo fœcundam & amœnam, speciosisque ter mille ædificiis augustam, exceptis templis & monasteriis totam flammis crudeliter evertit, & in bustis ejus cum hac inscriptione erexit columnam : Hoc in loco stetit antehac urbs Xativa, quæ anno 1707. solo æquata, quia per-

Xativâ flammis funditùs evertit.

perduellis Regem suum & patriam prodere voluit. Cives profugi la Mancham se contulerunt. Hostium se præterea potestati submittunt Gandia, Oliva, & ad pyrenensium montium aditum Ainsa, Mirabela, & Mequinenza: in Catalonia Dux Noaillus urbem Bescaram & arcem Caraboursam occupat, omniaque ejus demolitur munimenta; tantam Almacensis strages Arragoniæ & Valentiæ regnis intulit cladem, quarum libertates & privilegia novo sub 29. Junii Madritensis Senatûs diplomate iteratò revocata, & penitùs sunt sublata, irrito contranitente licet Duce Aurelianense, ut iis saltem urbibus reservarentur, confirmarenturque privilegia, quæ Carolo se necdum palam submiserint.

490. Carolus interea justo quidem XX. millium auctus exercitu, impar tamen adhuc Gallorum multitudini majus expectabat subsidium, & majorem Gallorum retardabat progressum annonæ, ærisque carentia; ideoque 22. Augusti haud procul Belcairo frumentaturi à Carolinis interdicti velitatur utrimque strenuè, cæde trecentorum æquali. Lampourdanensem etiam provinciam à Carolo deserere Galli coacti, urbem tamen Valentiæ Villam Hermosam cæsis potissimùm præsidiariis rusticis occupant, & ignibus subjiciunt, devictâ deinde Consenteinâ Alcojum meditantur invadere, dum 25. Augusti Andegavensi primogenitus nascitur Ludovicus Philippus, quem Hispanorum more Asturiæ Principem appellatum voluit, qui Hispanorum instantiâ Anglis Batavisque commercium, licentiamque neutralibus merces navibus in Iberi-

Variæ utriusq; partis velitationes.

cos

cos invehendi portus permiserat, quod Gallorum tamen Rex Ludovicus non sine Hispanorum denegabat querimonia.

Illerdã occupat

Aurelianensis jam pridem Illerdam limitaneam Cataloniæ urbem ad Segram fl. duplici arce munitam invasurus, æris hactenus defectu remoratus, oppignoratis demum gemmis & pretiosis suis, tertio eam Octobris impugnat pluvioso licet aëre primùm impeditus; ne autem glorioso victoriarum hoc anno cursui hic metam ponere cogeretur, 12. Octobris sex pyrobolariorum vexillationibus, & octo bombardiorum millibus aggressus stricto gladio capit, ingenti potitus præda, securitatis causâ à vicinis ibidem deposita. Præfectus urbis Princeps Darmstapiensis cum præsidio ad arcem confugiens, subsidiumque mox adfuturum expectans generosè illam defendit, & plurimos hostium prosternit; haud enim procul justo cum exercitu aberat Gallowajus, populari quindecim millium tum peditum, tum equitum subsidio confirmatus, obsessis opitulari omni studio desiderabat; sed Berwickus illum prope Angelosam cum XVI. millibus non solùm vigilanter observabat, sed Aurelianensis etiam exercitus ad XXV. millia auctus Gallowajum absterrebant; qui tamen 21. Octobris factâ excursione gallos castrensibus suis vallis, & vicinis arci domibus expellit, mox tamen inde tormentis ejectus, eversis domibus arcem repetit, quam Aurelianensis extructo ibidem tormentario aggere continuo flagellat, accedente autem XX. millium exercitu propius Gallorum castra Gallowajo, ne

ne perrumperet, intermissâ paululum oppugnationis vehementiâ, potiorem ei militem opponit, & omnes oppessulat accessus: hic autem, Gallowajus Valageæ duabus Illerdâ horis Gallos aggressus, cæsis eorum sexcentis, & equis mille captis, opulento illos expulit granario. Sed cùm illius quoque motus obique observaret cum æquali exercitu Berwickus, obsidionis frustratus fuit solutione; & ingenti Aurelianensis usus in urbem impetu ad spontaneam cogit 14. Novembris deditionem, Præfectusque Henricus Princeps Hasso Darmstadiensis, & præsidiarii translatis feliciter Barcellonam pretiosioribus, militari more & honore ad Gallowaji demissi exercitum, inde Tarracum, seu Tarragonam versus abeuntem; militantes autem ibidem sub Caroli signis Miqueleti, [sunt milites montana infestantes] captivitate sunt innodati. Alcojum præterea eo redegerant Galli angustiarum, ut deditionem offerrent ultroneam, nisi intra triduum adveniret succursus. Et ecce adsunt 400. armati rustici, qui facta cum præsidiariis excursione tantum Gallis invasoribus incutiunt terrorem, ut relictis castris & impedimentis turpem capiant fugam; reversi tamen postmodum ob sufficientis præsidii defectum locum haud invalidum occupant. Sed General. Mahonus spe prodendæ sibi Alicantæ & Deniæ frustratus, debuit discedere; sine quibus obtentis Valentiæ regnum vix se Gallis submittet. Dux autem Noailles desertam à 300. à Carolinis præsidiariis ad ejus adventum aufugientibus, Puicerdam ad Segram fl. & Belverum intercipit. Andegavensis ut Arrago-

niæ regnicolarum sibi animos conciliaret, confirmaretque, Turiasum ad fl. Quejos & Yaccam singularibus ornat privilegiis & libertatibus, Hispanorumque cum Gallis indulget commercium. Carolus econtra in Catalonia Tarraci ad mare mediterraneum moratus sopitâ Barcellonæ ob falsum sui discessûs rumorem seditione, regnique proceribus notificata sua cum Elisabeta Brunschwicensi Ducissâ desponsatione, varias Cataloniæ urbes firmioribus vallare jubet munimentis, Tarracum, Cerveram, Cardonam, Girundam &c. Ne ulterior Gallis in Cataloniam pateret aditus: militem deinde ad hyberna demittit promissum ex Anglia & Italia expectans succursum. *Vid. num.* 518. 519.

Lusitanorum cunctatio suspecta.

491. Lusitanorum Rex si justo in Hispano-Gallos maturius exercitu [uti cum 10. peditum, & 2. equitum millibus se facturum promiserat] movisset; tam cruenta forsitan Caroli clades subsecuta non fuisset. Magnum quidem Dux Çadavallus Lusitanorum Generalissimus Olivenzam conduxerat commeatum, insignemque præferebat expeditionem, quam iners tamen cunctatio, aut fortè Boubonicus Cadavali interrupit affectus. Exiguam interea Galli urbeculam Rosmarinam invaserant & diripuerant; arcem tamen opportuno ducentorum peditum subsidio à Lusitanis confirmatam frustra tentarunt; Dux verò Ossuna Lusitaniam invadens, Mouram & Serpam ad Guadianam fl. capto præsidio suæ facit potestatis: tum occupato Pilas oppido, eoque devastato, & civibus internecivè deletis Olivenzam in provincia Trans-

Ta-

Tagana arcem probe munitam novis ex Arragonia & Navarra subsidiis confirmatus aggressurus, ab æstuante potius canicula, quam à Cadavalo, remoratur; hic enim in campum detrectabat prodire, nisi promisso à Britannico Duce Mortandro 4. millium Anglorum suffultus subsidio, quod propediem affuturum Dux etiam astipulabatur; nihilo tamen minus gallica in aula Lusitanica factio plurima sana pro Austriacis suspendebat, imo evertebat consilia. Atque ideo Marchioni de Bay non adeo erat difficile limitaneam in provincia Legionensi civitatem Rodrigo invadere, hanc namque vigesima Septembris aggressus, sensit quidem defensores primùm generosos; sed dum 4. Octobris trium horarum petunt, obtinentque armistitium, Bayus 400. pedites summo per murorum ruinas silentio immittens, urbem, & duo præsidiariorum millia & 56. militaria signa capit, in Galliam transmissa; quo Lusitani frequentibus Gallorum excursionibus amodo certi, & præda futuri, haud leviter sunt turbati. Ad finem quoque Octobris ingens Ulyssiponæ incendium ultra 200. Croisatarum millia intulit damnum, ab incendiariis, ut credebatur, clandestine excitatum, in quos studiosissime diu noctuque inquisitum. Rex ipse variolis periculose decumbens, pristinæ restitutus sanitati, Austriacam sibi desponsatam Ducissam expectabat, & ad validiorem futuri anni expeditionem se præparans, fœdus cum Austriacis & confœderatis pactum sanctè & inviolabiliter hactenus servatum confirmavit.

Lusitanus despondet sibi Austriacam

492. In Italia ne Mediolanensis nimiùs opprimeretur ducatus belli oneribus; sed eorum partem reliqui clientelares quoque Italiæ status & Principes, Florentinus, Parmensis, Placentinus, Respubl. Genua & Lucca, & propter Ferrariam, à Clemente VIII. licet an. 1598. Rom. ecclesiæ patrimonio incorporatam, (*Vid. n.* 526.) summus ipse Pontifex quà Italiæ Princeps tanquam Romani Imperii (ut quidam volunt) fiduciarii sublevarent; neve miles ex hybernorum distantia hostilium invasionum exponeretur periculis, sed invicem conjunctior in omnem paratior esset occasionem, in Ducatum Ferrariensem, Dominium Bononiense & Romandiolam est dispositus, magnâ Clementis XI. turbatione & indignatione, qui literis querelarum plenis apud Eugenium primò, tum apud Cæsarem de illatis injustè damnis admodùm questus, id denuo tulit responsi, idem, immo majus Italiæ Domino Rom. Imperii Cæsari, quàm ejusdem hostibus Gallis hybernorum jus competere, quibus illa annis superioribus 1704. & 1705. sine pontificis contradictione sunt ultroneè permissa; pontifex igitur ut importunis illis exoneraretur hospitibus, volens nolens 32. duplonum millibus ea demum per Abbatem de Riva debuit redimere, major fortè injuriarum Cæsari hactenus illatarum debitor. *Vid. num.* 526. ut verò pacem à Deo deprecaretur, Jubilæum Romæ, Viennæ &c. servatum instituit.

Italiæ principes ad contributiones adstringuntur, & hybernia.

Etiam Pontifex.

Porro Eugenius Princeps Cæsareo Mediolani 13. Januarii manifestat diplomate, Carolo III. Hispaniarum Regi Ducatûs Mediolanensis feudum

Eugenius Mediolani Gubernator innovat omnia.

dum ab Imperatore concessum, proinde omnia imposterum sub ejusdem Caroli Ducis Mediolanensis nomine expedienda, gallicum regimen, commercium, officia, & dignitates à Gallis collata tollenda & cassanda, Eugenioque Ducatus Mediolanensis Gubernatori fidelitatis juramentum, indictâ die præstandum; Marchio autem de Prie in Eugenii absentia Vice-gubernator est præpositus; contractum præterea quotidianum est tributum, seu collecta militaris 22000. librarum mediolanens. in quarum solutionem unus prænumerari deberet millio.

Arx interea Modenensis pertinaci hactenus à præfecto gallico de Bar constantiâ fortiter defensa, omnes deditionis recusabat conditiones, muralibus licet 18. recens advectis tormentis acriter impugnata; sed destructo propè adsito Capucinorum Patrum monasterio, exactoque novo ab urbanis Modenensibus commeatu, Ducis palatium & urbem vexat pyrobolis; quibus nisi parceret, irremissibilem post arcis occupationem præfecto & præsidio mortem Wetzelius & Langallerius comminantur, eoque atrocius in arcem fulminant, ut 22. Januarii honestum præfectus militarem petierit discessum; quo denegato, post decem tamen dies, ne vitâ simul & libertate privarentur, hâc tandem pactâ ultroneam fecêre deditionem, dummodò rapta ex Palatio & civium domibus spolia, aurum, argentum ceteraque pretiosa restituerent. Hoc profugus Bononiæ Dux audiens cum prætoriano propediem equitatu eò contendens, incredibili subditorum gaudio à Felsio, & Langallerio, Modenensis arx à Cæsareanis capitur.

imo & præfecto de Bar exceptus in urbem & arcem] festivè est introductus; 6. verò Februarii restitutis spoliis præsidium 500. per muri ruinas eductum, Mantuam est deductum; quam paulò ante in Januario Dux Mantuanus cum legato gallico deserens Venetias profugit nunquam urbem & ducatum suum amplius visurus, quem Cæsareani tributo & collectis militaribus graviter sub ferri & ignis interminatione emungebant, Medavo frustra id impediente. Arx quoque Montalfonsa territorii Graffagnensis ultroneâ se traditione Duci Modenensi submittit, præsidio Mantuam traducto. Sed respublica Genuensis ad pendenda tributa postulata prætendit ærarii inopiam, quòd mercimonia quiescerent, civesque pretiosa sua periculi metu in Italiam, Hispaniam & Germaniam translata abdiderint, ducenta proinde pistoletorum millia irritò abs se exigi; pro exiguis tamen quæ in Imperio Romano possiderent feudis convenientem æris summam spondent præstare. Cæsar tantum quidem pretium aliis de causis remittit; feudum quod attinet, indubitatum scribit *Coringius de fin. imper. lib. 2. & Vitr. Illustr. l. 2. tit. 5. §. 1.* Genuam ipsam urbem clientelarem, & Imp. Rom. esse fiduciariam. Sic quoque Eugenius ad vindicanda alia Cæsaris in Italia jura sex militum legiones Pisano immittit territorio, Rom. Imperii antiquitùs clientelari, magnasque à Duce Florentiæ exigit contributiones: Cui hic respondit: sexdecim tantùm imperialium millibus pro toto suo antehac Ducatu solutis, liberrimum semper fuisse & manere, ac nulli fiduciarium.

Genua est fiduciaria Imp. Rom.

493. Re-

493. Redeamus nunc ad arcem Mediolanensem, in qua præfectus Marchio de la Florida contumacior, evoluto armiſtitio factâ 29. Januarii in Cæſareanos eruptione, multis potitus prædis, 32. bovibus aliiſque ſpoliis, arcem feliciter repetit, & 3. Februarii miſſo in urbem tympanotribâ novum iteratò ſub ignium comminatione exigit tributum, & annonam, cui per tympanotribam reſpondit Eugenius, non cum civibus, ſed ſecum urbis nunc Gubernatore hac de re agendum eſſe, militarique repugnare uſui cinctæ civitati, vel arci annonam immittere; ſed firmiter ſibi propoſitum eſſe continuatis pertinaciter hoſtilitatibus nulli cujusvis conditionis in arce animæ parcere: idem ſe denegato poſtulato facturum renuntiat præfectus, urbem præterea, ejuſdemque penes ſe archivium flammis ſubjecturum, & jam vigeſimam quintam ſe urbium ſuſtinuiſſe obſidionem, hanc quoque ſanguinis ſui effuſione propugnaturum. Utraque igitur pars mutuo furoris impetu & iteratis pyrobolorum & tormentorum fulminibus deſævit, ſchedulaſque præfectus 13. Febr. per urbem noctu diſpergit ſic inſcriptas: *Nunc ſunt tempora Attilæ & Barbaroſſæ*, qui olim, ille tyrannide, hic ob iteratas rebelliones, & illatas uxori injurias urbem exciſam aratro & ſale aboleverunt & eradicarunt; jactis deinde in urbem pyrobôlis tres incendit domos, & in cathedrali eccleſia Nobilem occidit.

Mediolanenſis arx infeſtatur.

Jam ultra menſem cruenta hæc durabat obſeſſio, & tam oppugnatores quàm defenſores rem ſuam agebant ſtrenuè & fortiter ad duode-

ciinum uſque diem menſis Martii, quo veluti valedicturus à ſummo mane ad quartam uſque pomeridianam incredibilibus tormentorum ſæviit ejaculationibus præfectus, viſo nempe regio deditionis imperio: Generalis igitur de S. Pater Pariſiis adveniens petit armiſtitium; Ludovicus namque Rex calamitoſam cernens exigui ſui ſub Medavio exercitûs in Italia conditionem & ſtatum, ne aut penitùs internecivè deleretur, aut captivus totus abduceretur, utilitati potiùs quàm honori ſtudendum, Mediolanumque & Italiam Cæſari cedendam ratus [quamvis ægerrimè: & quis crediſſet?] his tabulis pactus eſt inducias: Omnis Gallo-Hiſpanicus miles ex tota cedat Lombardia, Italia, & more, honoreque militari liberè ac ſecurè Suſam dimittatur, eoque præſidia Seſtolæ, Mirandolæ, Finalis, Mediolani, Valenzæ, Mantuæ, Bergoforti, Cremonæ, Sabionettæ breviori viâ & modo, cum decem univerſim deſertarum urbium, & ſuis 24. campeſtribus tormentis aſſignatâ die deducantur: bellicus deinde Gallo-Hiſpanorum apparatus, commeatus, bona mobilia &c. per eorum commiſſarios trimenſium ſpatio diſtrahantur &c. ſubſcriptæ erant 13. Mart. 1707. Mediolani à Comitibus Schlickio & Daunio, S. Pater, & La Javellerie, confirmatæ à Carolo Henrico Vaudemontio Duce Lotharingiæ, & Eugenio Duce Sabaudiæ: ne Galli autem Pedemontium tranſeuntes à Sabaudiæ Duce per repreſſalia viciſſim, uti prioribus annis Sabaudi à Gallis, detinerentur, rogatus Victor Amadeus Dux Sabaudiæ has induciarum tabulas approbavit, & ſanctè ſer-

Juſſu Ludovici R. deditur.

Galli totâ cedunt Italia.

servandas à se confirmavit; his tamen pactis exclusi Duces Mantuanus & Mirandolanus. Constitutâ igitur die 20. Mart. (ab hac usque ad 1. Aprilis erat singulis præsidiis certus exeundi dies determinatus) Marchio de la Florida cum reliquo 700. præsidio [quod obsidiônis initio mille quadringentos numerabat armatos, quorum 500. erant belli officiales] arce Mediolanensi excedens per Novaram contendit Sulam, & Comes Konigseckius cum 150. Germanis, & 7. Italorum centuriis regiam arcis portam ingreditur; multi verò officiales & gregarii Hispani & Itali 500. primo mane Gallos ante exitum deserentes (quibus id liberum erat) Cæsareis opportunè castris adscribebantur, in quibus octingenti Cæsareani tum cæsi tum vulnerati in hac Mediolanensi obsidione desiderabantur.

494. Occupatâ igitur, & à multis cadaveribus sordibusque purgatâ arce Eugenius DEO O. M. eucharisticum illud *Te Deum laudamus* in metropolitana, præsentibus Archiepiscopo Cardinale Archinto, Senatu, tribunis militum & tribunalibus inter bihorarium tormentorum fremitum & mugitum in gratiarum actionem recuperatæ præter spem Italiæ incredibili jubilo populi intonavit: quod idem insigni pariter Taurini solemnitate Amadeus Dux Sabaudiæ perfecit. Atque ita magnus ille Hercules Eugenius totam unâ die Italiam, tot Vendomiorum & Fevilladi anteà sponsionibus Ludovico XIV. devotam, nunc tam turpiter cum vitæ & libertatis veluti deprecatione desertam, singulari eximiâque suâ prudentiâ & fortitudine non sine totius

Europæ admiratione, incredibili Confœderatorum emolumento, & sempiternâ nominis sui gloriâ recuperavit: quam immenso temporis, militum, & sumptuum impendio vix restituisset: cum graves imprimis hoc adhuc anno expeditiones in Regnum Neapolitanum, & Galliæ Provinciam aut Delphinatum (*Vid. num.* 501.) forent exequendæ, utque illæ majori perficerentur fervore & æmulatione, simulque Cæsar ingentia Sabaudiæ Duci illata à Gallis resarciret damna, eidem Duci nomine & consensu Hispaniarum Regis Caroli III. donat, & vigore pacti cum Leopoldo I. contractûs, ut belli socium, & juris sui in monarchiam hispanicam haberet assertorem, in perpetuum cedit præter alia urbes Valentiam, Alexandriam, Mortaram cum suis territoriis fertilissimis, provinciam item Lomellinam & vallem de Sessia cum suis dominiis, oppidis & territoriis, manente tamen penes Imperium Rom. supremo dominio, quæ quidem Mediolanensi hactenus annexa & incorporata Ducatui, ut aliunde recompensarentur supplemẽto, duos Cæsar Ducatus Bozzolensem & Castiglionensem, familiæ, & ducatûs Mantuani (qui Cæsareo commissus fisco) Mediolanensi attribuit & incorporavit. Prædictarum verò urbis & provinciarum possessionem Sabaudi Ducis nomine octavâ Mart. Marchio de Constanza Alexandriæ capit, inductoque præsidio cives fidelitatis præstant juramentum; ardens proinde in Sabaudia bellicus vicissim ad instantem in Delphinatum expeditionem fervebat apparatus, Turinumque Dux restaurando validè communit,

Cæsar sabaudo donat Alexandriam &c.

nit, Chivatium commodum Padi transitum addito firmat robore, & à Genuensi republica oppidorum in Pedemontio à Gallis eversorum exigit restaurationem, quòd respublica illa liberum Gallis, hostibus suis, permiserit transitum, bellicumque eis apparatum & commeatum subministraverit.

Sedula quoque Mediolani ad præstandum Carolo III. die 16. Aprilis homagium fiebat præparatio, cudebanturque viginti quatuor millia nummorum Caroli imagine insignitorum. Præstitutâ die Eugenius eques magno sociatus Generalium & tribunorum comitatu ad portam Romanam haud procul telonio exceptus, submissè eidem supremus Commissarius Marchio de Castiglione urbis claves porrigit, & regius protribunus duo vascula terram & aquam continentia, quæ Eugenius in signum adeptæ pro Carolo III. urbis & Ducatûs Mediolanensis possessionis effundebat: dum interim rhedâ à senatu & nobilitate ad ducale deducitur palatium, argentei in tripudiantem populum nummi emittuntur, transeuntesque carcerem Torettam, 260. captivi in libertatem asseruntur; in ampla demum senatûs aula, præviâ magni Cancellarii Marchionis Piro Visconti oratione, à senatu, tribuum & tribunalium deputatis fidelitatis excipit juramentum, tormentis interim festivè applaudentibus: inde ad metropolitanam se conferens post solemnissimam ab Archiepiscopo Cardinale Archinto missam peractam Ambrosianus hic olim primò decantatus à D. Ambrosio & Augustino hymnus est intonatus; totaque

Mediolanum præstat Carolo homagium.

nox

nox jovialibus illustris erat ignibus. Galli sic toties devicti, totaque expulsi Insubria, & Italia, idem ex occupata modò Hispania metuentes exterminium, illam quomodo aut totam rapiendi, aut totam, si secus eveniret, eviscerandi, & ad nihilum redigendi modum, ac methodum iniquissimam Chamillardus literis 10. Decembris 1706. datis & interceptis Duci Bervvicko, ibidem belligeranti suggessit.

Mantuani veniam deprecantur.

495. Mantuani porrò Ducatûs Primates proscripto & elapso suo fugâ Duce, quid in hoc periculoso rerum statu agerent? commissi pœnam non immeritò metuentes per suos ad Eugenium Deputatos Marchionem Octavium Caurianum, Cæsarem Guerrierum, & Odoardum Valentum supplices cùm veniam & gratiam, tum vitæ & bonorum securitatem deprecantur, cunctaque suæ in hoc calamitoso Ducatûs statu submittunt dispositioni. Eugenius commissi benignè pœnam & mulctam remittit, vitæ & bonorum promittit immunitatem, obedientiam fidelitatemque constanter præstantibus. Ipse Dux Carolus IV. suam 22. Novemb. per fratres submissisimè restitutionem à Cæsare, sed irritò, deprecatur, obnitente scilicet Amadeo Sabaudo, Montferratensem Ducatum totum prætendente, cujus Mantuanus partem possidebat *Vid. n.* 531. Ambierat quidem Ludovicus XIV. Ducatum Mantuanum per superiora pacta durante bello sequestratum, & non Cæsareo, sed pontificio aut Veneto occupari præsidio, id quod Veneta etiam apud Cæsaré sollicitabat respublica; sed refragantibus Sabaudis Amadeo & Eugenio,

nio, neve Gallus vulpino hoc prætextu pedem in Italiam referret, exauctoratis quatuor mantuanis vexillationibus Cæsareano urbs præsidio committitur, & gallicum duodecim millium exercitum Medavus ex Lombardia Susam traducit. *Vid. num.* 504. Eugenius autem Mediolani ad mensem usque Majum remanens, regio à Carolo III. gubernatoris Mediolanensis diplomate honoraturi, ibidemque pretiosa Marchionis Floridæ mobilia & impedimenta, usque dum quadringentarum millium libratum Mediolanensium persolverit debitum, detinet. Tum ad gallicam Provinciæ & Neapolitanam se accingit disponitque expeditiones, illam tripartito executurus exercitu, hanc, Neapolitanam, supremo rei tormentariæ præfecto Comiti Daunio, Marchioni Vaubonno, Patte, & Wetzelio cum 12. ad 13. millium exercitu committit, contrariis licet ac refragantibus Anglis & Batavis *Vid. num.* 501. &c.

Gallus Mantuâ deserens tendit Susam.

496. Hujus expeditionis fama quamprimum ad aures Vice-Regis Neapolitani Ducis de Escalone pervenit, indefessum studium & vigilantiam ad regni adhibet defensionem; ab Gallis militares suppetias, ab regni indigenis nervum & militares exigit collectas, sed nullas ob temporis inopiam extorquet, summo tamen labore duodecim millium exercitum colligit, Cajetam regni clavem valido firmat præsidio, Capuam & Bayam maritimam novo propugnaculo roborat; adventat quoque Genuâ in subsidium cum sex militaribus navibus Dux Tursis: omnesque regni munitiones, impimis autem Nea-

Neapolitani sibi metuentes parant defensionem.

Neapolim ipsam non exiguo instruit milite, bellico apparatu & commeatu, urbemque in centum & triginta dividens stationes, militem singulis pro loci necessitate attribuit: cujus civium animos ut sibi devinciret, varia ab Andegavensi privilegia & libertates illis impetrat, militaria officia Hispanis ablata transfert in Neapolitanos, argentum suum, uti & Duces Matalonus, Laurenzanus, & Cellamarus suum in monetam signandam extradunt; Dux Avelianuus tria armatorum millia auctorare, & Dux de Torella aliquot siliginis maldra cogebantur suppeditare, quidquid denique ad regni tutelam & conservationem conducebat, non intermittebat: cúmque inter hæc Andegavensis prope Almanzam cursor divulgaret victoriam, decantato festivè *Te Deum laudamus* persuadere populo conabatur Caroli exercitum gressum relegere, cui tamen plures (Austriacis præsertim faventes, quos vel levi notatos suspicione carcere innodabat, & inter plures Piccolominum, Ducis Seminerææ nepotem, arctiori inclusum castello, quòd intelligeret illum à nobilibus carcere vi eximendum,) fidem non adhibentes, periculumque evitantes inde alio profugiunt, & quidem Dux de Arri, Cardinalis Aquavivæ frater, Aprutiensis provinciæ Vicarius Generalis, profugit Venetias, rei exitum à longè spectaturus, cujus ideo Vicariatûs officium & dignitatem Vice-Rex filio suo Comiti de S. Stephano contulit; Austriaca interim factio, deficiente Andegavensi, plurimùm invalescebat: Neapoli namque sacerdos serâ ad agonizantem nocte à tribus larvatis viris evocatus

Austriaca factio ibidem prævalet.

catus

catus rhedæ imponitur, & similiter larvatus per varia urbis diverticula circumductus, & in domum introductus detectâ facie ultra ducentorum hominum itidem larvatorum societatem cum admiratione & metu circumspectans jubetur missale aperire & cuique porrigere, ad cujus evangelium omnes & singuli larvati appositis digitis in fidē Caroli III. conspirant & conjurant: quo absoluto eâdem larvatus rhedâ domum ab eisdem reducitur, serióque eidem mandatur, ut hæc quæ viderit, & ipse fecerit in publicum evulget, imprimisque significet Vice-Regi; qui animo ad hoc consternatus nunquam deinceps prodiit ex palatio, sed prætorianam illius custodiam duplicavit, convocatisque ad se concionatoribus monachis sedulò præcipit, ut publicis populum concionibus & adhortationibus constantis erga Andegavensem obedientiæ & fidelitatis admonerent, confirmarentque; qui idipsum haud impigro executi sunt studio, exiguo sed effectu: nam licet religiosorum concionatorum authoritas & admonitio in plurimorum animis multum valeat, legitimique Regis amor subditorum naturaliter animis insitus sit; ast in incertum, & illegitimum, sanus & pius subditorum affectus vix ferro & igne intrudi potest, præsertim cùm in proximum legitimi Regis adventum admodùm desideratum suspirent, & jam cernant propediem appropinquantem.

497. Ut verò compendiosiori Neapolim viâ cæsareanus perveniret exercitus, Cæsar ejusdem per pontificias ditiones transitum à Clemente XI. per Grimanum Cardinalem postulat; pontifex

Neapolitana Dauni expeditio.

ſex utrarumque partium territus minis, vique ſine dubio tentandum ratus, uti præſignificarat Grimanus, demum, licet invitus ſuismet tamen ſumptibus, & convolutis vexillis permittit. Daunius igitur 9. Maji cum exercitu iter aggreſſus, Bononiam & Lauretum ſine omni inſolentia tranſiens, à pontificiis commiſſariis ſuppeditatâ ubique annonâ ulterius deducitur, universâ Româ cum Pontifice, Cæſareæ expeditionis inſcio, haud leviter tremente; Pontifex enim Ludovici XIV. partibus addictior, Cæſarem non rarò graviter offenderat, cujus ipſe conſcius continuò obverſabatur animo calamitoſus Clementis VII. anno 1527. caſus, quo ſub Carolo V. Imperatore [rei tamen inſcio] Roma Pompeji Columnæ conſilio, ductuque Borbonii capta, omnis libidinis & immanitatis theatrum extitit, & Clemens ipſe cum XII. Cardinalibus ab inſolente milite cuſtodiæ traditus, tandem ejuſdem operâ Pompeji, pacto prius & ſoluto ingenti militum ſtipendio, certisque conditionibus libertate donatus, mercatoris habitu ſe urbe ſubducit, cum menſes ſeptem in ſumma miſeria, aſininis etiam paſtus carnibus, exegiſſet. Hæc, inquam, Clemens (qui pro impetranda Europæ pace Jubilæum deſcripſerat) animo pervolvens ex ſexdecim urbis Romæ portis novem lapide & cæmento occludit, reliquas repagulis, cancellis, cataractis & valido communit milite : nihilo tamen minus cùm Germanus Forum Julium adveniſſet exercitus, Cæſaris juſſu Comes Martinizius & Wetzelius cum 150. equitibus 10. Junii Romam ingreſſi, à Pontifice, maximè inde conſternato,

Ob quā Roma trepidat

nato, Neapolitano Carolum III. feudo investiri petunt; negante illud Clemente, regesserunt illi, non fore Neapolitanum imposterum regnum fiduciarium, si Caroli armis fuerit adeptum & occupatum, deque feudali Pontificis jure actum fore: quibus Pontifex, Carolum infeudandum ait, si occupaverit, illisque sic demissis magno liberatur metu, quo & gallicus tremebat Cardinalis Tremovillus, qui occluso interim suo palatio ducentorum militum adhibuerat custodiam, germanis equitibus tamen modestè de suo omnia solventibus. Tremovillus autem & Hispanicus Legatus Dux de Uceda, quamvis urgentem transitûs Germanis concessi necessitatem evidenter perspicerent, Pontificis tamen continuò insonabant auribus Galliarum & Hispaniarum Reges ferro illum & igne vindicaturos, Avenionem commissam, excommunicationis fulmine Germanos proscribendos, annonam commeatumque illis denegandum, sed frustra & insanè obganniebant. *Vid. n.* 529. Daunius namque stricto rigidoque ordine castra per pontificias ditiones Palestrinam, Zagorolum & Frosinonem versus promovet, quâ famâ Neapoli confirmatâ & certificatâ, fit populi concursus, & ob annonæ caritatem tumultus, quem Dux Matalenus armato bis dissipat milite, & Prorex urbis plateas militaribus occludit sudibus.

Scarpaleggia interim præcipuus Austriacorum fautor, qui Romæ in Cardinalis Grimani ædibus plurimum suam clandestinè auxerat factionem, ad proximos Regni Neapolitani limites pervolans, montanam trono fl. adjacentem

arcem, opportunum in Neapolitanum transitum tumultuariè occupat, & versus Cipranum ad pontificias ditiones postremum, sex millium armatorum castra metatur, ibidemque Daunium cum exercitu desideranter expectat: hic autem ad Neapolitanos adveniens limites manifesto publicat, promittitque indigenis Carolo III. se spontè submittentibus securitatem, magnamque libertatem; contranitentibus verò bonorum minatur spoliationem; quo effectum, ut aliquot municipum & indigenarum millia, & in his duæ pro Andegavensi collectæ legiones germana castra accederent, quibus Soranum Ducatum subeuntibus indigenæ omnis generis ultrò deferebant annonam: oppido S. Germano 29. Junii appropinquantes Patres Benedictini Casinenses hymno eos Ambrosiano Te Deum laudamus festivè exceperunt; inde Vaubonnus cum 300. equitibus Thianum præmissus, expediti ab eo Capuam versus Hungari, campestres 40. equitum excubias in fugam ad Capuæ usque portas agunt, hanc Vaubonnus ipse cum reliquo accedit equitatu, visurus, quid animi præferrent Capuenses; dum tormentis in illum fulminaret præsidium, retractis copiis revertitur Thianum, ubi à transfugis magno quotidie numero accurrentibus intelligit quatuor equitum legiones sub præfectis Duce Castiglione, & Marchione Caroffolo prope Capuam ultra Vulturnum fl. per tempus aliquot considentes ad Vaubonni adventum citato Neapolim cursu se proripuisse, præsidiumque relictâ urbe in arcem profugisse, non sine spe urbem, si invaderetur, capiendi; sed quam-

quamprimum fugitivus Neapolim advenit equitatus, prorex illum sine mora Capuam extremis omnino propugnandam viribus remittit; cúmque ille proximè urbem attigisset, adest etiam Vaubonnus urbem invasurus, cui obviam procedentes urbis deputati indolebant suo se desiderio & spe urbem extradendi esse delusos, quòd remissus neapolitanus equitatus urbem repeteret; Vaubonnus igitur citatis mox equis pontanam & romanam urbis portas ex tumultûs & turbationis confusione necdum occlusas pleno impetu involat, hostilique equitatu ejecto, urbem satis validam occupat, prostratis tamen aliquot è suis per arcis tormenta cum Caraffianæ legionis subtribuno gregariis equitibus. Capua capta.

498. Hoc Daunius audito, supremum vigiliarum præfectum Com. Caraffam illuc cum 300. equitibus præmittit, eademque nocte cum reliquo equitatu & pyrobolariis eò sine mora ipse subsecutus, ab arcis præfecto Marchione Thiberio arcis probe munitæ deditionem sub internecionis pœna irritò postulat; altero tamen die 4. Julii pyrobolorum igne subacta, præsidium sonantibus tympanis, expansisque vexillis liberè Neapolim est deductum. Porro Plenipotentiarius Cæsareo-Regius Vicarius Com. Martinizius dum Capuam advenit, Daunius inde 6. Julii totis Aversam castris movet, cui incredibilis hominum in via jubilantium occurrit multitudo, ex urbe verò Aversa ad septem civium millia victricem cum ingenti applausu exercitum excipiunt, nec turbati, sed securè suis ubique laboribus & industriis sine omni militum metu cives

& rusticolæ inhærebant; & ad vesperam urbis Neapolitanæ deputati Duces Montesargius, Avelinus, de Troja & Terella Daunium Aversæ conveniunt, urbisque eidem claves deferentes, concessa à Carolo V. & Ferdinando II. sibi privilegia confirmari submissè deprecantur; Prorex verò cum thesauro suo & cimeliis, tribusque armatorum millibus mari Cajetam aufugit, ob commeatûs penuriam brevi deserendam: urbis quoque castella, & imprimis S. Elmum à Carolo V. in civium refrenationem erectum, valido roboravit præsidio, civibus haud dubiè metuendo; maturandum proinde adventum subsidiumque postulabant; quare Daunius præmisso supremo vigiliarum magistro Patte cum sexcentis equitibus ad S. Antonii suburbium, ipse 7. Julii cum peditatu urbem ingressus ternas ejus arces eminùs cingit, equitatum verò extra urbem ad vicina disponit loca. Populi & regnicolarum sincerus in Carolum III. affectus, æstimatio, devotio, lætitia & exultatio nescio an pro magnitudine possit describi: nam pridie Cæsareanorum ingressum jovialibus urbs tota collucebat ignibus, in ingressu ab Aversa Neapolim usque plura virorum, mulierum & puerorum millia per vias Carolo, cujus effigiem passim oblongis præferebant perticis, festivè applaudebant; Vivat Rex Carolus, æream verò Ducis Andegavensis statuam non ita pridem erectam dejiciunt, & contemerant, resectis capite, brachiis, & pedibus, reliquum corporis fune alligatum, & per urbis compita raptum in mare abjiciunt.

Neapolis tradita.

Tum

Tum 9. Jul. tres urbis arces ad deditionem postulatæ, primò denegant: undecimâ tamen Castellum novum se submittens, libere cum honore militari & 4. tormentis Cajetam ejus præsidium demittitur, eodem similiter modo miles S. Elmi; sed castellum del Ovo & Insulæ Ischia & Baya Daunii se potestati debebant submittere, in quarum ultima 37. in tribus prioribus castellis 127. curules machinæ sunt inventæ; equitatus præterea Ducis Castiglionis 1700. equitum Daunii se potestati tradit, & famosus Pepesumus pirata Neapolitanus fugientem Cajetam Proregem Escalonum comitatus cum binis vectoriis dicam, an prædatoriis navibus Neapolim rediens duo pyrobolorum millia, sexcentas spæras incendiarias, tria tormenta bellica, & elegantissimas duas rhedas ejusdem Proregis defert Cæsareanis. Quid? quod cives Archistratego Daunio urbem ingredienti pueros cum laureolis obviam mittentes, & ad archiepiscopale templum deducentes *Te Deum laudamus* intonabant; ad regium deinde residentiæ ducebant palatium, uti & novum postmodum Proregem Comitem Martinizium splendidissimo comitatu in novam arcem emissis ab eo per compita in applaudentem populum nummis introducebant; tum Carolum III. in legitimum Regem Neapolitanum proclamantes, urbs & regni ordines fidelitatis eidem juramentum exolverunt, utque sincerum in Regem suum ostenderent amorem & devotionem, gratuitum ei donum trecenta quinquaginta ducatorum millia offerebant, & quinquaginta actu millia nu-

Neapolis castella se submittunt.

Carolus Rex Neapol proclamatur.

merabant: atque ita prorex Martinizius publico Gallos manifesto regno Neapolitano eliminat, mercatorias eorum naves regni portubus excludit, interdicitque omnem cum Gallia mercaturam & correspondentiam, immo omnibus gallici regiminis ministris, consiliariis & officialibus novos substituit; quod plures graviter ferebant: pactæ demum sunt hæ utrimque capitulationis tabulæ: Privilegia Caroli V. Philippi IV. & aliorum Austriacorum Principum regnicolis concessa renoventur & confirmentur. 2. Salerni aut alibi novus extruatur in regnicolarum emolumentum maritimus portus ad mercaturam liberè exercendam. 3. Cuilibet cujuslibet conditionis & statûs liberum sit privatis mercaturam navibus exercere, uti Britannis conceditur & Batavis. 4. Rex præter præsidiarias regni naves habeat in tutelam & præsidium vectoriarum paratas viginti naves militares, quæ certam de centum taxam Regi persolvant. 5. Quæ præsidiariæ à 1. mensis Aprilis ad ultimum Octobr. in maritimis regni oris piratis & barbaris Corsaris invigilent & depellant. 6. Rex novas ad regni limites, versus pontificias imprimis ditiones intra bienniū quietæ possessionis extruat munitiones, 2000. præsidio tum Neapolitanorum, tum exteræ nationis roborandas, quarum 7. præfectus erit Neapolitanus, & alius, quem Rex elegerit. 8. In majorem regni securitatem quatuor urbis castella modernæ artis munimine Rex communiat, & 9. quidem S. Elmo & del Carmine nobilem origine Neapolitanum, alterumque ex populo regni sumptibus præficiat. X. Decem

cem proinde armatorum millia, præter urbium præsidia habeat stipendiaria. XI. Nobilitati liberum sit dignos absque Regis consensu in suam admittere socirtatem. XII. Doctor Lucas Peto plebis hucusque caput & præses confirmetur, gaudeatque nobilium prærogativis, quem, ejusque successorem Rex suo non adhibeat ministerio. XIII. Liberum tamen ei sit eligere ministros scientiâ præditos, non infra annum ætatis trigesimum, & juris laureâ insignitos. XIV. Nullis denique quàm Neapolitanis ecclesiastica conferat beneficia &c.

499. Interea temporis Dux de Atri cum 3000. Pescaram in Aprutio occupans, & validè communiens vicina ibidem oppida & vicos Austriacis addictos flammâ consumit, quem tribus equitum millibus Carafla mox in fugam agit & dispergit; uti & Cajetæ prorex Escalona plura incineravit loca adjacentia, ideoque cinctâ quamprimùm eminùs Cajetâ protribunus Seidlichus haud procul dissitam Molam deditione occupat, & Strasserus 15. Jul. arcem Aquilam, 30. verò Augusti Daunius Cajetam ipsam regni clavem circumvallat. Hæc ad promontorium maris mediterranei naturâ & arte robustissima in peninsula mari circumdata, unâ solùm parte terræ adhærescit; Ferdinandus I. Arragonius solidis eam muris & turribus, adsitisque duobus in collibus totidem castellis communivit: Carolus V. aggeres circumcirca & propugnacula; prædictis verò castellis novum munitionum robur adjecit, partemque solum terræ respicientem firmissimis propugnaculis, fossis, stellato & cor-

Cajetā obsidet Daunius

cornuto opere, recessibusque firmavit, ut invincibilis esse crederetur. Ad vigorosam hujus expugnationem Prorex Martinizius & Archistregus Daunius [hic regni militaria, ille politca administrabant negotia] indefesso studio & labore curabant, & præparabant omnia, neve Martinizius populum libertatis cupidum tributis initio & exactionibus vexaret, centum mille ducatos à mercatoribus mutuos substitutis, seu hypothecatis regiis reditibus accepit, ut hoc nervo facilius promoveret expeditionem. Wetzelius igitur præstituto die 30. Augusti noctu 500. ab urbe passibus castrensia aperit valla, urbanis non advertentibus; sed difficilem admodùm petrosa terra ad urbem permittebat accessum, in extruendis præsertim tormentorum suggestibus, ut aliunde cespites & terra advehenda fuerit: binis eorum 12. mensis Septemb. extructis, triginta muralibus machinis murum propugnaculo interjectum, cortinam vocant, destruunt, & duo interea pyrobolorum millia urbi injiciunt; nec otiabantur urbani ignibus & globis continuò largissimi, quibus ex Sicilia & Sardinia iteratò mari copiosa advehebatur (quod impediri non poterat) annona, victualia & bellicus apparatus sufficientissimus, trigesimâ tandem septembris generalis decreta est impressio & impetus, licet tria successive munimenta & propugnacula forent superanda, urbsque ad pedem montis difficile conscendenda, propugnante fortiter vigoroseque præsidio; post duarum tamen horarum velitationem Cæsareus perrumpit miles, transcendensque post murorum

rui

ruinam ſepimentum pedetentim præſidiarios obſirmatè obnitentes propellit, & apertâ tandem portâ di Terrâ in effuſam cogit fugam; in maritima quoque urbis parte Vaubonnus & Comes Vehlenus dejecti muri ruinas tranſcendunt, fugienteque in arcem & domicilia præſidio tota occupatur civitas, cæſo potiſſimùm præſidio, ſuperſtites octingenti ex 3000. capti cum prorege Eſcalona, march. Biſaccia & Cellamare Neapolim ſunt conducti; Prorex Eſcalona & Biſaccia vili & apertâ rhedâ (ad cujus latus equitabat Cellamare) per ingentem populi conviciantis multitudinem ad aream S. Dominici deportati, miſerum totius urbis ſpectaculum, Eſcalona præcipuè promiſcuâ implexaque barbâ, & viliori veſte ſuam lacrimis deplorabat calamitatem, non neſcius quantis Auſtriacos fautores anguſtiis ſuppreſſerit, ideoque rogo dignum occlamitabant tyrannum, qui legitimi nuper Regis Caroli Manifeſtum carnificis manu igni ſubjeciſſet; poſtquam ſannis & opprobriis plebis ſaturatus, Daunius è Ducis Limatellæ ibidem palatio magnâ voce acclamabat; ducito illos ad caſtellum S. Elmo, quo pedites, manuducente Eſcalonam Cellamare, ob ſalebroſam & montoſam viam difficulter admodùm circa quartam pomeridianam pervenientes traditi ſunt cuſtodiæ. *Vid. num.* 525. Petierat Eſcalona noctu & opertâ rhedâ in cuſtodiam abduci; quod denegavit Daunius eâ maximè de cauſa, quòd Galli divulgaverant Cajetam ab Eſcalona Cæſareanis proditam, & proregem neutiquam captum; quam fabulam calamitoſa declarabat

Armatâ capit manu.

Eſcalona prorex captivatur.

fictam hìc acta catastrophe. Et quia Escalona tentaturus extrema benignas & tolerabiles rejecerat deditionis conditiones, tota civitas paucis exceptis domibus à milite est direpta, inventaque sunt præter insignem bellicum apparatum centum & novem curules machinæ & decem mortaria. Cæsareanorum verò occubuere 360. & præter alios bino sauciatus vulnere Vaubonnus servatâ vix vitâ militiæ posthac factus est inutilis. Hoc admirandum est imprimis, præsidiariorum in urbe fuisse ter mille propugnatores, impugnatores tantùm ter mille quingentos, & tamen validissimæ Cajetæ victores fuisse. Sub idem tempus Pescara etiam ultroneè se tradit, dimisso præsidio ejusque præfecto Duce de Atri ad Gallos, à quibus nullo hic modo volebat divelli.

Inter Martinitzium Proreg. & Daunium discordiæ.

500. Ceterùm fausta hæc Neapolitana expeditio magnam Caroli gratiam Daunio conciliavit, à quo summus belli legatus, seu regni Neapolitani renuntiatus est generalissimus, molestè id ferente prorege Martinizio, qui illam semper dignitatem Proregi annexam sustinebat, unde nata inter illos discordia regni detinebat distrahebatque negotia, non sine exiguo, nisi tertius interveniret, reipublicæ detrimento, quem omnes futurum augurabantur Cardinalem Grimanum natione Venetum, studio & favore Austriacum, cujus potissimùm factione & sollicitatione regni Principum & magnatum animi ad austriacas attracti partes, tam facilem promptumque in illud aditum patefecerunt, unde non impolitè quidam, sed emphaticè scripsit:

Ger-

Germani vincunt armis, tu mente triumphas,
Illis debetur palma, corona tibi.

Unde postliminio revocatus Viennam Martinizius, substitutus est ad tempus Comes Daunius, quem postea secutus est Grimanus. Martinizius antequam 1. Novemb. discederet, Ducis Escalonæ secretarium Joannem Torres sacerdotem, conviciis & sibiis præsens Cæsareum regimen cavillantem ex templo ad carcerem abstraxerat, quem offensus archiepiscopus Martinizium adiens, ecclesiasticorum vigore canonum repetebat; hic autem regerebat: ego non alium, quàm Escalonæ secretarium apprehendi, si sacerdos est, pessimè ad tantam innocentis sanguinis cooperatus fuit effusionem: ad hæc tacuit archiepiscopus & abiit: idem postea responsum tulit à Vice-Rege Daunio. Ceterum Prorex Daunius omnes à Martinizio institutos ministros & officiales confirmat, tollit autem judicium contra suspectos Andegavenses agitatum, quòd non crudelitate Andegavensi, sed austriacâ benignitate populus ad amorem erat alliciendus & demulcendus; sic imperandum populo, ut illi parere lubeat; obsequia coacta periculosa sunt; aufert quoque sudium sepem, quibus regium circumdatum erat palatium, ut ostenderet se magis plebis fidei credere quàm diffidere; debitores infra 30. ducatos obstrictos carcere dimittit, intra 4. menses non vexandos; monetam Andegavensem Caroli imagine recudi jubet: pro collecta militari exigit quadringenta ducatorum millia, utque quotannis 180000. ducatorum parceretur sumptibus,

Grimanus Card. fit Prorex Neapol. post Daunium.

bus,

bus , urbis Neapolitanæ præsidium exauctorat &c.

Pontifex neutiquam, Austriacus.

Hæ Caroli & Cæsareanorum victoriæ quamvis pontificis angebant animum , à Gallorum tamen partibus non abstrahebant (quia pascebatur inter lilia) sed omnibus & singulis hispanis beneficiis ecclesiasticis ne molestaretur, Datariam occludit, quod plurimorum postea fuit malorum causa. Romam tamen profugas Escalonæ , ceterorumque Ducum & magnatum conjuges paternè consolatus, omnem illis tutelam subsidiumque appromittit , adversæ earum fortunæ condolens. *Vid. num.* 525. Nec minus hanc Cæsaris fortunam metuebat Dux Florentiæ sibi fore importunam, ideoque aliquot militum legiones in Ducatûs sui defensionem scribebat. At Eugenius advindicanda alia Cæsaris in Italia jura sex militum legiones Pisano, immittit territorio, Rom. Imperii clientelari, magnasque à Duce Florentino exigit contributiones : cui hic respondit , sexdecim tantùm imperialium millibus pro toto suo antiquitùs Ducatu solutis, liberrimum illum fuisse , & esse nulli fiduciarium.

501. Fervebat interim in Pedemontio & Mediolanensi Ducatu indefessus bellicus in Provinciam) olim, ut quidam scribunt, sub Johanna Regina Neapolitana ultima ejus hærede Romano Imperio clientelarem) apparatus & præparatio ; ad quem Clerus Mediolanensis ducenta duplonum millia, Ducatus autem Parmensis 21. duplonum millia debebat contribuere, pontifice quidem refragante & negante , eo quòd Parmen-

mensem & Placentinum Ducatus an. 1537. Petro Aloysio Farnesio in feudum ecclesiasticum à Paulo III. Farnesio traditos, sibi soli clientelares esse sustineret, nulli alteri dominio subjectos; ad solutionem tamen nihilominus sunt coacti. Exercitus quoque Cæsareus ad quadraginta, & Sabaudus ad triginta excreverat millia, quorum duodecim millia propè Pignorolam in tutelam & defensionem Pedemontii debebant consistere: classis præterea Britanno-Batavica jam mediterraneo se commiserat, & tota suspiciebat Europa, in quem tandem scopum hæc terrâ marique confœderatorum collimaret armatura & militaris expeditio, multò Neapolitanâ difficilior, & contra duos hostes periculosior, horrenda scilicet montium cacumina, & hostem viribus, urbibus, & munitionibus munitum; intelligens enim Ludovicus XIV. hunc bellicum confœderatorum apparatum sibi admodùm suspectum, classem quamprimùm viginti quinque navium Toulonii adornat: Thesseus mareschallus quòd audierat confœderatorum copias in valle, seu ducatu Augustano indies augeri, quinque peditum millibus Generalem S. Pater in Sabaudia confirmat; ipse 5. Junii robora Pignorolæ, S. Brigittæ & Susæ oculis perlustrat, & inceptas abhinc ad montana foveales lineas continuo labore promovet: omnium Delphinatûs vicorum & oppidorum frumenta & victualia ad urbes deferre jubet, ut omnem hostibus tolleret victum & sustentationem: Medavus quoque suum ex Lombardia & Insubria eductum exercitum haud exiguè auctum, bellicoque apparatu & commeatu

Classis & exercitus cōfœderatorum tendit in Provinciam Narbonens.

meatu sufficienter instructum in quinque dispertit phalanges, primam & præcipuam in Sabaudiam ad General. S. Pater, reliquas Susam, Pignorolam, Col. de Argentieres, & comitatum Nizzam destinat, novem verò equitum millia inter fana S. Guillestre & S. Michaëlis in quemcunque nutum & necessitatem parata disponit: & quia Susæ aut Pignorolæ metuebat obsidionem, singulas quinque præsidiariorum millibus communit: omnes denique aditus & Varum fl. Galliam & Italiam terminantem tam validis Thesseus roborat vallis & sepimentis, ut Germanis transitu impossibilis in Gallia crederetur.

Provinciæ timor.

502. Nihilo tamen minus ambo Sabaudiæ Duces Amadeus & Eugenius exercitum Puscum & Cuneum traducentes, 8. Julii quiescunt Sospelli, inde superatis Lecaraine montanis confœderatam in mari classem prospectant Nizzam inter & Varum probabiliter appulsam; quare rectâ Nizzam iter instituunt, & Varum ipsi explorant, quem à fano S. Laurentii & montibus usque ad maris oram vallis, loricis & sepimentis ab hostibus indefessè vident muniri; unde Comes Bleanfortius ultra duas horas fluminis vadum tentaturus mittitur, ubi transitum reperiens & ipse permeans nihil hostium offendit, altero tamen die hostilibus aliquot turmis occupatum. 11. igitur Julii tribus in locis transitum magna militum alacritate tentant, & licet fluminis rapiditas plures submergeret, Saxo tamen Gothensis feliciter cum suis pertransit, ubi Bleanfortius pridie vadum exploraverat; ad ostium verò fluminis militares Anglo-Batavicæ classis

naves

naves propius ad oram litoris applicantes in hostium latus, tergum & sepimenta dum iteratò tormentis fulminant, scaphis simul & lembis centenos aliquot pedites & ephibatas in alteram fluminis partem transvehunt, quorum impetum Galli non expectantes incredibili fugam versus Graece capiunt celeritate, quos Com. Breunerus & Bleanfortius equitate insecuti captivos aliquot reducebant, ingentem hostium confusionem & formidinem referentes, quam & transfugæ unanimiter confirmabant, addentes popularem militiam aufugisse domum, & hinc villis & domibus desertis latebras quæsivisse, proinde Toulonenses partem archivi seu tabularii Avenionem, Marsilienses & aliæ Provinciæ urbes archiva & res pretiosas ad tutiora deferebant loca, eo quòd totam Provinciam, Delphinatum & Languedociam ingens complebat tremor & formido. Die altero 12. Jul. transmisso pontibus Varo totus exercitus castra ad fanum D. Laurentii metatur, & confœderata sub Schovelo & de Goes Architalassis 48. militarium, & 60. vectoriarum navium classis Livorni, Finali, Genuæ & Onegliæ amplo instruitur bellico apparatu & commeatu castris suppeditando; inde ad insulas tribus Toulonio milliaribus dissitas appulsa facilè illas occupat, & ingentem salis prædam, millionis pretium facit, Touloniique portum explorat. Motis autem castris Provinciam feliciter ingressus Eugenius, 14. Jul. Gracum, & Vencum ultroneâ deditione capit; Amadeus verò publicato mox diplomate rusticos sub pœna amissionis bonorum & vitæ ab armis avocat, mo-

morigerisque omnem securitatem & tutelam promittit descriptum à se tributum (septem librarum gallicarum milliones universim exigebat) deferentibus; tum ambo Sabaudiæ Duces 22. Jul. cum exercitu & rei tormentariæ parte Toulonio appropinquant, & duobus vix inde milliaribus cum suis aberat copiis Thesseus, promissum multoties subsidium impatienti expectans desiderio; & quia civibus incolisque Toulonensibus minùs confidebat, armis illos exuit, & duobus pòst diebus Toulonium adveniens legionibus aliquot vallata ibidem firmat castra, temporisque beneficio Aquas Sextias plures adducendo cohortes profectus, ibidem ab Aquis Sextiis ad fluvium usque Durancum fossilem ducit lineam, ut confœderatorum in Languedociam impediret irruptionem, roburècontra arcis Trezæ funditùs destruit. Hæc temporis mora & tardus ad formalem urbis cinctionem accessus confœderatorum expeditionem plurimum evertit, Gallorum ècontra stabilivit; certò etenim interceptum fuisset Toulonium, nisi tantum Thesseus subministrasset subsidium, & tot dato opportunè tempore castra sua auxisset legionibus, unde novas propediem & recentes urbi poterat immittere suppetias, quare confœderatis non contra unam solùm urbem præsidio validissimam, & 500. tormentis roboratam; sed & contra justum pugnandum erat exercitum: sic profuit sæpè, quod sæpius nocuit mora, pro negotii temporisve exigentia. Thesseus interea Ducem Roquelaurum cum duobus armatorum millibus Belloquardam ad dispergendum compescen-

Toulonii periculum.

Confœderatorum mora illam evertit expeditionem.

pescendumve factiosiorum conventum, nundinarum fortè prætextu ibidem institutum dimittit; Lugdunenses enim Calviniani ad suæ religionis exercitium Duluci convenerant, & clandestina suspicabatur conjuratio ob classis Anglo-Batavicæ propinquitatem.

503. Porro Amadeus graves ubique extorquet exactiones, oppidum Soulies aliosque vicos ignibus subjicit: Brinoniam exactis priùs pro condonato incendio 22. librarum millibus diripit: munitionem S. Annæ, aliaque quatuor oppida armatâ manu intercipit; jamque Tolonium obsidione cinxerat, & 29. Julii obsidionales aperit accessus, Eugenius autem ad munimentum S. Margaretæ hostem observat, & Princeps Hasso-Casselensis omnes suppetiarum aditus summâ occludit vigilantiâ, quâ eadem die præcipuum Tolonense confœderati feliciter expugnant propugnaculum, & die alterâ D. Catharinæ munimentum: jamque haud procul ab urbe distantes eam acriter tormentis flagellant, & celebrem navem militarem, Magnum Ludovicum, penitùs destruunt; econtra Sabaudiæ principis stabuli præfecto Marchioni Salesio caput globus tormentarius abradit, & Thesseus cum duodecim millibus Aubaneæ expectat Medavum, qui transitum interea Vari fl. occluserat, ut confœderatis Pedemontii communicationem interrumperet; hi vero Perusiam provinciæ Bituricensis oppidum cum 12000. obsident, quod gallicus generalis Chamerantus ad extrema defendebat, uti & Tolonio tres erant præfecti, sed discordia eorum Thesseum ad urbem vocabat;

Toulonium cingitur

ſenior namque Langeronus totam urbis, non ſolorum armamentariorum præfecturam prætendebat, Guebriantus eminentem S. Annæ locum; & General. S. Pater urbem defendebat, qui olivarium nemus in colliculo urbem inter & confœderatorum caſtra ſitum flammis abſumpſit, ne ejus beneficio hoſtis urbem propiùs accederet; militares deinde naves Maſſiliam remittit, reponitque alias, è quibus impoſitis tormentis hoſtiles poſſet arcere incendiarias ſeu bombardarias, ut vocant; jamque res agitur utrimque tormentis acriter & ſtrenuè, & oppidani 4. Auguſti duorum millium excurſione confœderatos confundunt, & repellunt; ſed mox pari utrimque jacturâ rejiciuntur; 7. Aug. tribunus Pfefferkornius cum 200. in montana dum frumentatum exiret, populares armati illum impedituri præcipiti fugantur curſu; referuntque transfugæ Gallorum caſtra inſigni confirmata augmento; proinde 15. Aug. Galli evibratis prius tribus nitratis militaris teſſeræ radiis cum ſex millibus ad colliculum D. Catharinæ feroci ad dexteram in confœderatos impetu irruunt, undequaque opprimunt, & Saxo-Gothenſi Principe Wilhelmo cadente illos militaribus ſepimentis, munitionibuſque ejiciunt; ſimili ad ſiniſtram furore incurrentes, obſiſtentibus tamen ſtrenue Boruſſis, ſuccurrenteque cum duabus deſultoriorum legionibus Principe Haſſo-Caſſalenſi non tantùm abacti & profligati, ſed occupatis etiam omnibus eliminati ſunt ſepimentis & munitionibus; profligati nihilominus redeuntem circumcingunt Pfefferkornium, quo occumbente

Oppugnatur.

bente palatinus vigiliarum præfectus viam ibidem elabendi offendens, in montanis rursus aggressus, levi feliciter jacturâ evadit, videns enim hostis Harrachium cum aliquot peditum & equitum turmis accurrentem, præcipiti fugâ abscedit: quâ acri velitatione Confœderatorum tum cæsi tum capti sunt 600. & duo campestria tormenta, alii referunt eorum mille: quo eodem adhuc vespere legionis Anhaltinæ protribunus Pretiavius munimentum S. Margaretæ deditione intercipit, capto præsidio & 14. tormentis bellicis: tum turris S. Ludovici, quæ portum occludendo defendit, arietatur, & immissus in urbem pyrobolus archiepiscopi cubiculum destruit, qui ideo Massiliam profugit; Eugenius autem eodem hoc tempore ad fanum S. Juliani cum 12000. considebat, unde Medavus ad Aquas Sextias se conferens insigni confirmatur augmento; & quia prævidebatur spem urbis occupandæ fore frustraneam, eam deserendam bellicum suadebat consilium, tum quod classis aëris tempestatibus impedita urbem propius accedendo infestare nequibat, quo potissima confœderatorum vis tendebat, & impetus; tum quòd tota in armis provincia, præter Amadei opinionem, omnem interdiceret commeatum & victualia, deficeretque equitatui pabulum; constans denique ferebat fama, magno Berwickum ex Hispania, Germania & Belgio appropinquare subsidio; atque ita convasatis tumultuarie omnibus exceptis 12. tormentis & 2. mortariis, equorum inopiâ derelictis, evibratâque in aërem S. Margaretæ munitione, 22

Aug. noctu splendente lunâ bonis ordinibus & absque hostium impedimento Forum Julii discedunt, inde transito sine obstaculo varo flumine in Pedemontium redeunt. Displicuit ab initio hæc Eugenio expeditio; urgebat verò Amadeus, &, nisi ventorum tempestatibus classis retardata, prosperè successisset, Gallia ad extrema fuisset redacta; nam ab Italia disjuncta, nulla huic erat spes subsidii; exigua, nisi terrâ, Hispaniæ; mari verò plane nulla; quia Tolonensi portu præcipuo occupato haud difficile subjecissent Massiliam Provinciam, Delphinatum & Languedociam, & intima Galliæ viscera penetrassent confœderati: vigentemque ibidem mercaturam [quo regius quotannis fiscus ultra L. ditatur millionibus] & bellicum sine dubio nervum maximo sustulissent detrimento. Solutæ igitur hujus obsidionis nuntium dum Tessei filius Regi annuntiaret, hic intimè gavisus ajebat, tantum à longo tempore Galliæ regno beneficium à parente præstitum non fuisse; addebat autem Tesseus tertiam urbis partem flammis consumptam, & duas militares naves unam C. & alteram LXXX. tormentorum plane destructas. *Vid. num. 532.*

Deseritur.

504. Denique ne hujus anni expeditio in vanum plane recideret, Sabaudiæ Duces Susam hujus marchionatûs metropolim apud alpium radices opportunum Italiæ in Galliam transitum mense Septembri obsident, novo quamvis à Tesseo robore firmatum: ideoque Chameranus loci præfectus hostis perspiciens mentem, subsidium ex Provincia postulat, deser-

Susam Amadeus invadit.

ferràque urbe ad arcem dejecto post se ponte confugit; quem tumultuariè Palatinorum Generalis Zumjungen reparans prope Chaumontium Tesseum præveniens considet, Amadeus verò cum parte exercitûs prope Pinarolium hostem in vallibus S. Martini & Perosæ infestaturus castra locat; Generalis interim Zumjungen 660. peditibus & duobus auctus tormentis haud segniter munimentum Catinat armatâ capit Et capit
manu, quòd intelligeret Tesseum magnis accelerare copiis, Medavum cum suis ad montem Senis, & alias Exillis turmas esse in proximo; Tum dejectis arcis Susæ muris præfectus Chamerantus 4. Octob. se confœderatorum discretioni submittit, captique sunt cum præfecto 30. belli officiales & 400. circiter gregarii, insignisque bellici apparatûs & commeatûs copia. Inclinante tandem anno, & sæviente jam tum frigore Princeps Hasso-Cassellensis suo cum milite in Germaniam remissus, reliquus exercitus in hyberna traductus est, exceptis 20000. quæ in Pedemontio Gallis invigilabant, collectis undequaque copiis Susam repetituris. Eugenius singulis in Italia in omnem eventum prudenter dispositis Viennam profectus est ad Cæsarem, expeditionis seriem exhibiturus., cui quidam sic applaudebat:

Austriadum decus ac princeps, spes inclyta salve,
Maxime Dux Eugeni, basis Italiæ.
Hic vir, hic est, qui saxa, nives, & flumina vincēs,
Dux aliis terras, at sibi corda rapit.
Arte valens & marte potens, vitamq; per omnem
Et gladio, & genio clarus ubique suo.

Hochstadium, Zentam, Taurinum consule, dicent
Secula an ulla dabunt marte & arte parem?
Dux, seu Domus Nassovico-Sarpontina, Usingen & Idstein, stemmate antiquissima, sessionem & votum in Ratisponensi collegio ab Imperatoribus Leopoldo & Josepho instanter petiit & obtinuit: cujus consuetam introductionem præd. Collegio Cardinalis Lambergus, ejusdem Collegii præses per publicam dictaturam 28. Januarii 1707. commendavit, proxime concedendam.

Rebelles Ungariã misere devastãt

505. Hungariam tot incendiis & bustis, tot latrociniis, deprædationibus exulceratam fugit oculus perlustrare; Rebelles namque exutâ omni humanitate per regnum veluti vertagi, seu canes venatici vagantes sub falso libertatis prætextu suammet crudeliter patriam pessundant, se prædis & iniquissimis exactionibus locupletant; cives autem suos & indigenas ad incitas & extremam adigunt paupertatem; & quia rarò faustos impiæ rebellionis exitus vidisse se norant, tyrannos in subsidium vocant, juratos Christianæ reipublicæ hostes, qui pacti tamen fœderis fuêre observantiores, quàm ut tam sceleratæ aures præberent sollicitationi; immo Allabecus Bassa insignem panum copiam in Turcico solo pro Rebellibus conductam perfido denegavit Karolo, sed Cæsareanis Arrati obsidione à Karolo cinctis submisit. Hos sæpius Rebelles Starrenbergus, Rabutinus & Palffius Croatiæ Banus ubique persecuti, cæso plerumque peditatu, in fugam agunt equitatum vix cursu assequibilem, quòd ceteris gentibus sit expeditior; plu-

res

res tamen eorum stipendiis ærosa attraxit pecunia, quam Ragotzius sub insigni, imagine & nomine Regis Galliæ Ludovici XIV. excuderat, proba moneta gallicâ submissâ, aut contributionibus collecta sibi retentâ; quam fraudem & iniquissimam deceptionem, læsæ majestatis ream, indigenæ advertentes, omnem Ragotzio fidem, & stipendiariis victum denegant, cum summa regni confusione & pernicie, grandi verò Ragotzii, Berezeni, Bertodi, aliorumque consortium emolumento, qui ingentem auri & argenti massam inde in Poloniam transmiserunt nequissimè extortam, ideoque minùs fore prosperam & salutarem. Et quia non solùm vulgi, sed & Magnatum quotidie in Ragotzium crescebat diffidentia, hic eorum plures, & ecclesiasticos & episcopum quendam comprehensos Mongatii imprudenter custodiæ tradidit, ceterum factiosum vulgus prædationibus & latrociniis cōtinuò intentum, Freystadium prope Granum septem vexillationibus tumultuarie oppressurum à tribuno Bruckenthalio non exiguâ cæde repellitur; similiter Fogarotium Hermanopolim inter & Coronopolim Transilvaniæ situm octo armatorum millibus aggressuri, præter plures vulneratos 300. trucidatis rejiciuntur. Rabutinus igitur magnis in Transylvaniam passibus properabat, rebellium copias inde expulsurus, iteratis retardatur hostium velitationibus, semper tamen superior & victor, ideoque Karolus quatuordecim millibus, & Antonius Esterhasius tribus germanis legionibus conjunctim illum frustra avertere moliebantur; sed Claudiopo-

Ragotzii nequitia.

Rebelles sæpe funduntur.

lim feliciter perveniens magnis illos animis paulò post aggressus Transilvaniâ expellit, & per montana hinc inde dispergit. Magnum tum quidem sibi affuturum brevi 50. millium subsidium, & argenteæ monetæ millionem rebelles stolidè jactitabant, re ipsâ autem nihil subsecutum: Berezenus etiam rebellium in Poloniam legatus, nihil Warsaviæ subsidii à Moscorum Imperatore potuit obtinere; sed cum risu rejectus est, quòd Polonis vellet persuadere, ab Hungariæ magnatibus & Ordinibus interregnum esse declaratum, proinde omni collaborarent studio, ut bina Hungariæ & Poloniæ regna sub uno capite & Rege conjungerentur.

Frustra flagitant subsidia à Mosco

A Polonis.

A Sueco

506. Multò autem molestius ferebant Rebelles nec à Suecorum Rege, Augustanæ religionis suæ protectore, cum tanto exercitu sibi proximo; neque à Silesiis, ejusdem religionis aut sectæ consortibus & sociis suppetias, ut omninò sperabant, sibi ullas adferri, eo quòd Rex tam enorme præfidæ factionis, impiæ proditionis, & læsæ majestatis crimen nullo dignum subsidio, sed pœnâ capitali non indignum existimaret, qui & ipse Imperii Romani princeps & membrum in ejusdem caput, Cæsarem, in hoc perduellionis bello ferrum stringere nunquam cogitavit: sed neque Sueciæ Rex, neque Silesiæ Hungaros Augustanæ suæ religionis socios & professores agnoscunt; differentes longè alios ab Augustana confessione articulos habent Hungari; ideoque non defendenda, sed toto potius regno vi pactorum esset eliminanda: nam secundùm pacta 1606. Viennensia permissum

Exexcrabilis eorum secta & perfida.

est

est Hungaris solum exercitium Augustanæ confessionis & Helveto - Calvinianæ religionis; sed neque Augustani, neque Helvetæ - Calviniani suæ religionis Hungaros socios agnoscunt, verum impiam & factiosam fovent sectam omnium hactenus turbarum originem, & totius Hungariæ perniciem, sanguineis lacrymis deplorandam. Illa præterea Augustana, & Helveto-Calviniana, & non alia, confessio his permissa est conditionibus, ut nullum Romano - Catholicæ religioni inferret præjudicium: deinde ut Romano - Catholico Clero, templa & collegia libera & inviolata permaneant, eisque tempore belli ablata restituantur; sed hæc non modo non inviolata, nec restituta fuêre; sed pessimis Gabrielis Bethlenii, Georgii Ragotzii & Töckelii conjurationibus plura per hujus sectæ pastores & incentores deprædata, templa & monasteria sacrilegè spoliata, clerus tam ecclesiasticus quàm regularis crudelissimâ tyrannide vexatus, dilaniatus, & sævo fuit affectus martyrio: nam tempore & factione Georgii Ragotzii præter turbarum auctores [quorum tum præcipui pœnâ capitis sunt mulctati] comprehensi, & rebellionis convicti sunt ducenti triginta sex impiæ & perfidæ illius sectæ ministri, læsæ Majestatis rei; ideoque pœnâ capitis se dignissimos omnium & singulorum suorum nominum subscriptione & subsignatione liberè confessi sunt sub dato Presburgi 13. Mart. anno 1674. itaque Rex Sueciæ nullam Hungaris succurrendi, nec apud Cæsarem intercedendi causam habuit. Et quia Cæsar plura per pacis internuntium Archiepisco-

pum Colosiensem frustra tentasset remedia, ferro & igne hanc opprimere factionem decrevit, Starrenbergiusque omni quo potuit modo & ratione illam est persecutus: Rascianorum tribunus Teckelius juxta Debrecinum sex rebellium vexillationes adortus, cæsis 200. peditibus, eorum capit 63. duo jumentorum & tria ovium millia, ducentos equos, & ingentem auri, argenti & gemmatum prædam. Econtra prope Sopronium cœcus ille Bothianus duobus peditum, & Bezeredus duobus equitum millibus Generalem Neudastum cum duabus legionibus, vinearum tutoribus tumultuariè circumdant; hic autem, licet inclusus, octo repetitos ferociter impetus generosè non tantùm excipit, sed fortiter repellit, & in turpem tandem fugam eos conjicit, cæsis illorum quingentis, & pluribus eorum castra deserentibus; quales velitationes iteratò plures cum rebellibus occurrerunt; sed omninò supprimi non potuerunt.

Viennæ hujus anni initio obiit diuturno consumptus morbo Leopoldus Card. Colonitschius Archiepiscopus Strigoniensis & Primas Hungariæ, verè Ecclesiæ Catholicæ in vacillante præsertim turbataque Hungaria columna firmissima; uti in vita, sic post mortem largissimus pauperum benefactor: Viennæ namque militum hospitale, cujus est fundator, & Presburgi pauperum xenodochium bonorum suorum fecit hæredes. Illi per Coadjutoriam successit Augustus Christianus Card. Saxo-Zeitziensis, qui ejusdem Archiepiscopatûs investituram 16. Octobris suscepit: videbanturque potissimi Hungariæ Ordines ad pacem & submissionem inclinare

Augustus Cardin. Saxo fit Archiepiscop. Strigon.

clinare, cernentes hoc infolenti & perfido bello nullum regno & reipublicæ emolumentum, sed extremum adferri exitium & ruinam, libertatemque tanto humano sanguine quæsitam non adepturos, sed omnino ob toties iteratam perfidiam & crudelitatem meritò Dei judicio amissuros, timebantque justam Dei vindictam, ut quòd legitimi Regis effugerent potestatem atque infringerent, barbararum omnino gentium perpetuæ eos subjiceret servituti; hinc justum illis incutiebat terrorem, quod perduelli Comiti Peckro recenter medio Octob. contigerat: hic frumentum molitrinæ molendum commiserat; sed loco consuetæ lateritii coloris farinam ter quaterve reddit, cunctis stupescentibus commolitur aliud vicini ejusdem generis frumentum, & consuetam optimamque refundit farinam: infunditur rursus comitis frumentum, & lateritiam sanguineamque iterum refundit farinam, quod prodigium per totam divulgatum Hungariam, & ad ipsum etiam Cæsarem, iræ divinæ metum terroremque injecit, ut nón modò vulgus, sed Magnates plurimi pacem unicè desiderarent, quam soli turbatum incentores prædis insatiabiles prædones, & regni proditores pertinaciter rejiciunt, immo Ozkajus nobiles quosdam pacem proponentes & persuadentes globo trajecit; & hic idem Ozkajus, Sarodius, Bogras, & Turoczius fatalem in Austriam moliebantur irruptionem & prædationem, quam tamen mature præveniens Comes Frid. Lôwenburgus dissipavit, & in fugam egit, captis eorum tribus primoribus, qui omnia hostium aperuerunt consilia: uti & periculosa Spilbergi in in-

Miraculo panis plures pacem desiderant.

insula Danubii detecta est proditio, capite minutis delatoribus.

Ragotziani rebellionē & vastitatem continuant.

507. Cæterùm omnium pertinacior Ragotzius Transylvaniæ Ducatum deperiens, ejusdemque jam Princeps à suis proclamatus [quasi verò ipsorum esset de aliena statuere provincia, ipsique residuum aliquod esset jus, quòd è suis olim majoribus ad tumultuarium Transylvaniæ regimen aliqui essent evecti] comitia regni indicit Onothi in districtu Agriensi, animorum, litiumve discordiis & homicidiis funestata; sed Cæsaris & Regis mandato quamprimum sunt rescissa, irritavitque Patrum Societatis Jesu proscriptionem à Ragotzio per universum Ungariæ regnum executioni mandatam, sed à Patribus nervosissimè refutatam. Hujus Ragotzii uxor propter suspectas literarum correspondentias Pilsoni in Bohemia detenta, excessit, erupit, evasit in Saxoniam custodis sui adjutorio & comitatu. Nec intermittebant Ozkajus, Karolius, aliique rebellium antesignani Waradinum, Devam, Leopoldopolim &c. à longinquo cingere, oppida inflammare, & furibundi tanquam leones suos crudeliter populares deprædari & trucidare: quanquam Karolum haud procul Ketzemet ad agros Cumanos Rasciani insigniter fuderint; Beckerus à Varadino illos rejecerit, & Starrenbergii Leopoldopolim necessario commeatu & bellico apparatu provisuri præsentiam triginta eorum millia non expectare, minus ausi fuerint sustinere. 22. denique Octobris Comes Adamus Kollonitschius Presburgi mandato Cæsaris à Cameræ Vice-Præside Comite

mite Ottone Christoph. Volckra Coronæ Ungaricæ custos & conservator consuetâ solemnitate est constitutus: quæ corona anno millesimo S. Stephano Regi à Sylvestro II. Pontifice donata nunc Presburgi, antehac in validissima montis arce Vicegradensi, Budam inter & Strigonium summâ veneratione conservabatur, atque inde ad Regis coronationem in triumphali veluti curru splendididissimo Nobilium comitatu, prætoriano utrimque stipata milite solennissimâ pompâ defertur.

Cæsareus interea miles anno vergente ad hyberna diverterat, plurimique Ungarorum Magnatum regni & patriæ suæ irreparabilem deplorantes ruinam, concordiam & pacem suspirabant, & vero spes etiam affulgebat; sed nescio quâ dæmonis invidiâ perduellium animi inflammati in Cæsareanorum ducum absentia fossiles prope Eisenstadium lineas initio Novembris ejectis furiosè stationariis oppida Petschedum, Eisen- & Neostadium diripiunt; Styriam involantes omnia ferro & flammis crudelius quàm unquam hactenus devastant, trucidant, pluribus prægnantibus etiam fœminis, manus & pedes obtruncant; nec humano fœtui parcentes ad saxa immaniter allidunt: 18. Novembr. superatis circa Mattersdorffium lineis Berezedus cum duobus armatorum millibus Esterhasii bona, ejusdemque fluviis Leithæ & Wulkæ adjacentes vicos Pezinum, Kronstorffium, Zikolium, Strunckelbrunum & plures alios expilat, incendit, & omne crudelitatis genus in subditos exercet, sacra templa & vasa diripit, effusisque in ter-

Styriam invadũt crudelissimè.

ter-

terram ſanctiſſimis Hoſtiis pedibus ſacrilegè & impiiſſimè inſultat, atque ita totam perduelles paſſim pervagantes Ungariam, prædonum & latronum efficiunt ſpeluncam, immenſamque prædam & theſaurum extorquent, de quo quia gregarius pauca, aut vix quidquam participat miles & centuriones, magna ſubinde inter ipſos oritur diſcordia, invidia & ſimultas, nec non indies inter præcipuos factionis anteſignanos major invaleſcit diffidentia, qua territus Ragotzius Karolo, Antonio Eſterhaſio, & Ozkajo manus injicit, Berezedo fugâ ſibi conſulente; ut autem maturam rei adhiberet medelam, conjuratosque confirmaret in perfidia, comitia ad 5. Decembris Caſſoviæ indicit, refragantes vi compellit, Simonemque Forgatſchium ob conſtantem in Cæſarem fidem illi admodùm offenſus, in validiſſima ſua Sepuſienſi arce comprehenſum, & Mungatſchium cautè traductum arctis mancipat vinculis & catenis, graviter ſuo tempore caſtigandum. Recrudeſcente igitur per hyemale etiam tempus malo, evocati ſunt in bellico Viennæ conſilio congregati Duces & tribuni, ut hoſtilem cohiberent furorem, qui collectis undequaque copiis Palfium Croatiæ Banum copiis multò inferiorem opprimere moliebatur; hic cautè tamen iteratis aliquot velitationibus evaſit periculum, cæſis eorum 40. captis 17. unum ex ſuis deſiderans, & quatuor ſunt vulnerati, & quia ad decretoriam pugnam vix perduelles pedem firmabant, excurſionibus plerumque & velitationibus utrimque eſt actum, quibus varii, etiam ex primoribus, intercepti ſunt cap-

tivi

tivi, præcipuè autem indolebat Ragotzius captum sibi fidissimum omnium sic dictum Gergel Janos, virum 70. annorum perditissimum, & perfidiâ inveteratum, qui intimorum conscius consiliorum non Tôckelianæ tantùm, sed & hujus Ragotzianæ conjurationis fuit fabricator vaferrimus, quam Vatinianus semper Austriacæ familiæ & Germanorum hostis jam per quadriennium, antequam detegeretur, machinatus, nullo non momento vitæ tam desperata contra illam concepit consilia; ideoque perduellibus sermone adeo erat charus, & opere promptus, ut gubernator passim & vice-Rex Ragotzii Regis (saltem mentalis) diceretur & veneraretur, ideoque caute Viennam delatus multa haud dubie clandestina conjurationis sponte vel coactè prodidit mysteria, supprimendæ factioni conducentia, ad quod Cæsar & Rex nihil laboris, curæ & sollicitudinis intermiserunt; sed 22. Novembr, Hungaricæ aulæ Cancellarium Comitem Illieshasium, Com. Oerdedum, & Secretarium Samogum in Hungariam cum instructione & potestate concordiam tentandi, tractandi, & ad fidem obedientiamquue omni meliori modo perduelles reducendi indultâ omnibus, excepto uno Ragotzio, amnestiâ, ablegarunt ad Cardinalem Augustum Saxoniæ Ducem, Tirnaviæ in concordiæ negotio indefesse cum Rebellibus desudantem: ejus quidem spes aliqua in principio affulgebat; sed perfida mox Hungarorum confundebat & evertebat inconstantia, quæ à primi sanctissimi Regis sui Stephani temporibus per tot sæcula ad piissimum Regem Leopoldum I. huc-

Captus Rebellis primarius.

Cæsar tentat per Augustum Cardin. concordiâ sed frustra.

hucusque Hungarorum animis manet inveterata, & per impiam in Deum, quidni & in Regem suum perfidam hæresin in hunc usque diem est propagata. Cæterùm maxime Hungari metuebant pestem in vicina sibi Polonia grassantem, & Silesiæ modò finibus appropinquantem; quapropter omnes inde in Hungariam aditus sunt interclusi, & mercimoniorum negotiatio suspensa, sed non absterruit Suecorum Regem à Silesia. Hic Carolus, ut *suprà n.* 479. retuli, hucusque moratus in Saxonia, petiit, persuasitque Augusto exregi, ut literis ad Stanislaum Lezenskium datis, sibi in Regno Poloniæ ejusdem Sueci operâ substituto sub nomine regio fuerit gratulatus, auguratusque subditos obsequentiores, qui meliori fide illum observarent, quàm fecissent ipsum; questus, quòd major eorum pars laborare non cessasset, usque dum ejus ruinam & exauctorationem obtinuisset. Interim ipsis Calendis Jun. Lublini Poloniæ Nobiles Stanislaum agnoscere detrectantes, quasi alterum sibi Regem facturi, adunantur. Sed quòd plures & plures huic accessuri consilio sperabantur, destinata electionis dies multiplici dilatione protelatur. Wisnoviskius interea Princeps ad Suecorum, & Stanislai castra trahit Lithuanorum copias, perstante firmiter, pro patriæ liberatione, coronæ, ut vocant, exercitu. Convenêre tandem X. Calend. Augusti in eandem civitatem non Primas solùm, summus Generalis, numerosaque procerum multitudo, quin & ipse Czar Moscorum, à quo petita fuerat congressûs protectio. Sed cùm ad rem esset ventum, pe-

Pestis ex Polonia & Silesia Ungariam invadit.

petentibus aliis, an interregnum publico fuisset edicto promulgatum? aliis, an Augustus de sua abdicatione certam per datas epistolas fecisset Rempublicam? aliis, ut consueto gentis more Dietinæ ante electionem præmitterentur. Ut tandem omnibus fieret satis, statutum est, thronum vacantem declarare, & Dietas præmitti particulares: quibus auditis ad novum Regem eligendum acturùm procederetur.

508. Inter hæc Carolus Suecorum occulta & clandestina cudebat consilia, multis per Europam Principibus, aliisque suspecta; plures Gallorum opibus fotum in Germaniæ viscera expeditionem pro Bavarorum restitutione meditari suspicabantur, aut ut ex antiqua cum Ludovico XIV. consuetudine & pactis ad honestam Cæsarem & Confœderatos cogeret pacem; à quo econtra Marleborugus cæterique Confœderati acriter ipsum dehortati fuerant, pridem aliàs offensivum cum eo pepegisset fœdus, nam ingentem interim auctoraverat militem, & legiones aliquot submiserat Stanislao. Tandem Rex 20. Augusti præmissis impedimentis militaribus, ingenti jumentorum, pecudumque copia ad medium Septemb. cum toto exercitu Silesiam occupat, ab Augustanæ ibidem confessionis principibus, ejusdemque religionis consortibus magno sollicitatus studio: quapropter Lutherani jactantiores, & Catholicis dominantes, omnia ferè à se militaria hospitiorum, alimentorum, pabulorum & collectarum onera in solos Catholicos, ne mutire quidem audentes derivant & devolvunt. Exigebat enim Rex restitutionem

Suecorum Rex exercitum in Silesiam effundit.

Catholicos ibidem opprimit.

tionem omnium locorum, templorum, hospitaliorum, scholarum, monasteriorum, bonorum & redituum, quæ à pactis & tabulis pacis Monasterio-Osnabrugensis *cap.* 5. §. 13. possederant, & vigore concordiæ illis erant permissa, sed à Lutheri, malorum tunc omnium in Germania incentoris, temporibus, Romano-Catholicis iniquissimè rapta & ablata fuerant, & sine omni injustitia illi justissimè interim recuperaverant. Quæ res summi hoc tempore momenti erat & consequentiæ, & tota non solùm Silesia, sed & universa periclitabatur Germania. Cæsar igitur pactis tabulis liberum Silesiis Augustanæ confessionis exercitium, cætera petita, templa, scholas &c. restituere promittit, résque utriusque partis deputatis commissa, Comiti Uratislao, Duci Holsatiæ Gottorf. Legato Suecico, supremo Suecico Commissario Comiti à Strallheim, & Legatis Anglo-Dano-Borusso-Batavico: qui inspectis maturéque examinatis utrimque omnibus allegatis negotium amicabiliter componerent, sine dubio Romano-Catholicis infelicissimum simul & perniciosissimum; jam tum enim passim evulgabatur, octingenta Romano-Catholica templa, & præter alia etiam Lignitiense Patrum Societatis Jesu Collegium heterodoxis cedendum, in cujus redemptionem Societas illis centum quinquaginta florenorum millia obtulisset. Pater quidem Fridericus Wolffius S. J. Sac. Theol. Doctor sapientissimus, & in ejusmodi periculosis fidei negotiis non in aulæ solùm Viennensis privatis consiliis, sed in aliis etiam Principum aulis, tecto sæpius

Lutheranis templa &c. restituit.

Immenso Catholicorum damno.

Lo-

Lojolano habitu, versatissimus, omni rationum, dexteritatis & eloquentiæ argumento, nec non singulari humanitatis, & omni officiorum genere, Societatis suæ deprecatus oppressionem, varios remediandi modos supremo suedico Commissario Stralheimio suasit, sed an persuaserit, dubito: alimenta tamen ab immemorabili tempore à beneficiis suis suppeditata, & jure naturæ debita exigebant Ecclesiastici, & religiosi Ordines sumptus in construendis templis, Collegiis & Monasteriis suis copiosissimè impensos.

Cæsare id permittente protestatur Pontifex.

Pontifex Clemens XI. per suum ad aulam Cæsaream Viennæ residentem Nuntium Apostolicum de matura nimis cum Rege Sueciæ facta compositione & restitutione protestatus quidem est, uti olim quoque Innocentius X. anno 1648. per suum ad pacem Monasterio-Osnabrugensem (regulam nunc & fundamentum omnium pacis tractatuum) Legatum Fabium Chisium, tunc Nuntium Apostolicum, & pòst Innocentii obitum Pontificem Alexandrum VII. virum sapientissimum solemnissime in corona legatorum omnium fuerat protestatus, & emisso postmodum 1650. diplomate damnaverat; sed cùm hostis formidabili cum exercitu jam tum ipsa Silesiæ viscera occuparet, quem Cæsar nullo modò, vi aut ratione, exercitibus suis in Ungariam, Italiam, & Hispaniam ob gallicum bellum abductis, poterat ejicere, sed necessariò connivere & permittere debebat, quod impedire non poterat: necessitas enim legi non subjacet, *l. tutor qui repert. ff. de admin. tut.* referetque Escobar *de ratiocin. admin. cap.* 10. *à n.* 10.

 plura

plura de hoc ex S. Scriptura exempla: Nam facit necessitas licitum, quod de jure non est licitum, *cap. quod non est licitum. de reg. jur.* Ideoque non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana; præsertim cùm urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit: quoniam ipse Deus ex his, quæ in veteri testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo. *cap. 8. decretal. de consang. & affinit.* Quæ autem urgentior necessitas erat illa permittendi, ne ferro & flammâ non sola Silesia, sed etiam Bohemia, Moravia, inferior superiorque Austria, imo & bello & hæresi fumans adhuc Hungaria in extremam evidentemque præcipitarentur ruinam, eademque Lutherana hæresis latiùs propagata, raptis eversisque Catholicorum ibidem bonis & ecclesiis immensum sumeret incrementum? melius itaque, & evidentior videbatur utilitas, amittere partem quàm totum. Quare Cæsar severissimis prohibet pœnis, ne quisquam Catholicorum his concordiæ pactis contradicat, sed amicabili convictu cum Lutheranis conveniant.

Suecus Poloniam repetit.

509. Sic itaque Carolus XII. præmissis ad Stanislaum Regem sexdecim armatorum millibus, ipse cum exercitu reliquo propediem 19. Septemb. transmissâ Steinaci Oderâ in Poloniam contendit, sævissimâ licet peste infectam:

Pestis in Polonia.

quæ pestis ingentem hominum, & imprimis Judæorum numerum Cracoviæ potissimùm devoravit; unde plures quidem fugam meditantur, sed Moscoviticum præsidium nullum, nisi

qua-

quatuor prius mensium militarem numeraverit collectam, seu contributionem; Russi enim, seu Mosci, profligato priori anno Mardefeldo Sueco Poloniam propè totam, ipsam adeo metropolim Varsaviam præsens Czarus, seu Imperator occupat, & satis barbarè cum Polonis, præsertim Hæreticis Lutheranis, agunt, quorum comprimis sollicitatione Suecorum Rex Carolus in Poloniam est tractus; adeoque graviter & implacabiliter illis offensi nummis exhauriunt, oppida & vicos inflammant, & si quem cæruleo vestitum offendunt, perinde ac Suecum trucidant, excoriant, immo & ignibus vivum injiciunt. Czarus ex regio Villanovæ palatio & topiario omnes statuas, mala citria, pretiosas hortorum delicias, librorum bibliothecas, & omnis generis opifices magno numero inde in Moscoviam transmisit, quibus suam ita vult Russiam artibus & opificiis excolere, & subditos suos exornare, ut aliis regnis & provinciis, quas summa perlustraverat curiositate & studio, scientiis, navigatione, mercaturâ & arte militari non cedant, vel saltem adæquent. Omnibus præterea Romano-Catholicis ecclesiasticis & religiosis potestatem Romano-Catholicam fidem ubique per Russiam seu Moscoviam liberè prædicandi, & juventutem instruendi impertivit, & Cæsar Leopoldus suo ibidem ære Ecclesiam construi jussit, non sine maximo Russorum gaudio & emolumento, ut spes sit insignem brevi Catholicæ ibidem fidei messem fore colligendam. Cujus proinde Legatus Romæ singulari à summo Pontifice & Cardinalibus excepus

Moscus Poloniam occupat

Catholicam Religionem Moscus permittit, eamque Romæ affectat.

ptus benevolentiâ & honore, qui certam magni sui Czari ad fidem Romano-Catholicam conversionem, differentiasque & græca schismata cum Romana Ecclesia appromisit componenda & tollenda: immo ut romana tum ferebat fama, factâ Græco-Mosca cum Romana Ecclesia unione, Magnum Czarum à Rom. Pontifice antiquiore sibi competente jure & officio Orientis declarandum Imperatorem, quàm quo anno 1700. occidentis Imperator Roman. Magnus Leopoldus I. jure etiam sibi congruente Electorem Brandeburgicum Fridericum III. (septimæ partis Germaniæ possessorem) absque Pontificis præscitu & consensu Borussiæ Regem declaravit. Id quod maximi catholicæ fidei fore emolumenti, & contra Turcas præsidii ac munimenti sperabat; sed maximæ etiam inter alios Europæ Reges æmulationis futurum. Poloniam econtra in extremam adeo præcipitandam ruinam quis non videt? Rege cum Ogilvo in Saxoniam regresso, ut vel inopiâ virium rege careat, vel eligat talem, qui Moscoviticâ tectus & armatus potentiâ hostium à regni cervicibus depellat insidias, & non sui sit juris, sed alieno vivere debeat arbitrio, Moscorum scilicet Imperatoris, quo in calamitoso miseriæ statu atque exitio, quo se vertant Poloni, nesciunt; Russi rejecto Stanislao Rege novam urgent electionem, quam Sueci ferro & igne severissimè prohibent, Stanislai Regis electionem propugnantes, mutuòque armis non rarò litigantes; nam mille ducenti Russi mille Suecos Steinaviæ in Silesia inferiori Viadrum seu Oderam fluvium tran-

Miser Poloniæ status.

transeuntes tumultuariè adorti, internecivè fundunt; in Lithuania Lôwenhauptum, & in Polonia Rheinschildum profligant, demum collectis omnibus copiis Vistulam fl. transmeantes advenientibus cum exercitu Suecis à Stanislao afflictim sollicitatis locum cedunt, non metûs causâ, ut ipsi jactabant, sed Rom. Cæsaris gratiâ, ut occupatam citius Silesiam evacuarent; facili etenim negotio Viadri transitum Suecis prohibuissent: tum etiam quòd Czarus polonicæ nobilitati Stanislao adhærenti, & in Poloniæ regnum reverso congratulanti minus fideret, ideoque nollet polonici regni exercitum ob seditionis metum suo conjungere: quod non leviter Polonos offendebat. Quidquid igitur æris & fortunarum Russorum rapacitati subtractum, totum extorquet Suecorum aviditas, & ad incitas florentissimum Poloniæ regnum redigit. Præter hæc Moschus Polonia cedens omnia adeo depopulatur, ut ne in rutis quidem, quod dicitur, & cæsis quicquam residui permanserit, & omnem Suecis sustulit vivendi subsistentiam; qui Sueci prope Posnaniam Generalem Patkulum à Suecis ad Moschos transfugum carnificis manu in quatuor dissecarant partes, quem, quòd General. Schultzius eorum manibus non eripuerit, quod potuit, tulit Czarus gravissimè, & arresto illum tradidit.

§. 10. Poloni autem in indicto 3. Octobris à Gnesnensi Archiepiscopo & regni Primate Steinbecko senatorio regni consilio juxta Sendomiriensem cum Czaro pactam confœderationem, liberam, coactâ Stanislai rejectâ, novi

Poloni Augusti Regis electionē confirmant.

regis electionem stabiliunt & confirmant, factâque generali Nobilium ad arma evocatione, prompti omnes amore patriæ ad defendenda libertatis jura se offerunt: quare haud procul Thoruno in campo Borzariensi phalangem Suecorum confidentem Moschi plurimis cæsis in fugam compellunt, & incensis duobus Vistulæ pontibus Thorunum arctè includunt, quasi urbem, ut comminati fuerant, certò direpturi, ne Suecis quicquam esset residui; idem metuebant cives Varsavienses, sed sine molestiis Princeps Mencikovius cum sua aula, & Generalis Ronne cum duodecim equitum & pyrobolariorum millibus inde Bretzkum in Lithuaniam abeuntes, reliquum eò confluentem exercitum expectant, Suecorum ibidem impetum excepturi, & crudeli morte Patkuli exacerbati cunctos Suecorum Officiales captivos manuum digitis obtruncatis mutilatos, & ad omnia ineptos demittunt; & quia Borussi Suecorum fovebant partes, totam, & imprimis Lissam urbem flammis funditùs evertunt, & quasi eradicant: ubi rem admiratione dignam contigisse asseverant, fruges & frumenta ab ingenti Moschorum peditatu & equitatu studiò protrita ad finem Septembris adeo copiosè efflоruisse, ut culmus unus novem protulerit aristas, arboresque pirus, malus, cerasus flores simul & fructus, in altera licet parte foliis ab igne viduatæ, mirè produxerint.

Stanislaus suā.

Porro intrusus à Suecis contra Polonica libertatis jura Stanislaus Rex communi in prætoriis suis stativis consilio, omni studio & arte regium suum firmare thronum nitebatur, & ner-

vum

vum undequaque bellicum conquirere; ſed facilius à pumice, quàm ab indigenis triplici hoste ipſis Turcis atrociori enervatis, fame & peste miſerè enecatis, extorquere potuit; an Dantiscum gratuitum ſuppeditaverit donum, ut dicebatur, incertum eſt; ita etiam 2. Novemb. ab omnibus regni ſenatoribus, palatinis & incolis juratam ſibi fidem & homagium exigebat, & obedientiam; refractariis autem & immorigeris præter bonorum confiſcationem mortem ferro & igne, omnique tormentorum genere intentabat crudeliſſimam, quod ingentem cunctis incutiebat terrorem, præſertim cùm à decimâ Novembris tribus continuis in Lithuania diebus Stanislai Archiſtrategus Wisniowickius diverſis velitationibus 2600. Ruſſos profligarit; & in Palatinatu Vilnenſi eodem Sueci tempore quinque Oginskii vexillationes internecivè, & alias alibi deleverint, non ſine tamen copioſo Suecorum ſanguine: atque hinc Reges Carolus & Stanislaus motis caſtris bellico apparatu & annona ſufficienti proviſis in Palatinatum Cujavienſem cum omnium admiratione ſimul & terrore contendentes, Suecus 16. Novemb. Lubranii duobus Thoruno milliaribus caſtra figit; atque ita Ruſſis approximantes 19. Novemb. tentatus utrimque aliquot phalangum eſt conflictus (nam Sueci nonniſi toto adveniente completoque exercitu volebant concurrere) quo Suecorum ſex millia, præter captivos & ſaucios occumbunt. Tum Suecorum Rex Ruſſo ſine omni expectatione pacis offert articulos ſibi admodùm favorabiles, Ruſſo autem

Suecorũ & Moscorum velitationes.

tem iniquissimos, ideoque non solùm non admissos, seu nec lectu quidem dignatos, nec impudenti vacuos arrogantiâ; nam & in Polonia Helvetorum interventu & incitatione Augustanam etiam confessionem, ejusdemque bonorum restitutionem hinc inde contritam studiosâ ubique inquisitione, uti in Silesia, restaurare moliebatur.

Capitulum metropol. Colon. repetit ab Elect. Palatino Cæsaris Insulam Kerpenam & Lommersheimiẽ.

512. Haud minima etiam gravamina electorale Capitulum Coloniense Imperii Rom. statibus hoc tempore demonstravit, quod quamvis Cæsaris & Imperii semper partibus fideliter adhæserit, suumque rhenano circulo deputatum præstiterit, præter ingentia tamen passum detrimenta, illud etiam Imperii Electores dismembraverint; Elector enim Palatinus Cæsaris Insulam, & Brandeburgicus, seu Rex Borussiæ Rhenobercam, à Gallis permissu Electoris Josephi Clementis contranitente Capitulo invasas, sed hoc ultimo bello à conſœderatis recuperatas, & hucusque à præd. Electoribus ab anno 1702. & 1703. cum omni emolumento jure retentionis possideant. Et Palatinus quidem Cæsaris Insulam everso fortificationis robore loco pignoris archiepiscopatui Coloniensi olim traditam, nunc grandibus belli sumptibus reluitam prætendat; cùm non jure pignoris, sed emptionis, & pleni dominii archiepiscopatus multis seculis possederit, quam Otto Palatinus cum fratrum & nepotum suorum consensu cum civitate, arce, telonio &c. præd. archiepiscopatui irrevocabiliter vendiderit, & omni jure suo decesserit. Idem præterea Elector arcis & dominii Ker-

Kerpensis & Lommersheimii sibi arroget possessionem & proprietatem, capitulique ministros & officiales inde expulerit: quæ Elector Maximilianus Henricus an. 1654. abs Rege Hispaniæ pro 75. Philippicorum millibus loco pignoris, & jure antichreseos cum mero & mixto imperio, concesso etiam à Regia Bruxellensi aula feudo, accepit, & metropolitano capitulo Colon. per testamentum pro animæ suæ refrigerio legavit, eidemque capitulo feudum illud Bruxellensis aula secundò confirmavit, ut inani, imo nullo sibi nunc titulo illud possit arrogare Palatinus.

Et ab Elect. Brandenburg Rhenobercam.

Elector deinde Brandeburgicus Rhenobercam ab an. 1703. ob illata hujus belli damna cum omnium appertinentium emolumentis jure retentionis adhucdum occupet, telonium inde in Obsorgen, Clivense solum transtulerit: Reformatos in senatum intruserit; prætorem, aliosque catholicos ministros substitutis Reformatis deposuerit: Reformatorum denique templum erexerit &c. Horum omnium cassationem Capitulum quidem Berlini, sed irritò, postulavit, cùm tamen indigenæ ibidem reformati an. 1624. decretorio religionis termino nullum suæ religionis habuerint exercitium; anno autem 1633. emisso hispanico præsidio, soli substituto Batavico præsidio, permissum fuerit exercitium; illo rursus anno 1672. ejecto, in antiquum tam Religionis quàm politiæ statum omnia sint reposita: & in pacta an. 1674. pace omne Batavi jus Rhenobercæ in Electo-

tem

rem Colon. cesserunt: in ultima denique an. 1703. Capitulatione Rex Borussiæ promiserit se nihil in religionis statu immutaturum, jusque nullum Reformatis ultra concessurum &c. Cum igitur in priori & moderno bello gallico Capitulum in admissis in archiepiscopatum gallicis copiis omni vacet culpâ, omninóque in hoc se apud Imperium Rom. justificaverit; si quid tamen forte in prioribus contigerit belli tempestatibus, id omne per pacis Neomagensis & Ryswicensis amnestiam fuit remissum & deletum. Neque tum quicquam juris Rex Borussiæ prætenderit: consequenter nec jam juxta *art.* 17. §. *instrum. pac. Westph.* jus retentionis sibi poterit attribuerit. Capitulum præterea ceteris Imperii Circulis associatum guerantiam seu assecurationem à Cæsare, Anglis & Batavis obtinuerit, gravissimas contributionum & hybernorum summas Regi persolverit, qui eversa urbis fortificatione omnia tormenta & apparatum bellicum inde Wesaliam abduxerit &c. Hinc justissimè petit exigitque Capitulum, ut Electores Palatinus & Brandeburgicus ab omnibus deinceps onerum impositionibus abstineant, priora resarciant, Rhenobercam, Cæsaris Insulam. Kerpenam & Lommersheimium cum suis juribus, teloniis, proventibus, omnibusque appertinentiis Archiepiscopatui Coloniensi cum cunctis hactenus perceptis emolumentis restituant. &c.

Porro Comitatum Moeursium in Ducatu Clivensi Cæsar in Ducatum Imperialem exaltavit, ejusdemque feudum Regi Borussiæ tanquam Principis Arausiaci, seu Regis Angliæ

Wil-

Wilhelmi improlis cohæredi conferens, 16. Aprilis solemni Viennæ ritu ejus dedit investituram.

Wetzlariensis Visitatio decernitur

Visitatio seu castigatio Wetzlariensis Cameræ à Cæsare intra bimestre incipienda est imperata, & trium collegiorum S. R. I. consensu 20. Aprilis confirmata, decreta demum est 20. Junii. Ad eam à Cæsare deputati sunt Visitatores & Commissarii principales Abbas & Princeps Campidunensis, & aulico-imperialis consiliarius à Zimmerman; ex parte vero Imperii Elector Trevirensis specialiter & personaliter requisitus, se excusavit. Sed hæc toties ardenter expetita visitatio, ad quam suum quoque urbs Coloniensis misit deputatum, & jam plures præd. termino subdeputati illuc modò convenerant, ulterius tamen est dilata tum ob temporis brevitatem, qua Abbas Campidunens. Zimmermannus, & Principis Badensis Baden Consiliarius intimus & Cancellarius Judendunck (Coloniâ antehac profugus, de quo supra) sua prius negotia expedire nequibant; tum propter incidens in Sueviam bellum (cujus causâ Commissionem Campidunensis deprecabatur) tum alias etiam ob causas: tandem ob varias præcedentiæ, sessionis, alternationis &c. compositas rixas, 20. Octobris ad primam Wetzlarii sessionem ab aliquibus subdeputatis ministris duo principales Cæsaris Commissarii Abbas Campidun. & Zimmermannus ex aula sua ad consuetam judicii Cameram insigni comitatu sunt deducti, & à reliquis Deputatis ibidem honorificè excepti:

quâ

quâ peractâ omnes liberali à Campidunensi Principe sunt epulo refecti &c.

Processus Palatino-Wormatiensis finitur.

513. Gravis & diuturnus hoc anno processus Palatino-Wormatiensis inter Joannem Wilhelmum Electorem, ac ejusdem fratrem Alexandrum episcopum Wormatiensem; à tribus Cameræ Imperialis advocatis fundamentaliter discussus, tandem est compositus. Huic olim episcopatui invalescentibus tum temporis Lutherana & Calvinianâ hæresibus, vigesimus primus Elector Palatinus Fridericus Simerensis armatâ manu crudeliter avulsit & occupavit ecclesiam Neuhausanam cum omnibus proventibus, pagis & appertinentiis ab immemoriali tempore ad annum usque 1565. legitimè possessam; catholicos focis suis & aris immani rapiendi libidine ejecit, bona & facultates eorum heterodoxis distribuit, hæreses invexit, & omnia susque deque evertit. Hisce altero quamprimùm anno 1566. se viriliter opponens Theodoricus episcopus Wormatiens. demonstratâ injustæ violentæque depossessionis injuriâ, impetravit à Cæsare & utriusque religionis Electoribus, Principibus, ac Imperii Rom. Statibus juxta Imperii constitutiones & pacta sententiam restituendi ecclesiam Neuhausanam Ampt und Stifft cum omnibus appertinentiis, proventibus, sumptibus, damnis & interesse hucusque cessis &c. Quæ in favorem episcopi lata sententia, sive ob diuturnam Electorum usque ad an. 1618. possessionem, sive quod multi heterodoxi privarentur bonis, proventibus &c. hucusque suo ministerio attributis & possessis; sive aliam

aliam ob causam est dilata. Postmodum etiam anno decretorio 1624. ex art. 4 §. Electori quoque Trevirensi, & art. 5. instrumenti pacis Monasteriensis juxta Imperii Rom. constitutiones & Recessus, ac juxta jura canonica & civilia tota omnino restitutio iterum confirmata & declarata: atque etiam anno 1656. in imperiali deputatione Erfurtensi omnis nunc Electoris contradictio à Wormatiensi episcopo quidem esset refutata, & evicta restitutio; sed quia tunc aliqui majore hujus rei indagatione opus esse dicerent, & ad aliud forum vellent rejicere, rursus prolongata est executio. Quâ etiam occasione quemadmodum Cæsareo-Imperiali sententiâ Neuhausen & Zinsheim; ita quoque ex eisdem jurium, Recessuum, & pacis Monasteriensis fundamentis ecclesia Käyserslauteren, monasterium Schonau, Libenau, Schiesheim, Steurbach, & plurima alia tam in hac quàm aliis provinciis forent restituenda, testantibus Actis publicis apud Londorpium tom. 5. pag. 534. citatum à Monatlicher Staat-Spiegel ann. 1707. mense Mart. Et quia Palatinus tot sententiis convictus fratri suo episcopo Wormatiensi judicatum facere intendebat, Rex Borussiæ heterodoxorum patronus & fautor prædict. ecclesiasticorum proventuum restitutionem aliis à Catholicis resarciri ecclesiasticis bonis & reditibus exigebat: quasi verò etiam & illa non sit injustitia, imo turpior rapina. Ad ejusdem Regis comminata in monachos sui Regni Benedictinos Repressalia Abbas Campidunensis abstractam in Algavia Reformatis templi partem

tem Thien vocant, die 27. Martii restituit.

Duellũ Sintzendorffii & Colaldi.

Viennæ 11. Martii duo Comites Augustus Sintzendorffius Generalis, & Colaldus verborũ rixis collisi, ille ad gladii duellum in suburbio Rossau Colaldum provocat, & in manu ac corpore vulnerat: sed per spectatores compositi rhedâ discedentes, Colaldus dupliciter se saucium indignè ferens, & alterius vicissim sitiens sanguinem, ad secundum provocat duellum, in quo Sintzendorffii guttur transfigit, & momento occidit: Colaldus ad Servitarum monasterium delatus, sequenti nocte confessus & testamentatus obiit familiæ suæ stirps ultima. Cùm tamen severissimis duella cujuscunque dignitatis pœnis Cæsar anno 1669. & 1681. ac imperii Rom. status Ratisponæ ann. 1681. per totum Rom. Imperium sub quovis prætextu & excusatione prohibuerint, ortasque inter illos rixas & discordias sine ulla mora reconciliandas Cæsar mandaverit.

Audax Colonelli Gethem facinus.

9. Calendis Aprilis audaci sanè facinore batavicus Colonellus Gethem cum 30. circiter Athensis præsidii militibus in Galliæ viscera excurrens, Marchionem de Beringhen, regium stabuli præfectum Parisios inter & Versailium noctu in sejuge rheda domum properantem intercipit, & usque ad regni confinia exportat, illum jam propè Confœderatorum castris illaturus, nisi ab emissis subito undequaque persequentibus Ham inter & Peronnam interceptus, prædam & libertatem amisisset, factus ipse Gallorum captivus. Tantus facinoris ausus, quem vix creditu possibilem, & regiæ aulæ terribilem at-

attentarat, & penè perfecerat, quidam verè latrocinium morte dignum censebant; benignè verò à Ludovico Rege plenus magnanimæ generositatis acceptus, captivitatis locum, vel urbem, quam eligeret, permisit, usque dum solito inter belligeros more ejus libertas alterius captivitate, aliove lyro (quod captus ab eo Marchio, ob singularem sibi præstitam humanitatem offerebat) redimeretur, eidemque Rex regiæ suæ licet familiæ insidiatori post plures in aula sua exhibitos honores pro viatico 200. pistoletos donavit. Multò regalius est addere, quàm auferre, ajebat Artaxerxes apud *Plutarch. in apophth.*

514. Rastadii in Marchionatu Badensi, obiit Ludovicus Wilhelmus Marchio Badensis quartâ hujus anni die Januarii, ætatis suæ quinquagesimo secundo, Cæsaris supremus belli Vicarius, & Generalis Imperii Rom. Mareschallus, Gallorum & Turcarum sæpius victor & profligator felicissimus, nisi quod aliquando illis ad Rhenum parcere visus fuerit. Princeps ad magna natus, consilio, generositate, vigilantiâ, & militari experientiâ à teneris præstantissimus, ideoque bello quàm aulæ aptior, verbis liberalior aulicorum castigator; suæ denique opinionis & consilii tenacissimus, à quo vix, quin sui quid sensûs admiscuerit, poterat dimoveri: plures habuit æmulos, sed suarum virtutum æmulatores nullos. Plures fuêre supremæ hujus militaris dignitatis competitores & candidati. Ratisponæ in comitiis litigabant Evangelici cum Catholicis ordinibus vigore imperialis rescripti alternative unum ex suis poscentes; in unum tan-

Mors Lud. Badensis.

Discordia de successore.

dem conveniunt Eugenium Sabaudum; quod Cæsari admodum placuit, ut militaris illum rei præsidem in Germania haberet proximiorem; ideoque Guidobaldum Starrenbergium in ejus locum destinabat in Italiam & Sabaudiam: sed refragante vi pactorum nuper confirmatorum, aliisque de causis Amadeo Duce Sabaudiæ, remittit Cæsar Eugenium in Italiam, & supremum belli in Germania Vicarium constituit Christianum Ernestum Marchionem Bareutensem, ex Brandeburgicis lineæ Franco-Culmbacensis, virum provectæ ætatis, ideoque post tempus aliquot Regis & Electoris Brandeburgici hortatu & consilio honori isto renuntiavit.

Germanorum socordia à confœderatis excitata

Rebus ita ad Rheni tractum constitutis languebant Germanorum animi, circulorum defervebat studium & armorum præparatio; Gallorum econtra & Villarii indefessa desudabat industria perdita recuperandi; hinc Batavi hac de re admodum solliciti hortatorias literas ad comitialem Imperii Ratisponæ Conventum & Generalem suum Dopffium ad medium Februarii Viennam ad Cæsarem ablegant, armorum expeditionem ferventius promoturi: qui Heilbrunnam transiens, quatuor ibidem circulorum Deputatos ad auctorandos, maturéque supplendos milites: rem tormentariam & annonariam, ceterumque apparatum & nervum bellicum accelerandum: Philippopolim, Landaviam, & Friburgum sufficienti præsidio, apparatu & commeatu in tempore instruenda seriò admonet: imminens dein periculum, hostis vigilantiam, ejusque indefessum expeditionis ma-

tu-

turandæ in Alſatia, & imprimis Argentorati ſtudium adeo acriter illis inculcat, ut præfatus quatuor circulorum conventus concluſerit quidem, promiſeritque à 30. ad 40. armatorum millia in campum educere; Bareutenſis etiam lineas Stolhovenſes, ſeu Oberbulenſes ſtudet perficere, & deſertam nuper rheni inſulam recuperat; ſed patrio & hæreditario more, & malo, verbis promptiſſimi, manu & effectu tardiſſimi, litigantes invicem, de die in diem ſubſidia & ſupplementa differunt, dum interim Galli octingenta apparatus bellici plauſtra Metis in Alſatiam dimittere, Villarius Pariſiis illuc advolare, militem copiasque undequaque colligere, omniaque ad inſtans fervidè parare molimen, auribus & oculis ſpectarent quotidie.

515. Quare Villarius promoto 22. Maji Nauenburgum infra Argentoratum exercitu 40000. ſuperatoque tumultuarie rheno lineas, ſeu foſſas Stollhovenſes irruit, expellitque Cæſareo-Imperiales, per avia & deviâ maxima diſſolutione aufugientes; Bareutenſis cum parte exercitûs Durlacum elapſus, inſequente illam Villario confugit Heilbrunnam; impedimenta & res tormentaria Cæſareanorum defectu equorum capta eſt; Suevicam & Franconicam General. Janus ſubtraxit periculo; ſed eorum annonam, & magni pretii commeatus hoſtium ceſſit poteſtati. Tum foſſili Stollhovenſi lineâ complanatâ (quæ tantos labores, tantum temporis, tantas conſumpſit impenſas) Villarius rapidiſſimum ve-

Galli occupatis lineis Stolh. irruunt Franc. & Sueviā &c.

lut flumen ruptis aggeribus toto impetu in Franconiam & Sueviam, Delingam & Lavingam usque effusus, gravissimas ubique exactiones & contributiones ferro & igne extorquet, non sine justo terrore & metu hostem per totam ibidem hyemem permansurum, & Ulmam occupaturum, atque ita rursus belli sedem in ipsis Germaniæ visceribus, heu quàm irrecuperabili damno! fixurum; gravissimam namque his binis Suevico & Franconico circulis comminatus vindictam, extremam illis moliebatur ruinam & eversionem. Totum deinde Würtenburgensem invadit Ducatum, arcemque Schorndorffianam priori & moderno hucusque bello intactam 13. Junii occupat, & incredibile exigit tributum. Fatalis hujus irruptionis, & turpissimæ fugæ causa fuisse dicitur Generalium Cæsareanorum belliducum absentia, & absoluta imperandi potestas, animorumque discordia; Bareutensem enim Marchionem quidam ajunt cum Eugenio Duce alternare voluisse; Tüngenus etiam ex æmulatione fortè offensus Freudenthalii hærebat &c. Deinde quòd validissimæ equestres binæ legiones, & Ungaricus equitatus à linea & pugna abfuerint, eidemque se citra imperium Palatinæ subtraxerint copiæ. 3. Tormentorum Cæsareanorum usus inutilis, tum equorum, tum bellici apparatûs inopiâ, ideoque nonnisi hostium spolium esse potuerint. Alii alias affingunt causas, cùm potissima tamen videatur inveterata Germanorum tarditas & mora. Quid quod Galli haud paulò post General. Janum ad Lorcher-Loch ut vocant cum 1700.

Germanorum discor-

con-

confidentem incautè opprimentes, omnes aut internecione cædunt aut capiunt, rapiuntque ab intercepto Borussico Commissario ingentem pecuniæ summam. Cæsar rei restaurandæ haud parum sollicitus, General. Heisterum ad Imperialem demittit exercitum, sexdecim tantummodo armatorum millibus valentem; sed quid Heisterus cum XVI. contra Villarii XL. efficeret millia? nisi quod variis de loco in locum exercitûs demigrationibus hostem falleret, impediretque urbium invasionem: Cæsaris præterea jussu, ac Britanno-Batavorum literis & hortamentis [nam serias hac de re ad Electorem Moguntinum, cum comitialem Ratisponæ conventum raptim miserant] & prædictorum circulorum studio & sollicitudine (quia proximus ardebat Ucaleon) omnes populari seu vernaculo milite aditus oppessulantur, urbes, oppida & munimenta bellico apparatu, commeatu & præsidio instruuntur, & valide roborantur; submittuntur undequaque subsidia & supplementa, ut in justum tandem numerum excreverit exercitus, ad 30. circiter millia, qui hostilem hinc inde migrantem cautè & studiose subsequens observabat. 20. Augusti autem uterque exercitus haud prôcul Mühlberga castra duobus invicem milliaribus distantia metatur, conflictum fortè tentaturi, nisi auræ impedivisset tempestas; hinc post triduum uterque Durlacum promovet castra, oppidumque Villarius occupat: tum iteratâ in Sueviam excursione Môsskirchum, Mengen, Riedlingum, usque Beberacum, Rothweil, & Donau - Eschingen gravissimis subjicit tribu-

dia & mora.

Excitati tandem Gallis se opponunt.

tis; illinc tamen Dux Würtenbergensis variis illos velitationibus depellit; castra autem prope Durlacum infensissimis interim tormentorum invicem fulminationibus oppugnantur, novisque operibus & vallis securitatis causâ roborantur. Villarius demum, sive quod suo impar exercitu, cujus aliquot in Provinciam legiones ad defensionem & conservationem Tolonii submiserat; sive quod Cæsareo-Imperialis exercitus ad validiores jam vires excreverat, 29. Augusti noctu relicto Durlaco tormenta & impedimenta in alteram rheni partem transmittens, castra versus Rastadium marchionatûs Badensis promovet, quem Cæsareo-Imperiales propediem subsecuti, omnia illius observant molimina; non enim ausus fuit superatis Danubio & Ilaro (quod initio facilè poterat) interiora Sueviæ viscera ultra penetrare, difficiliorem metuens egressum, quàm ingressum; nam insecutus absque dubio Cæsareo-Imperialis exercitus haud exiguo interim auctus numero, evocatâ nimirum populari militiâ omnes facilè transitus poterat occludere, & ad internecionem illum delere non fuisset difficile; nec non fatalia Hochstadiensis & Schellenbergensis cædis terrebant ibidem vestigia, quorum memoria Gallorum adhuc animis metum incutiebat, & ab ulteriori absterrebat ingressu.

Galli Suevia & ducatu Würtenberg. expelluntur.

Cæsareo-Imperialis interim exercitus occupato Durlaco Etlingæ considens, castra, uti etiam Villarius insigni ex Belgio confirmatus augmento, Rastadii sua obvallat, receptoque per Ducem Würtenbergensem Hornbergo nova

va fossilis supra Etlingam, Gallis minimè contranitentibus, linea indefesso labore & studio effoditur, ac tandem Villarius Sueviam & ducatum Würtenbergensem ingenti indigenarum gaudio cogitur deserere, approperante imprimis cum germanis aliquot legionibus Neo-Electore Lunæburgo; Marchio enim Bareutensis senio confectus, belli incommodis & oneribus impar, comitiali Ratisponensi litigiosâ discordiâ, & hortatoriis Electoris Brandeburgici, Regis Prussiæ, literis & persuasione militarem hanc dignitatem non sine gravissima tamen animi sui commotione, literis etiam apud comitialem Ratisponæ conventum, & ipsum Prussiæ Regem Brandeburgicum contestatâ, abdicaverat; in hac solùm inferior expeditione, quia hostium viribus multo inferior; feliciorem autem in superiori gallico bello 1688. Suevia, & imperialis comprimis urbs Rothenburgum ad Taubarim fl. Christianum Ernestum suum deprædicant conservatorem.

516. Militari huic dignitati Ratisponensium votis, Cæsarisque consensu & approbatione succedit Elector Georgius Ludovicus Dux Lunæburgo-Hanoveranus, potentia, militarique arte præstans, & in septemdecim tum gallicis tum turcicis expeditionibus generose non minùs quàm gloriose exercitatus. Hic 15. Septemb. Cæsareo-Imperialia Etlingæ ingressus castra, & festive à supremis militum magistris Com. Gronsfeldio & Thüngeno exceptus, 24. Septemb. generalem vigiliarum præfectum Com. Mercium cum delecto equitatu expedit, immititque

Elector Hanov. fit mareschal. Imper.

Gallos cædit.

titque in gallicum general. propræfectum Vivantum cum militari collecta ex Suevia reducem, haud procul Offenburgo cum 4. equitum millibus considentem; Mercius cum hipparcho Lobkowicio per avia & devia eo dilapsus, Gallos adeo tumultuarie adortus in castris, ut Vivantus cum 7. legionibus vix inde prodiens nec ordines formare, nec Cæsareanorum sistere valens impetum & furorem, relictis castris & impedimentis in fugam se Brisacum versus conjicit. Cæsi sunt è Gallis propè octingenti, capti CL. & equi mille trecentii cum tympanis & signis aliquot equestribus; Cæsareanorum autem desiderabantur tantummodò XL. castrorum prædam & spolia [inter quæ etiam escatium Com. Vivanti argentum numerabatur] Elector in singulos divisit hujus expeditionis milites, fortitudinis suæ præmium, ad majora deinceps alliciens, acuensque generositatem, in defectu præsertim nervi bellici & stipendii, sine quo nihil singulare, præclari nihil unquam effici potuit: hinc elector ne unquam deficeret, apud Cæsarem, & imperialem Ratisponæ conventum proposuit, sollicitavitque operationis, ut vocabat, cassam Francofurti erigendam, in qua à belli ad Tractum rheni & Danubii gerendi sociis & circulis Imperii pro sua cujusque quota, anno 1704. Martii 11. comitiali decreto constituta, & singulatim nunc quoque approbata, ducenta imperialium millia in omnem belli eventum reponerentur, suâque Cæsar auctoritate, & sæveriori ad illud compelleret diplomate; quod idem comitiale conclusum Britanno-

Bata-

Batavi audientes iteratis maximopere literis urgebant, instabatque eorum Ratisponæ Legatus argumentis & rationibus irrefragabilibus. At vereor, ne monita illa etiam decies ingesta, & occentata decies nil pensi habeant; sed Ratisponenses plerique fuerint Athenienses, optimè decernentes, pessimè exequentes.

517. Properante autem ad finem anno Elector disposito opportunè per diversas stationes, hyberna & fossiles lineas jam absolutas milite, totius exercitûs curam supremo militum magistro, & imperiali rei tormentariæ Præfecto Thûngeno committens, octava Novembris Etlingâ è castris Hannoveram revertitur, postquam hortatoriis priùs literis Ratisponensia seriò comitia ad nervum bellicum in operationis cassa tempestivè colligendum, militum supplementum & augmentum, cæterosque bellicos apparatus maturandos fuisset adhortatus, ut majore sequenti quàm hoc anno vigore hostis Germaniâ ejici posset.

Eodem anno Carolus III. Hispaniarum Rex in sponsam elegit filiam Ludovici Rodulphi Ducis Brunopoli-Guelpherbytensis, Elisabeth Christinam, natam 1691. die 28. August; quæ 19. April. solemni pompâ & comitatu Comitis Joseph à Paar, & Comitissæ Ringsmaul Guelpherbyto discedens Bambergam, ejurato ibidem sub pontificali Electoris Moguntini, Episcopi Bambergensis, Lotharii Franc. à Schönborn Missæ Sacrificio, post decantatum *Credo*, Lutheranismo, publicam Romano-Catholicæ fidei fecit professionem,

Carolus Rex desponsat sibi Elisabeth Luneburg.

& sacro epulo, divinoque post Missam verbo cum omnium ædificatione refecta, ad aulam reversa XII. mulieres pauperes pientissimâ humilitate suâ cibavit manu, illisque urceos, discos, paropsides, omnia convivii utensilia, & in auro cuilibet ducatum donavit. Inde paucis pòst diebus Ratisponam & Viennam navigio profecta, singulari ibidem humanitate, lætitia & honore à Cæsare, Eleonora vidua Imperatrice, & serenissima tota familia Austriaca est excepta, opportunâ in Hispaniam occasione provehenda. Illud observatu hìc non indignum, dubitanti & roganti Patri Ludovico, an filia Elisabeth Carolo desponsata, in Romano-Catholica fide salva fieri posset, respondit Lutherana Helmstadiensis à Brunopoli-Guelpherbytensibus Ducibus 1576. die 15. Octob. fundata Universitas: quinimo in Romano-Catholica fide eam posse salvari. Consequenter cùm unica tantùm secundùm Sacram Scripturam sit fides, *unus Dominus*, *una fides*, *unum baptisma*. Eph. cap. 44. 4. in qua sola oporteat salvum fieri, illa sola erit sine dubio antiquissima Romano-Catholica, à Christo (& non alia à Calvino, Luthero &c. recens) instituta, tot sæculis incorrupta, infallibilis, & hucusque inconcussa.

518. In Belgio quoque minus utrimque gloriosa fuit expeditio, vaganse huc illuc utroque per annum exercitu se invicem solummodo observabant velitationibus nonnunquam alternante marte confligentes; Galli tamen 15. Septembris Lierum haud procul Bruxel-

Bruxellis oppressuri tria in urbem plaustra cum 1500. militibus fœno involutis immittunt; sed à stationario ad portam deprehensi, non sine sanguine sunt rejecti. Interea temporis Marleborugus deserto exercitu in certis Reipublicæ negotiis ad Electorem Palatinum, inde Francofurtum ad Electores Moguntinum & Hanoveranum, Francofurti adhuc commorantes, se confert, ubi habito 27. Octob. cum Gronsfeldio, Wackerbartho, Flemmingo & wratislao bellico consilio, cum hoc Wratislao, rediens Bernsburqum ad Palatinum; inde 3. Novembr. Hagam Comitis venit, ubi relatis in Francofurtensi consilio actis, & hìc à Britanno-Batavis confirmatis, continuandisque acriter sequenti anno in Gallos expeditionibus, in Angliam revertitur, postquam utriusque partis exercitus ad hyberna discesserat. *Vid. n.* 435. Ne verò Alamancensis in Hispania cædes, & frustranea Toulonii in Gallia obsidio per clandestinas factiones utriusque Domûs seu Parlamenti, ut vocant, discinderent concordiam & harmoniam, efficacibus Regina argumentis & rationibus necessariam belli in Gallos continuationem feliciter parsuadet superioris inferiorisque Domûs ordinibus, qui non solùm prompti in necessarium belli nervum perseveranter consentiunt; sed & justum Carolo & Lusitaniæ Regi subsidium decernunt unicè desideratum; hinc classem 130. navium vectoriarum, onerariarum & mercatoriarum cum omnigeuo bellico apparatu, commeatu

&

& equis, sub præsidio & tutela quinque militarium Lisabonam & Indiam destinant, quas 21. Decembris Fourbinus ex portu Brivate & Dunquerqua cum quatuordecim militarium navium classe excurrens aggressus tres Anglicas militares suæ fecit potestatis, quarta cum 700. classiariis in aërem evibrata, & quinta Catharina Regina malo & antennis licet orbata, quibus quia & gallica impugnans etiam erat destituta, feliciter ejus manus evasit: Cæteræ vectoriæ & onerariæ fugâ sibi quidem sub durante naumachiâ consulunt; plures tamen ab insequentibus protinus Gallis captæ sunt, non sine proditionis, & jam tum Gallis venditæ classis suspicione, non sine exiguo Anglorum detrimento. Accedit fatalis Anglici Architalassi Schovellii interitus, qui ex mediterraneo in Angliam redux, ubi ad Insulam Scyly 2. Novemb. pervenit, ab horrenda obruitur tempestate, cœlum mugit tonitruis, concursu, conflictuque nubium fulgura ingeminant, picea glomeratur caligo, omnia inter se elementa permiscentur & confunduntur, tandem horribili navis sonitu & impetu ad scopulum der Bischoff mit seiner Clerisey indigitatum, allisa diffringitur, minutim conquassatur, & lacerata fatiscit, submersis omnibus miserè Nobilibus, Capitaneis, aliisque numero 900. mortuum ejus corpus mari ejectum & in Angliam translatum Regina illustri condecoravit epitaphio, ejus meritis dignissimo. Ad hunc eundem scopulum duæ adhuc aliæ naves afflictæ sunt salvis 18. personis tabulâ aut lembo ad litus feliciter ejectis.

Classis Gallica Anglos invadit.

Schovelli Architalassi mors.

In

In Turcia Byzantii periculosa prodiit in mense Julio clandestina in necem Imperatoris factio, cujus mox auctores Bassæ aliquot, Janizarorum Aga, & CCC. alii morte sunt sublati. Orta dicitur ex Janizarorum & Bassarum hoc tempore pacis otio, cujus radicem & occasionem ut imposterum tolleret Vezirius, novos auctoravit milites, ad iteratas Moscorum in Turciam ad mare nigrum excursiones coërcendas. Mox alia ibidem surrexit Bassarum & Primatum simultas in duas divisa classes, hæc Sultano adhærens, altera eo contempto Ibrahimum nepotem subrogandum contendunt, unde plures cum supremo strangulati sunt Vezirio, quam etiam mortem grandis Cairi Bassa evitans fugâ, magnam armatorum vim in Sultanum educit in campum. Proditio Constantinop.

Annus 1708.

519. Tertio Idus Januar. Harlayus Londini statûs, ut vocant, Secretarius, amanuensem suum carceri addici permisit, secretæ cum hostibus collusionis suspectum, & paulò pòst convictum, publicoque affectum supplicio. Urgente deinde mense sequenti parlamento, ut rerum in Hispania gestarum examen haberetur, qualisnam fuisset subsidii pecuniarii, & militum eò immissorum usus? ubi compertum est pro 29. octo tantummodò militum millia, quos suo ibidem ære Anglia alebat, reperta fuisse, dum prælium Alamancense fuit commissum. Unde generali suspicione Harlay, & Secretarii bellici fidem feriente, ambo se cum aliquot aliis à rerum publicarum administratione abdicatis officiis subduxerunt.

Cæsar

Cæsar interim Rom. de conciliandis sibi Ungaris semper sollicitus nova Posonii pridie Calendas Mart. Comitia indicit literis invitatoriis, quibus spem faciebat, se benignam eorum querelis aurem præbiturum: *Est enim non modò liberale paululum nonnunquam de suo jure discedere; sed interdum etiam fructuosum.* Cicer. 2. offic. Ast Ragotzius contrario edicto in publicum evulgato, omnibus sub pœna capitis, bonorumque omnium vetat exterminio Posonium se conferre, vias militibus obsidet, ne liber cuiquam transitus pateret; quin & aliquos sibi suspectos carceribus, alios vitâ mulctat, ut reliquis metum injiceret. Quare Comitia ad VI. Idus martias novis Cæsaris edictis sunt dilata, & cruentæ interim vastationes continuatæ. Pridie autem Nonas Augusti Generalis Heister Ragotzii propè Trenchinum superioris Ungariæ exercitum propè ad internecionem profligat, sex Ungarorum millibus in acie trucidatis, aliisque fugatis & dispersis, vexillis autem 40. cum toto bellico apparatu captis. Tanta territi jactura aliquot Ungarorum proceres in Cæsaris iterum fidem redeuntes jurarunt.

Ragotzius comitia impediens ab Heistero cæditur.

In Hispania Carolus III. durantibus interim hybernis de acciso per Alemanzensem stragem exercitu restaurando admodùm sollicitus, expeditis consiliis, duodecim minimùm millium exercitum, præter urbium præsidia, sibi, regnoque necessarium proponit proceribus, qui omnia promptè adjumenta non minus quàm alimenta, & sex millia suis auctoranda sumptibus promittunt. Nec Galli in hoc quicquam studii & la-

& laboris intermittebant, Rex enim Ludovicus L. millibus suas augere copias intendebat; sed quibus mediis? monetâ chartaceâ; magna enim in Gallia & Hispania erat auri, argentique inopia; sperabat tamen Philippus Andegav. argenteam brevi classem affuturam; Pontifexque eidem clericalium proventuum medietatem per triennium permiserat, unde nervus haud difficulter poterat suppleri, & maturari expeditio; hinc Tortosæ invasionem meditantes vicinum illi castrum Arezum, unde iteratò præsidiarii in regnum Valentiæ excurrentes, haud exiguum Gallis inferebant detrimentum, aggrediuntur; sed impetu facto, cæde 250. rejiaiuntur. Tribunus Schober gallicam Louvigni legionem prope Benavarum in finibus Cataloniæ opprimit, & cæsis 100. reliquos cum tribuno capit, huncque cum vexillis ad Carolum transmittit victoriæ testes. Tandem etiam ex Italia notabilis 7388. succursus ad Carolum traducitur cum insigni commeatu & apparatu bellico, qui dum Vadi in territorio Genuensi colligitur, plures Sardiniæ invasionem autumabant, sed ob militum inopiam rectâ Barcinonem contendit, classis fœdâ licet tempestate jactata, feliciter tamen & sparsim appulsa, exceptâ nave vectoria una in Sardiniam rejectâ, quæ falsum Gallorum rumorem classis propemodum à se captæ confundebat; quatuor reliquæ legiones transvehendæ adhuc Genuæ remorabantur navium penuriâ, atque ita campestris Caroli exercitus numerabat XXII. stipendiariorum millia, quos inter Palatinorum 4315. sub Comite Efferen nuper trans-

transvadarant. Cæterùm Carolus Barcinonem majoris securitatis & desensionis ergo fossili sex milliarium lineâ circumducit, & munitionum imprimis Orgelli, Gallis frustra Puicerdæ invigilantibus complet granaria, dum interim plures Angli & Batavi in Almancensi pugna capti, maleque ab Gallis habiti, ideoque ad eorum militiam coacti, qua datâ viâ & occasione ad Gallowajum transfugiunt, uti & tribunus de Castel d' Ayrola Madriti offensus cum sua ex Belverensi præsidio Neapolitana legione Carolum accedit; qui Cardinalem Grimanum studio & affectu Austriacis addictissimum ad primam, olim Ricos Hombres indigitatam Hispaniæ dignitatem, Grandem, ut vocant, Hispaniæ, promovet, & Vice-Regem constituit Neapolitanum, Romæ adhuc rem Austriacam sedulò curantem; Henricum deinde Hasso-Darmstadiensem lateralis suæ custodiæ capitaneum in locum defuncti Antonii de Poguera [qui præcipuus Catalonensibus auctor à Gallis ad Carolum declinandi fuit) surrogavit, & in locum defuncti Comitis Oropesæ Marchionem de Moles, Cæsaris ad Carolum Internuntium, in ministrum suum primarium; cumque circa id temporis Viennâ Comes Guido Starrenbergus cum Batavico Generali Bel-Castello Barcinonem adveniret, Caroli supremus belli futurus legatus, Comesque Noyelles Batavici peditatûs Generalis, & Caroli campi mareschallus catarrho suffocativo 21. Aprilis diem extremum subiisset, ille, Starrenbergus, præfecturam propediem adiens, exercitum XX. millium colligit.

Caroli succursus.

In-

520. Interea temporis Architalassus Laackius Lisbonâ Barcinonem navigaturus, intelligit Gallos ingentem commeatum apparatumque bellicum Tolenio Peniscolam Regni Valentiæ transportaturos, quod idem ad aures Capitanei Kitiani Barcellonam perveniens, sex illico militaribus, aliisque navibus (quibus Caroli jussu duæ Estevani Doriæ militares accedebant) gallicam investigaturi classem, 22. Maji prope Cambrilem offendentes involant, cingunt, & auffugientes eurus subsolanus in manus & potestatem Laackii opportunè trajicit, ut ex 150. navibus annonatiis, & 5. militaribus vix una alterave ad portum Mahonum fuerit elapsa; captæ feliciter, & summo cum plausu Barcellonam cum ingentis pretii octingentarum universim millium librarum præda sunt deductæ; nam præter commeatûs apparatusque bellici copiam decem millia militaria vestimenta, 20. bellica tormenta, 6. mortaria, & duæ gallicæ occidentalis Indiæ naves admodùm divites in manus devenerunt vincentium; accedebant XXV. imperialium millia præfecti portûs Mahoni in Hispaniam securitatis causâ transvehenda. Qui casus adversus Duci Aurelianensi unicè hæc desideranti & afflictim expectanti graviter accidit, cujus per hoc molimina haud parum sunt retardata. Laackius deinde Britanno-Batavica centum navium classe Barcellonâ in Italiam regiam Caroli sponsam transvecturus velificat.

Gallica classis capta.

Pubescente jam vere gallicus Dux Noailles 14. armatorum millibus & re tormentaria Perpiniano & Rhodâ conductâ, 9. Maji Girundam

invasurus, paucis abhinc horis Figueræ percipit eandem ab Hasso. Darmstadiensi recenti firmatam eodem plane die legione; hinc quingentis inde equitibus Bascaram contendens, ubi tribunum Nebotum Orioli cum validis tribus legionibus sibi intelligit invigilari, viam reflectens, duabus auctus legionibus Cerviam ad fl. Ter, haud procul Girunda progreditur, ubi ex altera fluminis parte Darmstadiensis quinque militum totidemque rusticorum armatorum millibus se opponit, qui invasus hostem non sine sanguine fortiter rejicit: perstitit tamen ibidem Noaillus ad 12. usque Jun. & consumptis ultro citroque frumentis Petro-Pescados abit, inde 17. Jun. 8. peditum & 7. equitum turmas in Provinciam jussus dimittere, cum reliquis octo millibus impar Darmstadiensi pergit Peraldum, & inde in Comitatum Russilonensem; Darmstadiensis verò remoto periculo cum parte copiarum Barcinonem regreditur. Tum Andegavensis in magna adhuc æris penuria Aragonios & Valentinos gravibus exhaurit exactionibus, & Americani commercii lucra, potioraque Galli commoda sibi, frustra querulantibus Hispanis, attribuunt. Destructam deinde priori anno Xativam Valentiæ urbeculam Andegavensis furoris in eam pœnitens, restaurare & reædificare jubet, fortunas & bona tam civilia quàm ecclesiastica civibus restituit, quibus, & aliis nullis ecclesiastica donari beneficia, illata damna ex rebellium [Austriacorum] bonis resarciri, urbemque imposterum Philippopolim nominari jubet: eandem liberalitatem Aragoniæ civitas Solum experta

Xativa reædificata dicitur Philippopolis.

perta est, & Duci Berwicko plura in regno Valentiæ Carolizantium prædia, & Ducis Monteleonis in Sevilia latifundia & facultates Marchioni Balbazo elargitur: Carolum Boriam Indiæ patriarcham & titularem archiepiscopum Trapezuntinum, Brabantiæ Principes Chimajum, Bergensem, & Marchionem Bedmarum creat primi ordinis Grandes Hispaniæ, Principem Pio, & Bavariæ Legatum Comitem Monasterolem aurei velleris equites declarat, *ut suâ victoriam & honorem liberalitate acquireret, & animas accipientium auferret.* Proverb. 22. 9. sed Albaletti Patrum Capucinorum monasterium funditùs evertit, quòd, verumne, an falsum, tormenta ibidem bellica stylis conclavare ferreis voluisse dicebantur, quorum plures carcere & vinculis innodati, alii in Cataloniam expulsi, connivente contra canonica jura apostolico Madriti legato, atque gallizante ipso Pontifice, qui quomodo benedictis fasciis neo-principi Asturiæ posset congratulari cogitabat.

521. Militarem quidem hujus anni expeditionem suâ Andegavensis præsentia promovere constituerat, sed impediebat æris & nervi inopia; Aurelianensis igitur 11. Mart. Madritum adveniens in campum processurus, pactum superiori anno justum exercitum commeatu, & bellico apparatu sufficienter instructum & paratum, simulque sumptuum in expugnata priori anno Ilerda promissam refusionem exigebat; sed utroque frustratus, quadraginta Ludoviciorum millia ex Gallia expectare debebat, antequam expeditionem inchoaret. Magnos etiam passim jactitabant

Gallorũ in Hispania expeditionem.

tabant exercitus 42. millium in Portugallos ducendos; at vix 9. millia Marchio de Bay numerabat, & quia justum Siciliæ invasionis periculo, ut metuebat, proxima, instanter sollicitabat subsidium, turmas solummodò obtinuit quatuor; primarium Aurelianensis exercitum 45. millium divulgabant, triginta circiter millia censentem, quem oppignorato prius proprio 200000. lib. argento 13. Maji in campum educit versus Balaguerum invasurus Debilum, ut Dertusæ cum Tarragona intercideret communicationem; sed quamprimum annonæ insufficientiam advertens ejusdem præfecto Francisco Estivano Rodrigo indignatur, at quam hic æris excusabat inopiâ, exigebatque prioris adhuc expeditionis sumptus 325000. pistoletorum à se expositos. Tum quatuor armatorum millia Aurelianensis demittit, quæ 5000. à Noaillo submissa per montana conducerent, sed à 6. Miqueletorum, seu montensiû militum millibus & 900. Germanis cincta, cæsis eorum, captisque mille quingentis, in fugam Monconum usque coëgerunt. Porro Aurelianensis difficillimis itineribus, & in magna annonæ penuria contendit Dertusam, quam cum Asfeldio 12. Jun. circumcingit, & continuo tormentorum impetu adeo flagellat, ut magna brevi murorum pateret ruina, præsidio fortiter generoseque propugnante; sed cùm latior murorum pars ob vetustatem corrueret, & 9. Jul. domus annonaria à pyrobolo correpta in cineres redigeretur, & alterâ denique die hostis vigoroso insultu exteriorem muri fossam occuparet, ultroneam urbis præfectus

Dertusam occupant.

Co-

Comes ab Efferen, in conspectu fermè Starrenbergi, non procul absentis, sed viribus imparis offert deditionem, eò promptius ab Andegavensi acceptam, quo gravius fames Gallorum affligebat exercitum, quam ipsi urbem; ideoque præsidiarii 3000. more & honore militari dimissi sunt, Gallisque liber jam in Cataloniam, ipsamque Barcellonam pateret accessus, opportunius nunc, quàm anno 1706. impugnandam; sed æris seu nervi bellici inopiâ impeditam: quare classis Indicæ commercium Gallos inter & Hispanos adeo subdolè erat constitutum, ut proprietas Hispanis, lucrum Gallis cederet, cujus approbationem Andegavensis sanctiori senatui proponenti, denegat Comes Aquilarus dicens, nudum sibi taliter remanere nidum, avibus in Galliam avolantibus. Ceterum ulterior Gallorum in Hispania progressus abs Starrenbergii vigilantia oppressulatus fuisse videtur, præterquam quod Asfeldius 17. Novembris urbem & arcem Deniam cum mille præsidiis, & non contemnendo bellico apparatu suæ fecerit potestatis, uti & 3. Decembris Alicantem; quæ ambæ plurium judicio fortius & diutius propugnari poterant & defendi.

Et Deniam.

Interea temporis Augustus Christianus Cardinalis Saxo Viennæ 23. Aprilis Elisabetham Christinam Ludovici Rodulphi Brunsuico Wolfenbutensis Principis filiam natam 28. Augusti 1691. eximiæ formæ Ducissam solemnissime pronubo Cæsari Josepho, in persona sui fratris Caroli Hispaniarum & Indiarum Regis, copulavit, quâ facta, & regali epulo absoluto,

Caroli III. desponsatio cū Luneburgens.

quæ ducitur in Hispaniam.

die 25. Aprilis magno Viennâ comitatu, & Lotharingiæ Ducis episcopi Osnabrugensis, nunc Electoris Trevirensis societate per Tyrolim discessit in Italiam, regali ubique pompâ & honore excepta, 21. Maji Tridenti, die altera primâ noctis Roveredi, 23. Venetorum ingressa territorium à Generali eorum, Terræ firmæ, ut vocant, procuratore Delfino laute, magnificeque excepta & 26. Maji cum aliquot equitum turmis Bresciam est deducta, ubi cum insigni comitatu idem ipse Delfinus regiam ejus majestatem (sic illam ex se, non ex senatûs præscripto, affatus, ne hic indifferens alterutram belligerantium partem offenderet, omnia solius prudentis Delfini judicio & dispositioni relinquebat) nomine Senatûs & Reipublicæ Venetæ, oblatis demisse servitiis, & per territorium hospitalitate salutavit. Ibidem idem honoris & officii præstitêre illi principes Mutinensis, Parmensis, & Joannes Gaston Toscanus, seu Florentiæ Ducis filius in pretioso vestium splendore, & gratuitorum donorum oblatione; Mutinensis 50000. Guinensium, seu imperialium, Florentinus 20000. pistoletorum, & Parmensis 10000. duplonum: accedebant quoque in vestitu hispanico deputati Mediolanenses, & Sabaudiæ legatus Marchio de Tana congratulantes, & ab omnibus passim Italiæ Principibus præterquam à Pontifice Regina Hispaniæ est salutata. 30. verò Bresciâ abiens, eodem adhuc vespere absque magnificentia Mediolanum ingressa, in regali divertit palatio, ab archicancellario Julio Visconto, Magistratu, aliisque urbis collegiis de-

Honorificè excipitur in Italia.

vo-

votissimè privatim salutata est: Undecima vero Junii splendidissima pompâ in lectissima lectica sub baldachino per doctores medicos gestato in urbem auleis, ignibus, gratulationibus applaudentem per portam Romanam introducunt Reginam Nobilitas, urbis collegia & Senatores regii cubicularii & Grandes, hispanico omnes habitu superbientes, adequitantibus sinistræ supremo stabuli ejus præfecto com. Mollardo, dexteræ Duce Lotharingiæ Osnabrugensi episcopo. ad urbis introitum à magistratu oblatis clavibus excepta jubet incarceratos 400. captivos liberos quamprimum demitti, progressâque ad metropolitanum Archiepiscopus Cardinalis Archintus *Te Deum* intonat, inde ad palatium deducta, lauta à Julio Visconto excipitur cœnâ, & decem millium philippicorum strophio honoratur. Paucis pòst diebus à Comite Carolo Borromæo ad Borromeas laci majoris insulas transvecta magnificentissimis interim afficitur honoribus, dapsilibus conviviis, & singularibus animi oblectationibus, usque dum Britannicus architalassus Laackius præsidiaria adveniret classe, tum 7. Julii deserens Mediolanum undecimâ ejusdem mensis Genuæ suburbium S. Petrum de Arena attingit, ubi occlusâ rheda & alloquium & aspectum denegat Genuensibus, nimium fortè gallizantibus. Inde Lotharingiæ Principi valedicens, submisso per Laackium lembo Vadum perveniens classem ascendit, & eadem prætoria navi, quâ sponsus ejus Carolus abs Regina Angliæ donatâ, 15. Julii Barcellonam sub præsidio & subsidio 7. vel 8. millium cùm equitum, tum

peditum, velificat; prosperis demum ventis 26. Jul. Mataram appulsa, quam Rex 28. incognitè cum aliis pluribus osculo manuum salutaturus protinus agnoscitur, & intimo animi gaudio ambo afficiuntur: ideo autem Barcinonensem non ingressa portum, quod ex antiquo privilegio omnis pagus aut civitas, ad quā Hispaniæ Regina primùm appulsa, ab omni libera fit tributo & vectigali, quamdiu vivit regina; quod ingens regio Barcinonensi fisco fuisset detrimentum. Prima autem augusti die post splendidissimum urbis ingressum in D. Mariæ V. metropolitano copulationis ceremoniæ ab archiepiscopo Tarraconensi præsentibus aliis episcopis & prælatis pluribus sunt confirmatæ: post lautam publice cœnam Carolus quatuor Hispaniæ Grandes creat; Bernardum de Quiros, & Comitem de Stampa Mediolanensem, quoad vixerint; Ducem verò de Telesa Neapolitanum, & Marchionem de Moles cum suæ familiæ descendentibus in perpetuum. De hac filiæ suæ Elisabetæ Reginæ desponsatione, felici appulsu, & copulatione Dux Ludovicus Rodulphus parens intimè gavisus, primam Octobris diem lætissimè comœdiis seu operis, conviviis, jovialibus ignibus, tormentorum applausibus celebravit.

Barcinonem ingreditur.

Laackius Anglus Sardiniam Carolo subjugat

423. Expositis Laackius Barcellonæ auxiliariis copiis, levatisque inde anchoris 14. Augusti Calarim Sardiniæ metropolim perveniens urbis deditionem postulat, & Carolo submissionem, præfectus refractarius pyrobolis triduo acriter flagellatus in Corsicam fugit insulam, (quidam se Laackii tradidisse discretioni scribunt) & ci-

vi-

vitas totaque Sardinia Carolo se promptè submittit : inde ad insulam Minorcam velificans, exponensque 14. Sept. cum Generali Stanhopio bis mille quadringentos armatos, totam mox insulam cum ingenti civium jubilo in Caroli fidem, præterquam arcem & portum Mahonum, fossili linea, militarique sepimento probe circumcincta, recipit, quibus etiam 27. præter spem superatis, die altera arcem portumque 900. armatorum præsidio, sufficienti 9. mensium commeatu, 80. curulibus machinis, alioque apparatu affatim munitam ultroneâ capit deditione, septem solummodò suorum amissione, ac sub liberi discessûs conditione ; sed quia Galli anno priori Xativæ præsidiarios contra pacta captos detinuerant, ideo & hos Architalassus Laackius noluit dimittere. Hæc rei expeditio magni fuit Carolo emolumenti, tum classis ibidem hyemandæ, tum cum Italia liberius correspondendi, tum etiam Gallis maritimum obstruendi commercium tribuens facultatem, ideoque Gallos maximè pungebat, quod & Angli prope Carthagenam duabus argenteæ classis ex India occidentali navibus demersis, tertiam aliquot Sterlingorum millionibus opulentam interceperint ; reliqua tamen argentea classis trecentis, ut Galli jactabant, millionibus dives feliciter attigit Hispaniam, Anglo-Batavis Gallorum & Principis de Wallis in Scotiam excursioni intentis & invigilantibus, de quo postea latius.

Et Mahonum portum.

Classis argentea Hispano Gallica.

Coloniæ Agrippinæ fuit maximæ hactenus curæ, nullam heterodoxam, præterquam solam Romano Catholicam admittere religionem ;

Turbæ Colonienses.

ideoque tam Lutheranis quàm Calvinianis occultum etiam domi suæ prætensæ religionis exercitium non permittit: proinde anno 1672. Baroni de Spanheim, Brandenburgico tunc Residenti privatum à magistratu oratorium fuit prohibitum, Statuumque Generalium Residens Bilderbeck ex praxi quotidiana Mulhemium ad leucæ distantiam cum suis progreditur, ut prætensæ Reformatæ religionis præconem auscultet, adeoque illud privati Oratorii privilegium ex jure gentium solis Legatis, & Ablegatis extraordinariis repræsentativo Principum charactere coruscantibus permittitur, uti & Romano-Catholicis in locis ubique heterodoxis conceditur; nequaquam verò aliis Principum Residentibus vel Agentibus, nullo hujusmodi charactere fulgentibus, ut ex quotidiana patet praxi, & multis Cæsarum, Regum, Principumque exemplis. Quam tamen prærogativam Prutenus tunc Residens de Diest temerè sibi arrogans, sine ulla magistratûs licentia, scitu vel assensu in domo sua, seu aula Brandenburgica nuper empta privatum & occultum religionis suæ exercitum verosimiliter perennaturum, non sine magno revolutionis urbanæ periculo introduxit. Quare Coloniensis Academiæ studiosi affixis per compita schedis se invicem hortati, pridie Calendas Maji ejusdem Diest ædes impetiverunt, illique tumultuariis improperiis & minis insultarunt, ac fractis fenestris præfixum ædibus Regis sui insigne lapidibus detruncarunt; à magistratu tamen per immissam militum manum vetiti, ne vim inferrent ulterio-

tem

rem: & Residens ipse in suam domûsque defensionem Borussicos aliquot Tuitio milites (ubi gallicis invigilabant excursoribus) advocans, eosdem debuit ex magistratûs mandato quamprimùm demittere: consules enim von den Hôvelen, & de Puteo zelosi Romano-Catholicæ Religionis assertores senatum prius nolebant dimittere, priusquam Borussici milites domo & urbe discessissent, uti etiam quamprimùm Tuitium abierunt.

Similis pridie Calendas Junii tumultus fuit Genuæ ad mare Ligusticum, ubi navis gallica Genuâ solvens, sub ipsius urbis mœniis lintrem genuensem Barcinonâ venientem vi capit, & captos homines loris illigatos tam Barcinonenses quã Genuenses in urbem reducit. Populariũ suorum vinctorum aspectu Genuenses irritati, verbis Gallos liburnicam luctantes insultant, qui armis explosis sannos retundunt; unde armorum reciproca explosio tamdiu duravit, donec omnibus Gallis aut occisis, aut deditis bellum resedit. Audito casu Orator gallus urbe immediatè discessit: & quamvis multis tentatum esset Regis Ludovici animum in Genuenses irritare; illis tamen deprecantibus, & juregentium debitam domui suæ, cuique Principi reverentiam obtestantibus, ad cujus unius defensionem contra Gallos insurrexerant, Rex iram & vindictam remisit. Turbæ Genuenses.

Idibus Julii Rex Sueciæ Carolus retrocedentes è Polonia Moscos insecutus cum illis prope Mohiloviam in finibus Lithuaniæ confligit, eosque Suecus Moscos cædit & cæditur

que fugatos in Czaris imperium persequitur, & primas ejus regiones devastat. Hac devastatione erepto exercitui suo subsistendi modo, jam per transitum Boristenem fl. remeat, exercitumque ducit in Uckraniam. Quo tempore dum Lôvenhauptius in ejus castra 650. currus omnis generis annonarios aliquot copiis obleptos convehere festinat, à Moscis inter paludes interceceptus cæditur, omnesque currus amittit. Dum Carolus Sueciæ Rex in Moscos fervide contendit fugientes, Stanislaus in Polonia Pacificationis, ut indigitant, indicit comitia, ut electioni minus plenæ & liberæ, quâ Rex fuerat renuntiatus, vis & robur liberis universæ Nobilitatis suffragiis accederet. Sed expectatis frustra per aliquot septembris hebdomadas suffragatoribus, comitia defectu convenientium abiêre in nihilum. Mazzepa inter hæc Cosaccorum Dux se à Czaris Mosci fide subducit, traditque cum suis copiis Caroli Suecorum Regis servitio, ob id Moscuæ in desertionis ignominiam exauctorati effigies manu carnificis patibulo affigitur.

Lusitano Hispanica.

524. Lusitaniæ Rex Joannes V. justo licet civitatis Rodrigo cum 2200. præsidiatiis amissione esset terrore perculsus, & latiùs excurrendi hostibus pateret aditus; nihilo tamen minus non modò pactum cum confœderatis fœdus constanter confirmat, modò appromissa opportunè adsint subsidia; sed reformatâ auctâque militia, commeatu & bellico apparatu (quorum priori anno non levis erat inopia) sufficienter collecto, studiose ferventerque urget in Hispano-Gallos expeditionem: urbes limitaneas Helvam,

vam, Portum alacrem, seu Amæam valido contra hostium impetum robore præmunit. Tum Olivenzæ præsidium excurrens Mazaon oppidum occupat, diripit & incendit, dum reliquus miles tendit ad armilustrium; quo peracto uterque tam Lusitanus sub Marchione Fronteira, & Gallicus sub Marchione de Bay æqualis ferme roboris exercitus in campum progressus, singularis nihil moliminis nullus attentavit, nisi quòd ante æstimalia Dux de Ossuna Mouram & Serpam everterit, ne Lusitanis forent diverticula; qui quia Gallis robore erant superiores, hi suæ imprimis studebant defensioni, & variis solummodò velitationibus, marte utrimque variante, invicem se lacessebant, oppositis castris haud multum inter se distantibus; Fronteira tandem 4. peditum totidemque equitum legionibus ad medium Julii in Vandalitiam seu Andalusiam excurrens castrum Alqueirum de la Peubla intercipit cum oppulento commeatu & apparatu bellico, & ultra 15. milliaria progressus, magnas militares collectas, & 15. boum & mulorum millia haud levi Gallorum detrimento in Lusitanica feliciter reduxit castra. Mouram demum & Serpam Galli deserentes novo illa robore Lusitani confirmarunt.

525. Ceterum Joannes Rex Austriacam Leopoldi Cæsaris tertio genitam ex Eleonora Theresia filiam Mariam Annam per Comitem Villam Majorem procatus; quæ solemni & inaudito Viennæ splendore præmissis sponsaliis eidem etiam desponsata 9. Julii Monasterio Neoburgi per Augustum Christianum Cardinalem Saxo-

Lusitani cum Austriaca desponsatio.

Saxonem pronubo Cæſari Joſepho, Joannis perſonam gerenti, copulatur; nec multò poſt per Saxoniam & Weſtphaliam in Hollandiam & Angliam regio deducta comitatu, 17. Octobris illam è Portu magno Architalaſſus, Bings Britanno-Batavica claſſe novem dierum intervallo Ulyſſibonam tranſvexit, intimo Regis gaudio, & exultantis populi jubilo exceptam. Ceterum horribiles hoc anno maris tempeſtates non modo in Luſitania & Hiſpania, ſed & in Anglia, Gallia & Hollandia immenſa navium, mercium & hominum ciêre naufragia, ut centena aliquot hominum cadavera mare aliquibus in locis ejecerit, utpote maris ſalſedo mortua è fundo corpora naturaliter elevans continuo tandem motu & impetu in litus ejicit.

Orbitellum capitur.

Ad ultimum demum 1707. Decembris Wetzelius mille & quingentis armatis maritimum Orbitelli portum levi manu ſpontaneâ præfecti à Gallis reformandi, ideoque offenſi, deditione occupat; & paulo poſt 18. Januarii 1708. Orbitellum inter & Livornum ſuæ fecit poteſtatis Plumbinum, egregii portûs & roboris urbem & Ducatum, proprium quidem Duci de Sora, clientelarem verò Ducatui Mediolanenſi cum Elva inſula, & Portulongo, hunc tamen & portum Herculis Galli adhuc inſidebant; Daunius autem omni curat ſtudio totum Neapolitanum regnum ad Caroli fidem reducere, & in ſubmiſſa populum devotione conſervare. Cum igitur periculoſam Thomæ Morini Genuenſis factionem intelligeret; ſed ad templi refugium elapſum nequiret capere, comprehẽderet autem

qua-

quatuor ejuſdem fratres, apud quos clandeſtinas reperit literas & Eſcalonæ conſilia, proditionis teſtimonia, qua occulti per regnum Neapolitanum, captivique Capuæ Gallo - Hiſpani determinatâ Neapolim nocte invaderent, diriperent,& ignibus ſubjicerent,ideoq; Aſcalona caſtro di Baya, & Dux Biſaccia caſtroOvo,ceteriq; eorũ miniſtri Piſcaræ carcere arctius includũtur; poſtliminiò Neapoli Mediolanum translati, Aſcalona Picigithoni, cuſtodiâ quondam Regis Franciſci I. Cellamarus turre arcis Mediolanenſis, Biſaccia caſtro Fuentes obſerati; Capuani vero captivi, Cajetæ nuper præſidiarii, ſuis mulctati impedimentis, Neapolim translati ferro innodantur, dignam crimine pœnam luituri; prædicti poſtmodumDuces cum Principe Caſtiglione Mediolanum juſſu Caroli translati, ſeveriori traditi ſunt cuſtodiæ, eo quòd Andegavenſis durius Caroli fautores Valentinos & Arragonios tractaret: & quemadmodum Ludovicus Galliæ Rex & Andegavenſis Cardinalium Carolo addictorum, ſic Carolus Andegavenſi addictorum reditus detinebat, nec merces eorum, uti antehac ſolebat, Neapoli à vectigalibus immunes eſſe volebat. Laborabat præterea ſedulo Ludovicus Rex per ſuos Romæ apud Pontificem Internuntios & Cardinales, ut Duces Aſcalona, Biſaccia, Cellamare ejus interceſſione libertati, & Dux de Atri Caroli gratiæ reſtituerentur, perque ſuum Neapoli Nuntium Apoſtolicum à Vice - Rege Daunio deprecatus, ut mitius ſaltem haberentur, reſpondit eidem Daunius, pati illos ratione & modo, quali Gallo - Hiſpanus

Proditio Neapolitana.

Duces Eſcalona, Cellamarus &c. arctius cuſtodiuntur.

ſpanus Prorex antehac Lopecium, Capacem, & Sangrum &c. tractavit: hujus poſtmodum Caroli Sangri, & Joſephi Capacis 1702. Mart. 23. decollatorum effoſſa funera & oſſa publicâ & honorificâ ſepulturâ, ſplendidoque cleri tam ſæcularis quàm regularis, nobilitatis & militiæ comitatu in loco ſacro fuêre nobilitata, atque inclytæ ſic decus & honor familiæ utrique eſt reſtitutum.

Cardinalis etiam Barbarinus miſſo Barcellonam Cubiculario, fratris ſui junioris Ducis Paleſtrinæ, Gallorum blanditiis infatuati, delictum deprecatus, bonorum Neapoli confiſcatorum petiit immunitatem, quæ ſibi ſeniori quidem propria, ſed familiæ propagandæ causâ, fratri ceſſerit, ideoque Barbarinæ familiæ, Auſtriacæ ſemper devotæ, relaxandæ iteratis vicibus inſtanter rogabat; ſed ad regiam Cameram Neapolitanam eſt remiſſus: Prorex interim bona & fortunas Andegavenſi adhærentium, Ducum ſcil. Parmenſis, Atri, Medinæ Celi, Sarni, Popoli, San-Buoni, Caſtiglionis, imo & Florentiæ Ducis in Regno Neapolitano ſita fiſco ſubjicit, quòd hic Portui longo laboranti auxilium ſubmiſerit; quo confirmati præſidiarii factâ excurſione ultra 140. cædunt, pluresque capiunt Cæſareanos, locum deſerere coactos; fanum èccontra S. Stephani ad fines Toſcaniæ, ſeu Etruriæ ultronee Carolo ſe ſubmittit, & clanculariam Calabriæ conſpirationem deſtinatis illuc aliquot legionibus feliciter Prorex Daunius deſtruendo diſſipat, uti & alteram Neapolis à ſutore patefactam, Ducemque Matalonenſem, quòd

Bonorũ confiſcatio plurimorum.

quòd captivos clam Gallos dimiserit, custodiæ tradit, Pontifice id ægrè ferente, simul & Gallos urbe & toto proscribit regno Neapolitano, in omnes partes vigilans & circumspectus, ut abs Carolo Hispaniæ purpuratus, seu Grandis cum annua 12000. philippicorum seu impp. pensione creari meruerit.

526. Porro Pontifex sollicitatos ecclesiasticos reditus bellico nervo impendendos, omnibus Regni Neapolitani, & Ducatûs Mediolanensis archiepiscopis, episcopis & prælatis sub excommunicationis fulmine ad ultimum Junii interdixit: eodemque tempore Cardinalis Vincentius Grimanus Româ Neapolim discessurus Pontifici valedicens submissè rogat, ut clementiùs modestiusque cum domo ageret Austriaca, Carolum Hispaniæ Regem agnosceret, adventantemque ejusdem sponsam per legatum à latere excipiendo salutaret; sed inaudibilis, graves in Cæsarem & Carolum querelas & difficultates pontifex refundit, quas Cardinali ardentius refutanti minatur pontifex, esse in castro S. Angeli multa conclavia & custodias refractarios ejusmodi Cardinales coercendi reponit Cardinalis, nec deesse Cæsari plures compescendi modos ejusmodi pontificem.

Pontifex erga Austriacos difficilis.

Tum inde discedens primâ mensis Julii advenit occultè in omni modestia & sine solemnitate Neapolim, Daunio Pedemontium & Mediolanum abeunte, populo universi[illegible] acceptissimus; singulis namque hebdomadibus diebus lunæ nobilibus, mercurii civibus, & Jovis populo aures præbuit, prohibuitque omnibus pecu-

Card. Grimanus prorex venit Neapolim.

Ejus gesta.

niam & cambiales literas Romam & ad pontificia mittere territoria, omnia etiam ecclesiastica beneficia & reditus Andegavensi adhærentium innodavit aresto; de quo pontifex datis ad Grimanum literis graviter propositis Concilii Trident. & bullæ Cœnæ prohibitionibus ac pœnis, sed inaniter est dehortatus. Ministrorum deinde fidem probaturus mutata veste personatum mercium vectigal defraudantem telonarii captivant, sed 40. scutatos appromittentem dimittunt; postera hos die perfidiæ arguens & convincens donat captivitate. Aliquot interea factionum auctores vinculis sunt innexi, apud quos magni momenti secreta deprehensa, apud Sacellanum plures Cardinalis Tremovilli, & hispani Romæ legati Marchionis de Ucedo literæ, & apud monachum cambiales inventæ sunt literæ, per ecclesiasticorum redituum sequestrationem prohibitæ, quo indies Romano-Neopolitana augebantur dissidia, ideoque Grimanus Generalem Carassam cum aliquot militum Vexillationibus ad pontificios ablegat limites; ubi etiam Ducis de Atri molimen Pescaram proditione intercipiendam, captis opportunè auctoribus, abiit in fumum, simul & quatuor Hispanorum millia recens auctorata cum Principibus Darmstadiensi & Elbovio, Marchioneque Vaubonno ad eosdem destinantur limites: assiduo præterea studio præparantur in armamentario pyroboli, sphæræ in[illegible]diariæ, globi, & reliquus bellicus apparatus, certo destinatus molimini aut Gallorum machinationibus opponendus, qui 9. militaribus navibus Messanæ in Sicilia copiosum apparatum

para-

paratum & nervum bellicum, militemque exposuere, ejusdemque prorex Marchio Balbasos, dirus adhuc Austriacorum persecutor, quicquam in Neapolitanum machinari regnum videbatur, tanto Gallorum præsertim nunc auctus subsidio, quod si diutius emansisset, major Siculorum pars ad Carolum declinasset, quibus proinde Prorex diffidens pretiosa sua ad tutiora transvehere constituerat; sed magnis subinde subsidiis, tribus peditum millibus & quingentis dimachis sub Mahono,& sub Albergotto 4000. confirmatus, evanuit proregis metus, & Siculorum in Carolum affectus est compressus.

Melita Turcarum invasionē metuit.

527. Interea temporis magna Turcarum expedita classis haud exiguum Melitensibus incussit timorem, secretis & certis confirmatum literis Melitam proxime invadendam; magnus proinde Magister 4000. pedites auctorare, frumenta ibidem deficientia ex Græcia 18. navibus advehere, munitiones & propugnacula renovare & roborare, Commendatores ordinis undequaque advocare, ab eisque nervum bellicum colligere, atque à pontifice rogare auxilium; qui etiam militares expedire naves, militem & bellicum apparatum illuc destinare jubet, contractoque subsidiario cum Italicis Principibus fœdere certum promittit subsidium: quia jam tum turcica opinione formidabilior classis in conspectu Melitæ apparebat. Genuenses etiam præterquam quod Melitensibus centum millia scutatorum mutuo dederint, duas quoque naves militares omni apparatu & milite, quatuor mortariis & sexcentis pyrobolis instructas sub-

miserunt, plura urgente periculo submissuri; decumbens autem periculose magnus Melitæ Magister, dum paulatim revalesceret, numeraretque 24. millium insulæ præsidium, nequissima emergit in lucem mancipiorum proditio, qui facta cum Turcis conspiratione ad classis adventum Melitense præsidium tumultuarie necaturi, aditum in insulam Turcis moliebantur patefacere; sed benignissimus avertit Deus periculum toti Christianitati maximè noxium, & turcica classis ad sua rediens, justum Italiæ metum sustulit.

Eorum proditio patefacta.

528. Roma autem cum pontifice Cæsareanorum in solo pontificio metuebat hyberna, contrarium licet Grimanus Cardinalis ex mente Cæsaris asseveraverit pontifici; Eugenium Sabaudum tamen in Ducatu Mediolanensi de clericalibus reditibus collectam exacturum militarem affirmabat; quod licet ægrè, permittere tamen pontifex videbatur. Interim nihilominus plures undequaque deferebant cursores Cæsareanos Bononiam & Ferrariam versus appropetare, hybernalia sine dubio sumpturos; pontifici hac de re sollicito inquisitus Daunius respondit, nullum de hoc Cæsaris se habere imperium, solum exigere transitum, ultroneè aut vi tentandum; quem quidem pontifex ægre permisit, sed ære & sumptu militis, sine mora & indigenarum molestia & detrimento, secus censuras minatus ecclesiasticas; sed quis militum compescet insolentiam? expedire potius senatus existimavit Bononiensis, alimenta eisdem, ceteraque ad transitum & abitum necessaria gratis subministrare,

Cæsareanorũ in Italia hyberna & transitus

ſtrare, quam inſanum illorum diutius ſuſtinere furorem, duplo damnoſiorem; quod Apoſtolicus Bononiæ legatus expertus, ſenatores ideo Bononienſes cuſtodiæ tradit, & vim vi repellit; quare miles inde Cæſareanus ob exercitam in ſe hoſtilitatem noluit diſcedere, niſi quingenti numerarentur illi duplones.

529. Ceterum Cæſar hyberna militi ſuo aſſignaverat Ducatum Parmenſem & Placentinum, pro quibus Franciſcus Dux Parmenſis cum Marchione de Prie Cæſaris in Italia commiſſario nonaginta duplonum millia ſolvendo contraxerat, quem pontifex contractum eccleſiaſticæ repugnantem immunitati publicâ annullavit bullâ, quia ſupremum ejuſdem Ducatûs Parmenſis & Placentini clientelaris ſoli ſibi arrogat dominium, ab Julio II. & maximè Paulo III. Farneſio hucuſque continuatum: ideoque invaſores & hybernatores ejus, Leonis X. & Urbani VIII. exemplo excommunicationis fulmine perſtringit. Cæſar autem publico eam manifeſto injuſtam & nullam declarat, quòd prædictum Ducatum Parmenſem & Placentinum Ducatui Mediolanenſi, Romanoque imperio ab immemorabili tempore clientelarem ex antiquis literarum, inveſtiturarum, variorumque auctorum & actorum monumentis conatur demonſtrare, ſupremum cujus dominium nullus unquam Dux aut Imperator in apoſtolicam legitur Sedem tranſtuliſſe, nec ſolâ ſuâ auctoritate propriâ potuiſſe Principem aut poſſe transferre vel alienare, ſine omnino Imperii Rom. conſenſu; proinde Cæſar uſurpatum hactenus à

Cæſareanos hybernatores in Ducatu Parmenſi pontifex excommunicavit.

Differentia in hoc Papæ & Cæſaris.

Sede Apostolica in Ducatum Parmensem & Placentinum jus & dominium ab imperiali continuò aula abnegatum, & defectu potentiæ hucusque permissum; nunc vero à Cæsare Imperioque Rom. restabiliendum omnino annullat, abolet & evertit, latam consequenter à pontifice sine causa & crimine excommunicationem in hybernatores irritat, prohibetque omnibus suis subditis & vassallis tam germanis quàm italis Parmensibus & Placentinis sub pœna confiscationis bonorum & capitis apostolicum illud scriptum admittere, sed hyberna, collectasque militares jubet persolvere; si enim pontifex annis prioribus Gallo, Europæ totius turbatori, nolens volens in prædictis ducatibus hyberna, & militares collectas permisit, nunc prohibebit & denegabit illa suomet supremo Domino Cæsari cum excommunicationis fulmine? Hoc idem Manifestum, imperialis Ratisponensis Collegii calculo confirmatum, & Cæsaris, Imperiique in Ducatum Parmensem & Placentinum non tantùm, sed totius etiam Italiæ jura superioritatis latiùs deducta Romam à Cæsare transmissa, Comes Caunitius sacro distribuit communicavitque Cardinalium collegio & Pontifici: qui quidem ex utroque Cap. *Constantinus* 13. & 14. *distinct.* 96. Asserunt à Constantino M. non Romam solùm totamq; Italiam, sed universum etiam Occidentale Imperium S. Silvestro, ejusque successoribus donata fuisse; sed re ipsâ non præstita Cæsar asserit: nam Constantinus majestati quidem pontificiæ conservandæ aliquot Urbis Romæ &

Ducatus Parmēsis an sit Rom. Imperio clientelaris.

& viciniæ cenſus ac reditus adjecit, ſupremum vero ſibi reſervavit dominium : ideoque ipſe filiis ſuis diſtribuens imperium, Conſtantino primogenito Italiam, Hiſpaniam, Galliam & Angliam, immo imperii ipſius ſedem & metropolim conſtituit Romam : Conſtanti ſecundogenito Provincias Africanas, Græciam & Illyrium; juniori denique Conſtantio Aſiam, Ægyptum & Thraciam tripartitus eſt : ergo Conſtantinus ſibi filiiſque ſuis ſupremum Urbis Romæ, Italiæ &c. dominium reſervavit, eccleſiaſticam S. Silveſtro permittens urbis & orbis ſuperioritatem ; de temporali autem nullus antiquorum ſcriptorum quidquam refert. Et poſito factæ fuerint à Conſtantino donationes ejuſmodi, ſed ex *cap.* 33. *decretal. de jurejur.* fuêre invalidæ, ubi Honorius III. ejuſmodi donationes ab Hungariæ Rege factas invalidat ; quia Reges & Cæſar vi juramenti ſui regnorum ſuorum auguſti conſervatores & defenſores minus ea, quàm ſibi caput poſſunt diminuere. *Everhard. in loc. à veriſſim. num.* 15. Cardinalis Baronius ipſe *ad annum* 962. de donationibus Ottonis M. Sedi Apoſtolicæ factis agens, hanc ubique adjectam clauſulam refert : *Salva ſuper eoſdem Ducatus noſtrâ in omnibus dominatione & poteſtate ; & illorum ad noſtram partem, & filii noſtri ſubjectione. &c.*

Marchioniſſæ Mathildis verò donationes (quas Patrimonium S. Petri indigitant) Sedi Apoſtolicæ collatas, Henricus Cæſar, teſte Sigonio *lib.* 15. invalidas reprobans Philippum fra-

trem Tusciæ, omniumque Mathildis dominiorum Ducem instituit: easdemque provincias & dominia ab Ottone IV. tanquam Imperii Rom. membra fuisse incorporata sic refert *Sidonius lib.16. Cùm summis adhibitis jureconsultis jura regni diligenter inquisivisset, & quædam oppida à Pontifice, alia verò in Campania à Friderico, modò vacante Imperio occupata comperisset, quæ ad Imperium pertinere putaret, nullâ Pontificis ac Sacramenti habitâ ratione, militibus protinus immissis recepit.* Et posito Mathildis provincias suas Sedi Apostolicæ donaverit, non absolutè, sed eo jure & modo, quo possederat, nempe beneficiario & clientelari, ut scribit *Onuphrius* Sedi Apostolicæ admodùm addictus, dicens: *Mathildis Bonifacii maximi per Italiam Principis filia & hæres, Imperatoris Henrici III. vim timens, Longobardiæ, Tusciæ & Liguriæ aliquot urbes, jure hæreditario ad se pertinentes, Gregorio Papæ & S. R. E. donavit. Hinc odii inter Imperatorem & Pontificem seminarium primò exortum, cùm Imperator donationem illam in Imperii, cujus Mathildis erat beneficiaria, præjudicium approbare nullâ ratione voluisset, imo ea omnia occupare, tanquam ad se devoluta tentaret.* Alia Cæsaris jura supremæ potestatis allegant *Conringius de fin. Imper. cap.* 21. *Bœcl. in not. Imp. lib.* 2. *c.* 2. §. 18. & plures alii ex jure Canonic. *caus.* 2. *q.* 7. & *cap. Cum ad verum.* 6. *dist.* 96. & Comitiis Augustanis 1500. ab Maximiliano I. habitis, probantque Cæsaris in Imperio Rom. superioritatem, & in ecclesiasticis solùm Pontificis potestatem.

Con-

Contrarium demonſtrat Pontifex, quòd Carolus M. Romanum Imperium ut clientelare à Leone III. adhibito fidelitatis juramento acceperit. Deinde *Cap. Tibi Domino* 33. *diſt.* 63. Otto M. renuntiat omni juri & ordinationi Urbis Rom. & quidquid de terra S. Petri poſſidet, ſe Joanni Pontif. redditurum ſpondet. Imo Sigiſmundus Imp. *in reformatione ſua Baſileæ cap.* 10. *lib.* 2. *fol.* 151. profitetur, quòd Conſtantinus M. à S. Silveſtro Romanum Imperium ut beneficiarium acceperit. Fridericus etiam Imp. juxta *Conſtitut. unic. lib.* 2. *feud. tit.* 100. ſe Deo, & Sedi Apoſtolicæ ſubjicit. Præterea Rudolphus I. Imp. & Electores omnes Otto Brandenburg. Joannes & Adalbertus Saxon. Palatinus &c. omnes donationes & privilegia à prædeceſſoribus ſuis Sedi Apoſt. conceſſa, anno 1279. pridie Idus Septemb. confirmarunt & innovarunt, ut aſſerit *Baron. tom.* 10. *ann.* 996. *num.* 44. *& ſeq.* Poſito jam, & non conceſſo Cæſares ſupremam ſibi in Italiam reſervaſſe poteſtatem, & Apoſtolicæ ſolùm Sedi conceſſiſſe dominium utile, ex illa tamen priorum donationum confirmatione & innovatione Rudolphi, & Electoralis Collegii Apoſtolicæ Sedi facta & renovata, exurgit tot centenorum hucuſque annorum præſcriptio utrobique valida & admiſſa, ut ajunt *Thomaſius*, *& Joannes Fridericus Pfeffingerus in notis ad inſtit. jur. publ. Vitriarii lib.* 2. *tit.* 4. *n.* 2. *lit. A.* religione licet acatholicus.

530. Hæc utriuſque partis ſunt jurium ſuorum fundamenta de ſupremo Italiæ dominio (de quo plura inferius) quænam autem aliis prævaleant;

leant, meum hic non est decernere; sed quia Cæsaris nunc in Italia prævalebant arma, haud vanè sibi metuebat Pontifex, ideoque variorum Italiæ Principum deposcit subsidium, haud ægrè etiam denegatum; Principes enim Borgesius 250. Barbatinus 150. Palestrinus 100. Pamfilius 200. Zagarolus 200. Conestablus 200. Senatus Romanus mille ducentos spontaneè offerunt armatos, Pontifexque publicum in S. Petri templo exponit vexillum imagine Christi in Cruce pendentis, & hinc inde Apostolorum Petri & Pauli astantium hac cum inscriptione: *Defende Domine causam tuam*, insignitum: neve bellicus deesset nervus, ex ingenti thesauro castelli S. Angeli, à Sixto V. pro urgentibus Ecclesiæ necessitatibus deposito, Cardinalium & Episcoporum consensu, quingenta scutatorum millia desumit, plura urgentiori periculo desumpturus, in hujus belli sumptus impendenda. Gravissimis præterea Clemens XI. literis Sabaudiæ Ducem à Cæsareo dehortatus fœdere, magnis illum pollicitationibus ad suam, & Gallo-Hispanicam contra Cæsarem sollicitat confœderationem, cui si alligari vellet, Regem ipsum declaraturus, regiamque Romæ inter Reges concessurus sessionem: in Cardinalium deinde promotione liberam ei cujuslibet electionem ac dispositionem permissurus, daturus denique jus perpetuum omnes sui Ducatûs Episcopatus, Prælaturas, Abbatias, aliaque ecclesiastica beneficia eo modo & forma, qua Rex Christianissimus in regno suo conferendi, quibus Victor Amadeus II. reposuit, promptissimum se morem gessurum,

Pontifex bellum in Cæsarē decernit

Sabaudum à Cæsare sollicitat ad Gallos.

xum, quamprimum Pontifex cum Confœderatis suis Carolum III. hispanico repositurus throno, & Regem Galliæ Ludovicum XIV. ad æquam constantemque pacem esset adacturus; verùm Galliæ Rex, præterquam quod Cardinalis Tremovillus ejus indefesse negotia ad Sedem Apostolicam curaret promoveretque, adhuc tamen Mareschallum Tesseum, & Dux Andegavensis Marchionem de Monte Leone Romam submiserunt, ulterioris acerbiorisque simultatis satores; serò tamen & rarò à pontifice admissi. Clemens nihilominus datis ad Regem Galliæ literis tria non solùm armatorum millia ex urbe & comitatu suo pontificio Avenionensi; sed auxiliares etiam ab eodem suppeditari sibi copias petit, Marsiglumque Comitem copiarum suarum generalissimum è Gallia advocat, atque ita maximus in territoriis pontificiis fervebat armorum apparatus & militum auctoratio. Rogat à Gallo suppetias.

Nec minorem Dux Mutinensis colligebat militem, cunctis primò suspectum, quo impendendum, in recuperationem scilicet Ducatûs Ferrariensis, antiquo jure prætensi, & à prædecessoribus suis titulo vicariatûs usque ad Alphonsum II. Estensem possessi, à quo anno 1598. stirpe deficiente in potestatem Sedis Apostolicæ tanquam clientelaris sub Clemente VII. est devolutus, firma deinde spe Ducatûs Mirandolæ adipiscendæ, & à Cæsare sibi donandæ lactabatur.

Dux Mutinensis prætendit Ducatum Ferrariensi.

Cæsareus interim & Mutinensis miles in Ducatum, & ad ipsam urbem tendunt Ferrariensem, non sine ingenti pontificii Ferrariæ Legati, Car-

Cardinalis Casoni terrore; cui hæc ad Sedem Apostolicam deferenti, ex congregationis consilio, strenua urbis communitio imperata est & defensio; caveret autem imprimis Cæsareanorum offensionem & primum aggressum, usque dum par resistendo vim vi posset repellere. Cæsareani autem se latius extendentes Argentam, Canalum, Volanam, Magnam Vaccam & Comacium tumultuariè occupant, & bina hæc postrema firmiter roborant; Comacium quidem ad mare Adriaticum olim celebre, nunc exiguum inter stagnantes aquas & paludes oppidum, est commoda piscatorum potissimum mansio & domicilium, ob proximas condiendis aptè piscibus salinas. Fuit ante nongentos propè annos juris Cæsarei, seu Imperii Rom., sed cùm Ducatus Ferrariensis sæculo decimo sexto Sedi cessisset Apostolicæ, jure fortassis appertinentiæ eidem hucusque adjunctum mansit; quod Cæsar Imperio Rom. vindicaturus, valido illud robore ad subjiciendam latè viciniam visum est communire, & inaccessibile circumvallare. Pontem deinde Lago-Scuri pro tutiori commeatûs ex Mantuano & Finalo advectione, & opportunum ad pontem Ferrariensem aditum intercipiunt; Cardinalis autem Legatus Ferrariensis Ravennatensem cursorum magistrum captivitate ob proditam Cæsareis [ut dicebatur] Magnam Vaccam innodat; quam hi, capto simul præsidio militari, firmiori roborant vallo, haud facilè Ferrariensi territorio ejiciendi, & sedi pontificiæ metuendi.

Cæsareani Comacium occupant & Ferrariens. Ducatû.

Quare Pontifex gravissimis Cæsarem literis itera-

iteratò admonet, & urget militis è Ferrarienſi ſolo eductionem, morantem aut detrectantem tanquam rebellem ſpirituali aliàs excommunicationis fulmine, aut vi militari ejiciendum comminatur. Aliquot præterea Cardinales Marescottus, Carpegna & Pamphilius hujus ſimultatis, ut ſperabant optabantque, mediatores, literis totius Collegii nomine paternum Clementis XI. in Cæſarem animum ſub fide ſua declarant, nunquam intentionis fuiſſe jura Cæſaris, ſi quæ in Ducatum Parmenſem & Placentinum habet, ullo pacto lædendi aut violandi; ſed ſupremum directumque Ducatus ejuſdem dominium à tribus jam ſæculis poſſeſſum manutenendi, annuus cujus cenſus jam tum longè antè, tum etiam poſtquam jure feudi Farneſiis obvenit Principibus, ad hæc uſque tempora Apoſtolicæ ab eisdem Cameræ pendatur; auguſtæque memoriæ Leopoldus datis 14. Decembr. 1691. ad Innocentium XII. literis apertè declaraverit, Parmæ & Placentiæ Ducem Vaſallagio Apoſtolicæ Sedi eſſe adſtrictum: die præterea 27. Jul. 1697. ſolemni conſilii aulici Cæſarei decreto ſit profeſſus, eundem Ducem pauca tantùm feuda à Cæſare, Romanoque Imperio ſ recognoſcere: addebant præterea, an non juri gentium & naturali repugnat, tam importunè Ducatum Ferrarienſem, & in eo urbem Comachium invadere, occupare, & operibus communire, quæ tot Romanorum Imperatorum declarationibus, publicis fœderibus, ac tam longa temporis poſſeſſione & præſcriptione in Eccleſiæ Romanæ dominio fuiſſe probantur? Et quam infirma nititur ratio-

Cardinales offerunt ſe mediatores Papam inter & Cæſarem.

ratione inaudita illa prohibitio, qua tum in Ducatu Mediolanensi, tum in Regno Neapolitano Ecclesiasticis non indigenis & externis absentibus beneficiorum proventus aut pensiones titulo debiti interdicuntur, & pristinum cum pontificiis subditis, & ipsis Romanæ Curiæ incolis tollitur commercium; quæ tamen omnia benigna validaque Majestatis suæ intercessione & auctoritate quamprimùm sublata iri confidebant, simulque rogabant, ut sua Majestas Pontifici aures animumque suum dignetur aperire.

Papa non vult Carolum Regem Hispaniæ agnoscere.

531. At quia pontifex adhuc tergiversabatur Carolum III. Regem Hispaniæ recognoscere (sed solummodo Regem, [omisso Hispaniæ, ex gallico forte conceptu] nominaret) & Reginam per Italiam transeuntem Barcellonam per Apostolicum Legatum à latere salutare, latius Cæsarei alas extenderunt; quos Marsiglus pontificiarum copiarum campiductor aggressus, vi ejicit Argentâ, Medelâ, Stellatâ, & Bondeno, cæsisque aliquot & 50. captis, reliquos Mutinam & Comacium repellit; hoc etiam ut confidebat facilè mox recuperaturus: ternas præterea Cæsareas bellici apparatûs naves in pado fl. intercipit, & Faventiam, Ferrariam, adjacentiaque oppida firmioribus roborat operibus, novis interim militum augmentis confirmatus. Sic Cæsareani armis lacessiti, pluribusque ex Pedemontio, Mantuano & Mediolanensi aucti copiis, communiti valide Commacii portæ hæc inscribunt: JOSEPHO IMPERATORI ANTIQUÆ ITALIÆ JURA REPETENTI. Tunc Lagum-Scurum recuperaturi, præsidiariis autem

Cæsareanos Ferrariensis expellit.

tem metu aufugientibus oppidum, & ingentem commeatum, bellicumque apparatum intercipiunt: mox Bondenum captis 1800. præsidiariis, potissimum pyrobolariis, occupant, & militarem undique exigunt collectam: quo evocati populares & indigenæ metu perculsi, depositis armis sua repetunt, celebrisque proscriptus Guerinus, cujus fortitudini audaciæque multum pontificii tribuebant, Cæsareas quoque partes amplectitur, atque ita Cæsareani terrorem ubique circumferentes cogunt Bononienses urbanum dimittere præsidium & conscriptam militiam, Cæsareanosque 300. confirmatis sibi prius Caroli V. privilegiis admittere. Tum Cæsareani in Romandiolam latius devoluti prætoriâ Ravennæ figentes stativa, cuncta provinciæ oppida urbesque suis firmant præsidiis, ac graves extorquent contributiones. Faventinis etiam præsidiariis metu diffugientibus, Ferraram & Urbanum munimentum adeo arctè includentes omni interdicebant aditu & commeatu, ut fames invalesceret; & quia Dux Darmstadiensis aliquot è Neapolitano regno millibus approperabat, classisque Anglo-Batavica mari mediterraneo Italiæ finibus approximare dicebatur, Cæsareus jam etiam exercitus paucis ab urbe horis cum insigni rei tormentariæ apparatu distaret, trepidabat Roma, & supplicabat mali aversionem, Caroli V. temporum reminiscens.

Hi vicissim pontificios.

Roma trepidat.

Imminentem tandem tempestatem serenavit adventus Marchionis de Prie, Cæsaris plenipotentiarius, 10. Novembr. à Pontifice Clemente XI. benignè Romæ admissus, trium horarum collo-

colloquio gavisus est, & binis postmodum vicibus cum Cardinale Paoluccio de finiendis utrimque dissidiis contulit, unde etiam hæc simultatis spargebatur compositio, ut pontifex arma, militemque exauctoret, Cæsareanos ad hybernalia in pontificiis admittat provinciis, Carolum III. Regem Hispaniæ agnoscat, feudumque Neapolitanum eidem conferat, Cæsareano denique militi per pontificias ditiones transitum permittat; sed quia Cæsar confœderati sui Ducis Mutinensis ex antiqua Ducum Atestensium familia Ferratiensis Ducatûs simul urgebat prætensionem, à pontifice denegatam, sperata pax evanescit, exercitusque Cæsareus propius Romam anxius nunc trementem approximat. Trepidabant non minus alii Italiæ Principes Cæsaris fortunam & potentiam jam sero metuentes; Parmensi dictitatum, ut Placentini & Parmensis Ducatûs feudum sub pœna caducitatis per legatum Viennæ peteret; & quia Bersellum juris Mutinensis hostium consilio & commodo 1703. destruxerat, ingens auri summa ducenta millia ducatorum Cæsaris decreto in ejus exigebatur restaurationem: Mantuanus & Mirandolanus Principes tutiora secuti Venetiis latitabant; hic commissi sui apud Cæsarem mediatores & intercessores rogat Venetos, honestissime hac in re odiosa se excusantes: ille, Mantuanus, Reginam Britanniæ & Batavos per suum internuntium Comitem Joannem Baptistam Vellum enixè, sed frustraneè, interpellat: immo demississimis Princeps ipse literis commissi veniam à Cæsare deprecatur, omnem spem suam

Et Principes Italici.

Mantuanus & Mirandolanus veniam à Cæsare petũt.

&

& fiduciam in sola Austriaca reponens clementia & misericordia, orbi celeberrima, quòd omnia Gallorum fraudibus & potentiâ coactus fecisset; parceret igitur Austriacus Cæsar sibi Austriaco sanguine oriundo. Verùm pertinax hactenus ab anno 1701. usque huc Principis contumacia sibi clausit remissionis januam, post felicem fortassis Augustæ Taurinorum 1700. eliberationem adhuc patentem, si Austriacus tum sanguis superliminare Domûs Austriacæ attigisset. Hic quidem Carolus IV. anno 1652. 31. Augusti Patre Carolo III. Duce Mantuano, & matre Isabella Clara Archiducis Leopoldi Austriaci filia natus, à materno in patris & proavi Vincentii Gonzagæ gallizantium sanguinem omnino degenerans, magnum singuli Austriacæ Domui, Imperioque Romano facessêre negotium (*Natal. Com. l.* 18.) imprimis autem hic Carolus IV. in non exiguum Cæsaris & Imperii Rom. præjudicium Casalium & Guastallam anno 1681. Galliæ Regi Ludovico XIV. præsenti vendidit pecuniâ, eundemque in totum Mantuanum admisit Ducatum : quâ injuriâ Cæsar admodùm offensus Carolum Ducem proscribit, rescissisque feudi Anno 1701. 30. Jun. publicè à Leopoldo I. recens confirmati tabulis illum Ducatu exuit, quo terrore percullus 5. Jul. Venetiis diem obit extremum ; alii scribunt, quòd de Cæsareo & Imperiali proscriptionis decreto ante mortem nihil rescierit, & Patavii 7. Jul. obierit : princeps toto vitæ suæ tempore parum rerum suarum satagens, atque ita stirpe deficiente Cæsar Mantuanum olim

Mantuanus proscribitur & moritur.

marchionatum à Carolo V. 1530. in ducatum elevatum jure caducitatis ad Imperium Rom. devolutum jubet administrari, collato paulò antè Montisferratensi ducatu (quem Fridericus ejusque successores ab anno 1531. jure dotis hucusque possederant) in Victorem Amadeum II. Ducem Sabaudiæ, ejusdem semper Ducatûs competitorem. Nunquid meritò prædecessor Fridericus primus, hujus ducatûs Dux, cum Augusto Cæsare Homericum illum exclamare versum poterat: O utinam cælebs vixissem, orbusque periissem! ut refert *Suetonius*. *Spartianus in Severo*, pluribus docet exemplis, ita ferè usu venisse, ut viri seu virtute, seu literis, seu fortunæ indulgentiâ insignes, aut nullos omnino liberos habuerint, aut tales, ut præstiterit eis absque liberis decedere. Sic de tribus Constantini M. filiis refert *Sigon. de Imper. Occid. lib.* 5. qui tantum à paterna animi indole in omni genere laudis atque officii recesserunt, quantum ille superiores principes omnes pietate, atque animi magnanimitate superavit; neque enim Constantino filio quisquam ad vitam incautior. Constante ad indecoras voluptates proclivior, Constantio aut levior, aut ad arrogantiam intolerabilior fuit. Mantuani deinde administratores 6. Augusti ducatum Mirandulanum in fidem Cæsaris receperunt.

Montisferrati ducatus cedit Sabaudo

532. Ludovicus interea Rex Galliæ omni quo potuit studio confœderatorum animos & vires conatus dirimere & dissipare, Amadeo Sabaudiæ Duci suas aut partes, aut neutralitatem amplexuro aureos promittit montes; verùm Ama-

Amadeus alienis cautior periculis, & ampullatis Gallorum diffidens promissis, martiale cum Cæsare & sociis fœdus ad triennium renovat, & arctius confirmat, Ducis licet prætensionibus Novariæ & Vergemini (Mediolanensibus enixè obsistentibus, ne hæc Ducatui annexa subtrahantur) necdum esset satisfactum; sperabatur tamen brevi æqualium urbium commutatione componendam fore differentiam; quæ etiam paulò pòst finium divisione terminata est; quanquam Mediolanenses ægre Lomelinum cum Dertonensi tractu commutarint, aditum sibi Finalensem præcludentes; ideoque finitimas urbes, aditus & munimenta firmiter contra hostium impetus communire jubet, uti & Galli fossiles ad Varum fl. lineas & aggerem 28. pedibus altum indefesse exstruunt, & ad finem Maji exercitum 30000. ut evulgabant, Brigantium versus educunt; qui 1. Januar. factâ in Pedemontium cum octo millibus excursione militares collectas ex omni circumquaque Caramagnolam inter & Augustam Vagiennorum tractu extorquentes, captis inde 17. obsidibus mox discedunt. Sabaudus autem prope Segusium principio Junii cum 30. millibus, Pinaroli cum 6000. & Augustæ prætoriæ seu Valassorum cum 4000. armatorum consedit, aëris tempestatibus ad ulteriorem expeditionem aliquamdiu impeditus. Tandem 20. Jun. exercitum Daunius movet in hostem, Amadeus montem Cenis, & Schulenbergus parvum Bernardi montem transcendunt, hæsitantibus anxiè Gallis quo iter flexuri, Perusiam idcirco, & omnes circum-

Gallorum & Sabaudorum invicem expeditiones.

quaque aditus & accessus probe firmiterque intercludunt, neglecto alpe Cenis, quem fœderati instar fulminis perrumpentes Villarium omnibus circa Modenum munitionibus ejiciunt, & Schulenbergus cæsâ funditus gallicâ legione, validoque in Tarentasiensi provincia castro Selz intercepto, Villarium ex fano S. Mauritii firmiter circumvallato usque Barraucium Delphinatûs propellit, quod Villarius tumultuario firmat robore, ut imminentem Lugduno hostem (quo jam liber Sabaudo patebat aditus) omni quo posset modo arceret; sed decepto Villario Amadeus Sesannum & Oulzium intercipit: illud paulò pòst à Gallis recuperatum Allobroges rurius armatâ mox capiunt manu, & Exilles post 5. dierum oppugnationem 12. Augusti spontaneâ deditione, captis 350. præsidiariis, & insigni commeatu, bellicoque apparatu occupant: Marchio quoque Andornus eodem tempore Perusiam & castrum Ludovicium subigit, redactis in potestatem 500. præsidiariis; Baumerevero vi subjugavit. Subinde Dux Fenestrellum, validum Delphinatûs propugnaculum adortus, decem dierum intervallo suæ fecit potestatis capto nongentorum armatorum præsidio, 45. tormentis, 7. mortariis, & apparatu non contemnendo; atque ita per Delphinatum militares exigit collectas, frendente licet Villario, Brigantii cum exercitu confidente, urbemque tumultuariè roborante, & ulteriorem Sabaudo in Delphinatum progressum oppessulante. Intercepta demum munitione Mutinâ & valle S. Martini, Sabaudus exercitum Pinarollium redu-

Galli Lugdunum usque pelluntur.

cit,

cit, & ingruentibus anni tempestatibus nive & frigore militem ad hyberna dimittit, ulteriori progressui quorundam judicio adhuc aptum, quem exiguus tunc gallicus exercitus vix poterat impedire.

533. Ventilata hactenus apud Helvetos ducatûs Neocomensis (Welsch - Newburg) controversia dum videbatur omnes, ac imprimis gallicos principes competitores omnino excludere, & solum Borussiæ Regem omnibus præferre, Ludovicus XIV. causam senatui, seu parlamento Vesontino in Burgundia examinandam decidendamque committit, qui jure caducitatis ad Regem Galliæ probabant devolutum, eò quòd in illo ducatu comitatus Bourg & Abbatia Arley clientelares, eorundem feudatarii renovationem feudi hucusque neglexerint; ideoque Rex subditis suis omne cum Neocomensibus interdixit commercium, & Marte veluti judice decidendum aliquot illuc destinavit militũ legiones. Tandem actualis Regis Borussiæ ad Helvetos Internuntius junior Metternich Neocomum Regi Friderico III. adjudicatum denuntians, 2. millium ducatorum præmium tulit, simul & Regi à cubiculis adlectus: qua de causa parisiense Senatûs consultum Ludovico Regi bellum Helvetis Calvinianis inferendum dissuasit, quòd Catholici à Rege admodum sollicitati, sociis hac de causa arma inferre refugerent.

Neocomensis Ducatus adjudicatur Regi Borussiæ.

534. Cæterum Cæsar ad promovendam felicius hujus anni expeditionem indesinenter desudans, Eugenium Sabaudum 24. Mart. ad Electorem Hanoveranum, inde in Hollandiam

Hagam Comitis militarium consiliorum causâ dimisit, ubi convenientibus Legato Hispanico Bernardo de Quiros, Ducibus Arescottano, Marleborugo, Comitibus Urselo, Leicherano, Legnasco, Maffajo, Stanhope & generalium Statuum deputatis, pluribusque aliis Generalibus, de proximè instante belli expeditione, & reip. salute est consultatum: omnibus unanimi sententiâ & consensu peractis ac decretis, Marleborugus Hanoveram, Eugenius Dusseldorpium ad Electorem Palatinum, inde rursus Hanoveram, & per Saxoniam rediit Viennam commissorum rationem negotiorum Cæsari redditurus.

Gallus prodi-tionibus studet.

Friburgi proditio patefit.

Gallus sub hæc quod Marte nequibat, Sinoniâ tentabat arte, & consueta proditione Friburgum Brisgoviæ metropolim intercipere: Civis enim Basileensis Wentz, inter Hasso-Casselanos quondam centurio, ope Friburgensis vexilliferi Frey, urbem Gallis prodendam sperabat; hic autem suo protribuno Tillero rem sine mora aperiens, ambo simulant se cooperaturos, promittuntque sopitis vino custodibus & stationariis gallicos statuto tempore pyrobolarios mille admissuros: immo Wentzio comitante Villarium adeuntes, & centum millium florenorum pretio, digniorequе militari promotione convenientes, Villarius certam & indubitatam hanc traditionem existimans, 10. Januar. Argentoratum approperat, moxque duo pyrobolariorum millia Hunningam ad paratam ibidem phalangem præmittit, suspicantibus aliis ad occupandum forte in Helvetia Neocomum [cui hanc

Fri-

Friburgi expeditionem Marchio S. Germani ajebat præferendam] hanc militum phalangem destinatum: vexillifer autem Frey & Tillierus proditionem constanter aversantes, urbis præfecto Harschio acta conventa manifestant, qui duplicatis mox stationariis ad egregiam cuncta parat defensionem, hostium adventum cum desiderio expectans; hæc autem Galli jam itineri accincti audientes gradum sistunt, maximè indolentes dolum dolo elisum, sibique spem recuperandi simul, aut saltem infestandi Franconiam, Sueviam, Bavariam, & Ducatum Wurtenburgensem (à quo jam tum 1100. libratum millia pro ignis condonatione exigebant) ereptam, Friburgum enim supra Argentoratum haud procul hercynia silva tribus Brisaco milliaribus dissitum, firmissimis vallis & propugnaculis, arceque validâ roboratum, Romani Imperii meditullio inhærens, incredibile intulisset damnum & detrimentum, si à Gallis eo tum tempore fuisset interceptum; quo altera haud parum periculosa in Bavaria sub cineribus gliscebat proditio, opportuno etiam adhuc tempore detecta; ad medium nempe Junii ad fanum S. Petri in hercynia tabellarius cum centum & ultra suspectis literis est interceptus, unde bavaricum Cæsaris Monachii ministerium varios custodiæ tradidit complices, Baronem de Weichs Kuffsteinii, Cancellarium Scheter Rattenburgi, Baronem de Leiden Ehrenbergi, Consiliarium intimum Prielmejerum Ingolstadii, Baronem Baumgarten cum 10. millium florenorum mulcta Monachii cautè observatos, quòd Maxi- *Proditio Bavariæ.*

milianus Emmanuel Dux Bavariæ è Belgio [ubi Regiis Principibus tunc gallici exercitûs Archistrategis subesse nollet] illuc dicebatur provolaturus. Quare Cæsar 23. Jun. Joanni Wilhelmo II. Electori Palatino superioris Palatinatûs feudum, huic Electoratui antehac proprie annexum, sed ob Friderici exauctorati rebellionem in domum & Electoratum Bavaricum translatum, cum Comitatu Cham restituit, & in collegio electorali in sessionem, officium & dignitatem archidapiferi reposuit.

Palatinatus superior traditur, Palatino

535. Ceterum Sinoniæ Gallorum machinationes videbantur Germanorum animos ad ferventiorem excitare expeditionem, & armorum apparatum. Superioris enim Rheni circulus Francofurti ad Mœnum collectus, Franconicus item & Suevicus circuli ad parem ceteros imperii ordines præparationem & adjumentum instigant: urgent patriæ defensionem literis ad Ratisponensia comitia datis Elector Hanoveranus & Generales Hollandiæ status; urget ipse Cæsar & Ratisponensis Imperii conventus maturiorem & copiosiorem apud cetera Imperii membra militis & nervi submissionem: conclusiones & promissiones fuêre utrobique liberales; sed exigui effectus: Electores tamen Moguntinus, Hanoveranus, Eugenius Sabaudus, Princeps Hasso-Cassellensis, & aliquot belli Generales habito Francofurti ad Mœnum bellico per biduum consilio, Hanoveranus ad imperialem tendit exercitum, in imperio à Tungeno collectum, & annonam bellicumque apparatum Philippopoli & Landaviæ coacervantem, uti ad gallicum quo-

quoque exercitum advenerant Duces Bavarus & Berwicus ad fossiles Lauterburgi lineas considentem, & muros turresque Coronopolis evertentem. Eugenius autem cum nepote suo principe Suessionensi & Comite Rabutino, ad Mosellam properat, quo à sex ad octo Hassorum millia, duæ ex Italia Palfica & Viscontina loricatæ, Sabaudicaque dimacharum legiones convenerant; accesserant quoque Palatinæ tum equitum, tum peditum legiones, Guntelshausii in dorso canino hybernatæ, ac denique Saxonum sub mareschallo Ogilvio sex armatorum millia, exercitus universim 36. conficiens millia. Hæc Rex Galliæ audiens mandat Berwico similem Theonisvillæ formare exercitum, conjunctis decem ex Alsatia Bavarorum millibus, & summo studio Eugenii moliminibus (cujus ubique Gallos terrebat præsentia) invigilare; ideoque Bavarus & Berwicus ducto Blis-Casselum exercitu diligenter observant Eugenium Alckenæ quatuor supra Confluentiam horis mosellam transeuntem, quem 1. Julii Marchio de Fremont cum equitatu gallico, relicto cum reliquo exercitu Blis-Casseli Bavaro, est subsecutus. Sed Eugenius cum Cæsareo-Palatino equitatu incredibili celeritate Meckenheimium, Marcodurum, Aquisgranum & Trajectum transiens, præter Gallorum opinionem in Belgium pervenit: hîc collecto exercitu Gallorum observabat & sequebatur motus, qui generalem Grimaldum cum legionibus aliquot Gandavum versus dimittunt, ubi dum decem vafricie pleni pedites se transfugas fingentes cum Gandavensibus civibus

Eugenius cũ exercitu tendit in Belgium

Galli Gandavum & Brugas capiunt.

vibus portæ S. Levini custodibus miscent colloquia, tribunus de la Faille, supremus quondam hujus urbis prætor, vi portam irruens urbem occupat, exhibitisque Senatui Ducis Bavariæ literis, 12. Maji datis, ejus consensu urbem totam suæ facit potestatis: arcis præfectus etsi initio pararet defensionem, postulatus tamen tertiò à Comite Bergeyck ex desperatione succursûs 7. Julii ultroneam fecit deditionem, & 9. ejusdem militari honore Dendermundum cum præsidio demissus. Ita quoque gallicus Generalis la Mothe 6. Julii quinque armatorum millibus Brugas omni vacuas præsidio adortus die alterâ deditione capit, & munitionem Plassendal armatâ manu, cæsis 170. Anglis, devincit.

Confœderatus sub hæc exercitus motis Terbancko castris inter S. Quintum Lenich & Ninovum considet; gallicus autem Lembeckum inter & Hallam, in altera Senni fl. parte quasi permansurus; Marleborugus igitur dum 6. Julii structis ordinibus illum ibidem aggredi tentaret, magna præcipitantiâ relictis aliquot impedimentis fugam corripit; sed expeditus mox equitatus postremum ejus carpens agmen 300. equos, & 30. sarcinatos mulos deprædatus ad castra revertitur, quæ inde Bruxellas inter & Alostum in magno Gandavensi aggere figit, & ad illa ejusdem 7. Eugenius à Britannico Generale Cadogano sub aliquot centenorum equitum præsidio Trajecto est conductus; ubi post longam cum Marleborugo & Overkerkio Batavorum Archistratego conferentiam Bruxellas abiit matrem suam Comitissam Suessionensem

vi-

visitaturus, alterâ tamen pòst die ad castra est reversus, cujus necdum exercitus adveniens 9. primùm Julii mosam erat transiturus; alter vero confœderatus exercitus præmisso cum aliquot legionibus Lesinam Cadogano & Ranzavio, præparando Dendri fl. transitum, summa hunc velocitate sine hostium impedimento [quod Vendomius volebat prohiberi, sed permittebat Dux Burgundiæ] superat feliciter: gallicus autem exercitus motis Gavereno castris Scaldim fl. prope Audenardam transit, confœderatos inde, ut credebatur, & à Vendomio, sed frustra, suadebatur, prohibiturus: validam igitur aliquot legionum phalangem quamprimum in alterum Scaldis partem ad certius securiusque trajiciendum (nam decretoria cum Gallis indicta erat militibus pugna) confœderati expediunt, & totus mox subsecutus exercitus sine remora in hostium conspectu traducitur.

536. Galli pugnam declinantes ne fugam corriperent, Germani illos 10. Julii in oppido Beverend & sepibus latentes pedites, & retro oppidum equites adorti devincunt & capiunt, obtentis decem signis equestribus & aliquot tympanis. Sic pugnare coactos Overkerckius alâ sinistrâ, Eugenius & Marleborugus dextera ad pagos Okken & Caster dumetis implexos generose adorti pellunt, cædunt & agunt in fugam ad horam decimam usque noctis, cujus beneficio nisi plurimi fugâ subrepti, hostis ad internecionem fuisset deletus: confœderatorum namque equitatus ob loci angustias hostilem impeditus in acie frontem incurrere, à tergo & *Pugna & strages Gallorum.*

la-

latere illum circumfundens, in maximam coëgit confusionem, ut septem ferme Gallorum millia & in his 400. ferme belli officiales sint capti, cæsi verò 3320. reliqui cum tormentis & impedimentis partim Gandavum versus & Deinse, partim Cortracum fugâ dilapsi sunt; Vendomius autem reliquias colligens retro Gandavensem canalem Brugas inter & Gandavum consedit, ut has eximeret urbes periculo, contra omnium tribunorum suorum sententiam & opinionem urgentium cum Berwicko conjunctionem, quod propter incussum militi terrorem admodùm illi videbatur periculosum. Confœderatorum pauci, tribunorum nullus desideratus, 12. & 13. Jul. in acie perstiterunt, & Eugenius (qui Viennâ abiens & valedicens Cæsari hanc prædixerat victoriam) suo obvius exercitui ad fanum S. Quintini illum Lennick 15. Jul. deductum, deinde versus Bruxellas pro rei tormentariæ ibidem ingenti copiâ collectæ & paratæ defensione, tum ut Vendomii cum Berwicko, Montibus Hanoniæ adhærente, impediret conjunctionem, amandavit: Marleborugus vero General. Lotum ad Iprenses invadendas Lineas cum aliquot expedit legionibus, quas levi etiam brachio & ultroneâ deditione, captis eorum defensoribus, occupatas tumultuarie complanat, ingenti labore, tempore & ære à Gallis extructas, & sic facilior in Galliam patebat aditus, totum quoque exercitum Marleborugus Audenardâ transfert Warwickum, gravesque per Artesiam exigit contributiones, pluribus ad castra conductis inde obsidibus: Comes etiam Tyllius pervagatus

Confœderati Galliam & Picardiam irrunnt.

Pi-

Picardiam, magnum ubique circumtulit terrorem, indigenas domibus pagisque latè expellentem, ideoque 15. pagos incolis vacuos & arcem ignibus subjecit: Lentium verò inter & le Bassee 800. offendens equites, cædit, & in fugam agit, captis eorum ducentis: tum ex militari consilio ad oppidum le Bassee constitit, ne à Berwicko, & Principis Burgundi copiis (qui Lentium modò advenerat) circumcingeretur, ideoque legionibus aliquot confirmatus evasit feliciter, 3. Augusti cum pluribus ex Arthesia obsidibus ad castra reversus: è contra Vendomius expeditis aliquot è Gandavensibus castris legionibus Bierolitenses confœderatorum fossiles occupans lineas, provinciam Waes & Casand ad militares adigit collectas.

535. Ludovicus XIV. haud difficile sibi persuadere poterat gloriosam hanc ulterius Confœderatos victoriam prosecuturos, eorum autem quo collimarent expeditionis consilia dubius, Ipris, Tornaco, Montibus Hanoniæ & Insulæ metuens, justo illas instruit præsidio; & Insulæ quidem, ulterioris Galliæ clavi, Boufleurum cum 15. præsidiariorum millibus imponit, totis viribus ad ultimum sanguinis defendendæ, nec sua Regem fefellit opinio: huic namque invadendæ uterque desudabat confœderatorum exercitus, sed Eugenius & Dopfius rem tormentariam 94. tormenta muralia, 20. mortaria, tria plaustrorum millia cum omnigeno bellico apparatu 6. Augusti Bruxellis singulari prudentia & sollicitudine in conspectu ferme hostium, & sine ullo eorum impedimento traducunt Turcojum; atque

Confœderati Insulas cingunt.

atque ita Eugenius (cui tota hujus obsidionis expeditio erat commissa, & Marleborugo ejusdem invigilando defensio) 13. Aug. Insulam circumcingit, Princeps Nassavius hæderitarius Frisiæ occidentalis gubernator stativa prope Abbatiam Marquette figit, in altera urbis parte Eugenius ad pontem Tressin; Boufleurus econtra in validam cuncta urbis præparabat defensionem, suburbia, topiaria, dumeta & arbores circumquaque inflammando & tollendo; sed expeditâ 14. Aug. circumvallationis linea, adductisque ad castra tormentis, illa è regione portæ D. Magdalenæ ad dexteram, ad sinistram versus D. Andreæ & S. Mauritii portas supremi directores Rooques & Mee dirigunt, ac tandem 22. nocte General. Wilkenus natione Hassus campestria primùm aperit valla, cæsis suorum tribus & aliquot læsis; die 24. ædiculam D. Magdalenæ mœnibus vicinam, ideoque sudibus vallatam & 200. defensoribus munitam vi armata cum centum pedibus, & totidem eorum interfectis capiunt confœderati, desideratis suorum quadraginta tum sauciis cùm mortuis. Vendomius interea ad canalem Gandavensem munitionem Rouge, & prope Ostendam munitionem occupat Albertinam, comminatus Ostendæ obsidionem (ideo præfectus oppidi Dam patefactis cataractis viciniam circumquaque inundat) deinde superatis insulæ Cadsantis lineis urbem Biervliet intercipit, ibidemque domum annonariam, duos pagos, 28. topiaria & urbanas villas diripit, incendit; totamque insulam contributionibus emungit. Tum Insularum tentaturus solutio-

Galli earum solutionem meditâtur.

tio-

tionem, Ninovæ Berwicko & Duci Burgundiæ se conjungit. Hæc Marleborugus intelligens, consulto in castris Insulanis Eugenio, ambo cum exercitu Noyelles inter & Fretinum castra metati, hostis adventum Phalampini uno tantùm milliari à confœderatis cum 30. grandioribus & aliis campestribus tormentis considentis expectant, aucti interim Fagelii 7. millium copiis, ex Bruxellensibus, aliisque Brabantinis præsidiis collectis; quibus accedebat Tillius cum aliquot equitum legionibus, quibus commeatum & apparatum bellicum Audenardâ conduxerat Insulas: at meticulose hoste frustra expectato Eugenius cum suis Insulanam repetit obsidionem: Overkerkius & Marleborugus castra à pago Noyelles usque Fretinum (ubi facilior hosti patebat aditus) vallis & loricis communiunt.

Sub hæc antesignano Wilckeno expeditus est 7. Septemb. in murum insultus à dextris mille sexcentis pyrobolariis, bombardariis, & 2030. operariis, & à finistris etiam ter mille ducentis pyrobolariis, bombardariis, & totidem, ut supra, operariis, qui insigni animositate circa octavam vespertinam dejectis sudibus, cæsis ut plurimùm defensoribus ad cornuti angulum propugnaculi utrimque perrumpentes, terræ infossi perseveranter perstiterunt, cum jactura tamen 1600. tum læsorum, tum interfectorum: in altero autem diei 21. insultu propius urbi accedentes cæsi vulneratique universim sunt nongenti, ipseque Eugenius globo in sincipiti cicatricatus, Meen curandi causâ Marleborugi persua-

Insultus in urbē.

Eugenii periculū mortis & intoxicationis.

suasu discessit, qui interea & obsidioni, & exercitui præfuit vigilantissime; de Eugenio asseritur dixisse Ludovicus XIV. Dolerem, si fatali hoc casu Princeps prudentissimus periisset. 26. tamen Sept. acceptis binis Hagâ Comitis epistolis, sublatoque unius involucro repetit chartam bibulam pingui toxicatam materiâ, quam cum sine animi abjiceret perturbatione, Dopffio, cæteresque præsentibus belliducibus hæc perhorrescentibus dicebat; non miramini, jam multoties toxicatæ hujusmodi literæ mihi sunt traditæ: hæ collo canis alligatæ intra 24. horas illum antidoto licet adhibito necaverunt, sed ubique tutum est quod propugnat & conservat Deus. Fervebat interea utrimque acriter op- & propugnatio Insulana; sed quia Galli transmisso Scaldi omnem Confœderatis castra adeundi viam intercluserant, bellicus illis deficiebat apparatus, maximè necessarius, quem mari Regina Angliæ sat copiosum cum aliquot militum legionibus submisit Ostendam, inde ad castra transvehendum: hujus certior factus Dux Burgundiæ, ut rêpelleret illum, impediretve, Comitem la Motte cum 24. armatorum millibus Wynendalium mittit, hìc confœderatos sub Cadogano, Webb, Fagel & Lotum aggressus repellitur, & ex insidiis à latere in confusionem actus cæditur & fugatur, relictis in silva 19. tormentis, quæ die altera confœderatis cum suo apparatu ad Insulana castra properantibus repetiverunt, desideratis suorum tum interfectorum, tum vulneratorum (quos inter Comes ipse la Motte universim 3. aut 4. millibus; ex confœdera-

Dux Burgundiæ cæditur.

deratorum autem 7. millibus cæsi, læsique tantum sunt 912. numerus quo magis impar, eo victoria est gloriosior.

Url & succursum tentantes.

Deficiente quoque urbis præsidio & pulvere nitrato, Luxemburgus & Tournefortius Duaco 28. Septemb. cum mille & sexcentis equitibus [quorum quilibet 50. ad 60. pulveris nitrati libras urbi inferendas gestabat] expiscato proditoriè castrorum symbolo, circumvallationis lineam media nocte transeuntes urbi appropерant; sed à Witgensteiniensibus dimachis opportunè cogniti, globisque petiti correpto igne pulvis multos eorum miserè ingenti terno fragore & terræ mutu horribili prostravit; priores quidem trecenti cum Luxemburgo urbem penetrarunt, sed cum exiguo pulvere, qui ex terroris confusione in terram dilapsus & dispersus, igne equorum soleis excusso absumptus est, reliqui cum eodem ustulationis detrimento auffugiunt, relictis per duarum horarum spatium stragis suæ vestigiis. Boufleurus evidentem prævidens urbis deditionem & amissionem, desperatam tamen non intermittit defensionem, sed murorum ruinas & intervalla ferratis occludit trabibus, post has recessus & foveas egerit, plateas catenis, & sudibus obstruit; sed Eugenii virtuti & prudentiæ nihil invincibile; 5. namq; Octobris occupato castello defixo (Ravelin) præsidiarios muris dejicit; 13. devincit pomœrium, unde die altera expulsus, sequenti demum recuperat & manutenet. Tandem 18. Octobris habito in oppido Menen militari consilio decreta est generalis urbis impressio 22. Octo-

bris, tum propter acerbas aëris imminentes injurias, & miles magno exhaustus esset labore, tum quòd commeatus & apparatus bellicus quotidie diffi ilius ad castra posset deduci, Gallis ubique invigilantibus; nam nihil certius est obsidionem tum fuisse solvendã, si Ostendensis nuper apparatus à Com. la Motte fuisset impeditus.

538. Omnibus igitur indefesso studio & labore ad prædictum insultum præparatis, cùm Boufleurus illum sustinere desperaret, motus cruentæ stragis periculo, belliducum consilio & consensu, ac civium obnixis denique precibus eodem die 22. Octob. circa 4. vespertinam ultroneam urbis offert deditionem, & sequenti die portæ D. Magdalenæ & castelli ibidem defixi occupationem. Tum pactis triduanis induciis gallicum præsidium 5000. ex urbe in arcem divertit, absque eo equitatu, qui obsidionis tempore urbem ingressus, nunc eâ cedere debuit: 26. autem Confœderati sub præfecto Duce Holsatiæ Beck urbem occupant, absque minima Romano-Catholicæ fidei, privilegiorum &c. violatione, non absque tamen copioso sanguine; universim namque ex confœderatis tam læsi quàm cæsi fuere 12316. Ceterum elapsis induciis Eugenius arcem singulari modo & arte aggreditur, de quo paulo pòst.

Urbs excepta arce deditur.

Durante adhuc obsidione galli non exigui roboris Athum proditione transfugæ le Grand tentabant insilire; jamque duo eorum millia bina modò repagula & exteriorem urbis fossam noctis beneficio transierant, sed illis solis expeditioni non sufficientibus dum reliqui à Duce Bur-

Galli frustra Athum tentant.

Burgundiæ illuc destinati viâ aberrantes die illucescente seriùs advenirent, proditi re infectâ, relictis omnibus in fugam sunt compulsi: inde Croissius Leffingam adortus non levi pariter damno rejectus, & ipse captus est. 200. tamen pulveris nitrati orculas ad confœderatorum castra traducendas præsidiarii Angli ex ignitorum globorum periculo aquis immergere coacti, 9. postmodum millia Vendomius ad illam remittit occupandam, quibus octingenti illic præsidiarii impares, Leffingam Gallorum tamen 1500. nece dedidêre; quo communicatio Ostendensis Confœderatis occlusa, & Gallis aditus Neoportum usque patefactus. Vario præterea molimine & continuis motibus Dux Burgundiæ & Vendomius obsidionem hanc, sed irritò, impedire tentabant, quos Eugenins in acie prælio aggrediendos suadebat, terrore magis quàm armis vincendos; quo non solùm faciliùs Insulas, sed plures etiam urbes alias fore subjugandas; sed incertæ & periculosæ huic belli aleæ Generalium Statuum Deputati diffidentes, laudabant, mirabanturque per discursum ingentia Julii Cæsaris facta; quinimo, ajebat Eugenius, hæc poterat solus imperii & voluntatis suæ potens, deputatis non indigens, Cùm autem tripartitus Gallorum exercitus commeatûs transvehendi viam & aditum Ostendâ ad confœderatorum castra intercluderet, Marleborugo tunc in hostem movente, præcipitem hic corripiens fugam, aggeres ripasq; transfodiendo, Ostendenses agros, & totam late viciniam inundat, ut commeatus inde in castris deficiens Ipris & Furno advehi debuerit,

Occupant Leffingam.

rit, & Marleborugus priora Rousselarii castra ad Insularum usque deditionem repetit; in quibus quatriduo infectus morbo Com. Ouverkerckus Batavorum Archistrategus militari clarus experientia maximo totius exercitus dolore 18. Octobris vitâ excessit, cujus vicarias interea partes Comes Tillius peregit, quo eodem fato Bruxellis 10. Octob. decesserat Principis Eugenii mater, Comitissa Suessionensis.

Mors Ouverkerckii Barav. archistr.

539. Ad Insularum redeamus arcem, cui post elapsas 28. Octobris inducias non tormentorum vi, vel explosionibus (licet in suggestibus modò essent disposita & parata) sed intestinis & subterraneis Eugenius fossis ac vineis novâ omnino arte arcis propugnaculis & operis 3. Novembris adeo approximarat, ut hac nocte secundus à Bousleuro præfectus Marchio Survillus, stationes perlustrans, globo perfossus, die alterâ Eugenii licentiâ ejusdemque visitatione dignatus (id quod Bourbonica magnopere aula deprædicabat) Lovanium curandi causâ sit deductus. Die autem 3. & septimo prominente opertæ viæ angulo occupato aquis foveas evacuant, præsente & adhortante Eugenio, cujus ad latus adjutor (adjutant) infossa castrensi plumbeo alite petitus perit. Nocte diei 18. obsessores qui nos primæ foveæ pontes insternentes, interiorem fossæ acclivitatem occupant; unde tamen die alterâ à præsidiariis ejecti, forti deinde manu eam recuperant, audiuntque à transfugis pulverem nitratum in arce deficere, & monetam cupream stipendiari, in argenteam postmodùm commutandam, sic inscriptam:

Insularũ arx invaditur.

Pro

Pro defensione urbis & patriæ, 1708. pars versa valorem indicabat. Spe autem obsidionis hujus solvendæ Galli majora machinati non modò Scaldim fl. sed Audenardam validis etiam militaribus sepimentis & vallis adeo sepientes obfirmant, ut Confœderatis Bruxellæ, Angliæ & Hollandiæ communicationem interscide-rint.

540. Immo Emmanuel Dux quondam Bavariæ expeditis tumultuarie duodecim circiter armatorum millibus 22. Novemb. Bruxellas invadens, apertis mox vallis castrensibus, directisque in urbem 27. curulibus machinis & 14. mortariis per tubicinem die altera urbis postulat deditionem, quam præfectus Pascalis Anglus vir prudentiâ & generositate insignis absolute abnegans, urbem sex millium præsidio non minùs fortiter quàm prudenter defendit; cives enim per consulem suum Deckerum ad propugnationem invitati, recusabant, tum quòd sua militi numerarent stipendia, tùm quod nec defensionem parassent dum Confœderati urbem occuparent. Sed quia plures & occultos sine dubio Bavari fautores in urbe latere non dubitabat præfectus, tabernas vinarias & coffeanas, omnesq; tam publicos quam privatos suspectos civibus conventus interdicit, simul & urbis periculū Eugenio ac Marleborugo significando postulat subsidium; quod quia Bavarus confestim adfuturum non dubitabat, 26. Novemb. nocte sublustri horâ circiter decimâ, furioso & inaudito hactenus insultu urbem Namurcensem inter & Lovaniensem portas irruit, octiesque

Dux Bavariæ tentat Bruxellas frustra.

multiplicato semper numero ad quintam usque sequentis diei matutinam incredibili utrimque pertinaciâ repetit, & æquali semper fortitudine generose repulsus, nono denique impetu exteriora insiliens valla occupat, eisque vexilla gloriose implantat; sed præsidiarii irâ fortitudinem acuente post horam excurrentes armatâ hostem manu ejiciunt, mactantque eorum universim 1800. suorum vero tum vulnerati 300. sunt.

Bruxellas deseruit.

Insuper Bavarus inducias postulat fugam honestius, securiusque ob confœderatorum fortassis adventum meditaturus; continuans tamen per diem urbis verberationem, (ut adeo Pascalis ad alterum sequenti nocte insultum generose excipiendum se disponeret) mediâ nocte collectis subitò vasis, relictisque in loco 12. tormentis, 4. mortariis, pluribus obsidionalibus instrumentis, & octingentis circiter ægrotis ac vulneratis Namurcum aufugit: jam enim perceperat approximantem confœderatorum exercitum Schaldim Gandavo Tornacum usque sepimentis vallisque abs Gallis licet probè munitum tripartitò trajecisse; Borussorum enim Generalis Comes de Lottum ad oppidum Gavern, Marleborugus cum Tillio Kerkhovii; Eugenius vero quia Escanaffii nequibat, Kerkhovii transit, absque ullo Gallorum utrobique impedimento, qui vix Confœderatorum adventum sentientes, magnâ fugam præcipitantiâ Grammontium, pars Tornacum, alia Gandavum versus corripiunt. Transito Schaldi Ducis Burgundiæ Generalis Hautefortius haud procul Audenarda instructâ prælium acie simulans, quamprimum

ci-

citissimum Confœderatorum ad se advertit accursum, cervo velocior fugit, cæsis tamen suorum ducentis, & 600. captis, duobus equestribus signis, multis impedimentis, commeatu & apparatu aliquo fuit exutus. Hinc Eugenius cum parte exercitus Insulas revertitur, Marleborugus autem cum suo exercitu prope Audenardam consistens propræfectum Drompreum ad Bruxellarum liberationem Alostum inter & Aschen cum parte exercitûs dimittit, ubi hic, dum Bavarum Bruxellis abcessisse percipitur, jussu Marleborugi aliquamdiu permansit, & relictâ Audenardâ prope Borstum castra Marleborugus metatur.

In hoc Bruxellarum periculo suam Status Brabantiæ in Carolum Regem suum fidelitatis observantiam ingenuè satis probaverunt, & primus urbis consul Deckerus suum in eundem contestatus affectum, in cives studium, erga urbem vigilantiam indefessam: hujus urbis assertio Antwerpiæ, Lovanio, Mechliniæ, Liero, & totæ circum viciniæ haud exiguam peperit securitatem, & Scaldis tractui omnimodam transeundi libertatem, quem Galli tam arcte occluserant; ut interdictâ utrobique annonâ confœderatos fame necandos fastuose gloriarentur; & tamen tam turpiter viso vix hoste illum deserunt, solo fugati terrore: adeo pejor est bello timor ipse belli. Captis autem à Bavaro Bruxellis, exigua confœderatis spes erat Insulas intercipiendi; nunc autem res ad extrema deducta præsidiariorum tamen nequiit infringere contumaciam; injectis licet in arcem literis impressis

Brabantiæ in Carolum affectus.

Bruxellarum conservatis quanti fuerit commodi.

vibus portæ S. Levini custodibus miscent colloquia, tribunus de la Faille, supremus quondam hujus urbis prætor, vi portam irruens urbem occupat, exhibitisque Senatui Ducis Bavariæ literis, 12. Maji datis, ejus consensu urbem totam suæ facit potestatis: arcis præfectus etsi initio pararet defensionem, postulatus tamen tertiò à Comite Bergeyck ex desperatione succursûs 7. Julii ultroneam fecit deditionem, & 9. ejusdem militari honore Dendermundum cum præsidio demissus. Ita quoque gallicus Generalis la Mothe 6. Julii quinque armatorum millibus Brugas omni vacuas præsidio adortus die alterâ deditione capit, & munitionem Plassendal armatâ manu, cæsis 170. Anglis, devincit.

Confœderatus sub hæc exercitus motis Terbancko castris inter S. Quintum Lenich & Ninovum considet; gallicus autem Lembeckum inter & Hallam, in altera Senni fl. parte quasi permansurus; Marleborugus igitur dum 6. Julii structis ordinibus illum ibidem aggredi tentaret, magna præcipitantiâ relictis aliquot impedimentis fugam corripit; sed expeditus mox equitatus postremum ejus carpens agmen 300. equos, & 30. sarcinatos mulos deprædatus ad castra revertitur, quæ inde Bruxellas inter & Alostum in magno Gandavensi aggere figit, & ad illa ejusdem 7. Eugenius à Britannico Generale Cadogano sub aliquot centenorum equitum præsidio Trajecto est conductus; ubi post longam cum Marleborugo & Overkerkio Batavorum Archistratego conferentiam Bruxellas abiit matrem suam Comitissam Suessionensem

visitaturus, alterâ tamen pòst die ad castra est reversus, cujus necdum exercitus adveniens 9. primùm Julii mosam erat transiturus; alter vero confœderatus exercitus præmisso cum aliquot legionibus Lesinam Cadogano & Ranzavio, præparando Dendri fl. transitum, summa hunc velocitate sine hostium impedimento [quod Vendomius volebat prohiberi, sed permittebat Dux Burgundiæ] superat feliciter: gallicus autem exercitus motis Gavereno castris Scaldim fl. prope Audenardam transit, confœderatos inde, ut credebatur, & à Vendomio, sed frustra, suadebatur, prohibiturus: validam igitur aliquot legionum phalangem quamprimum in alterum Scaldis partem ad certius securiusque trajiciendum (nam decretoria cum Gallis indicta erat militibus pugna) confœderati expediunt, & totus mox subsecutus exercitus sine remora in hostium conspectu traducitur.

536. Galli pugnam declinantes ne fugam corriperent, Germani illos 10. Julii in oppido Beverend & sepibus latentes pedites, & retro oppidum equites adorti devincunt & capiunt, obtentis decem signis equestribus & aliquot tympanis. Sic pugnare coactos Overkerckius alâ sinistrâ, Eugenius & Marleborugus dextera ad pagos Okken & Caster dumetis implexos generose adorti pellunt, cædunt & agunt in fugam ad horam decimam usque noctis, cujus beneficio nisi plurimi fugâ subrepti, hostis ad internecionem fuisset deletus: confœderatorum namque equitatus ob loci angustias hostilem impeditus in acie frontem incurrere, à tergo & la- Pugna & strages Gallorum.

latere illum circumfundens, in maximam coëgit confusionem, ut septem ferme Gallorum millia & in his 400. ferme belli officiales sint capti, cæsi verò 3320. reliqui cum tormentis & impedimentis partim Gandavum versus & Deinse, partim Cortracum fugâ dilapsi sunt; Vendomius autem reliquias colligens retro Gandavensem canalem Brugas inter & Gandavum consedit, ut has eximeret urbes periculo, contra omnium tribunorum suorum sententiam & opinionem urgentium cum Berwicko conjunctionem, quod propter incussum militi terrorem admodùm illi videbatur periculosum. Confœderatorum pauci, tribunorum nullus desideratus, 12. & 13. Jul. in acie perstiterunt, & Eugenius (qui Viennâ abiens & valedicens Cæsari hanc prædixerat victoriam) suo obvius exercitui ad fanum S. Quintini illum Lennick 15. Jul. deductum, deinde versus Bruxellas pro rei tormentariæ ibidem ingenti copiâ collectæ & paratæ defensione, tum ut Vendomii cum Berwicko, Montibus Hanoniæ adhærente, impediret conjunctionem, amandavit: Marleborugus vero General. Lotum ad Iprenses invadendas Lineas cum aliquot expedit legionibus, quas levi etiam brachio & ultroneâ deditione, captis eorum defensoribus, occupatas tumultuarie complanat, ingenti labore, tempore & ære à Gallis extructas, & sic facilior in Galliam patebat aditus, totum quoque exercitum Marleborugus Audenardâ transfert Warwickum, gravesque per Artesiam exigit contributiones, pluribus ad castra conductis inde obsidibus: Comes etiam Tyllius pervagatus

Confœderati Galliam & Picardiam irruunt.

Pi-

Picardiam, magnum ubique circumtulit terrorem, indigenas domibus pagisque latè expellentem, ideoque 15. pagos incolis vacuos & arcem ignibus subjecit: Lentium verò inter & le Bassee 800. offendens equites, cædit, & in fugam agit, captis eorum ducentis: tum ex militari consilio ad oppidum le Bassee constitit, ne à Berwicko, & Principis Burgundi copiis (qui Lentium modò advenerat) circumcingeretur, ideoque legionibus aliquot confirmatus evasit feliciter, 3. Augusti cum pluribus ex Arthesia obsidibus ad castra reversus: è contra Vendomius expeditis aliquot è Gandavensibus castris legionibus Bierolitenses confœderatorum fossiles occupans lineas, provinciam Waes & Casand ad militares adigit collectas.

535. Ludovicus XIV. haud difficile sibi persuadere poterat gloriosam hanc ulterius Confœderatos victoriam prosecuturos, eorum autem quo collimarent expeditionis consilia dubius, Ipris, Tornaco, Montibus Hanoniæ & Insulæ metuens, justo illas instruit præsidio; & Insulæ quidem, ulterioris Galliæ clavi, Boufleurum cum 15. præsidiariorum millibus imponit, totis viribus ad ultimum sanguinis defendendæ, nec sua Regem fefellit opinio: huic namque invadendæ uterque desudabat confœderatorum exercitus, sed Eugenius & Dopfius rem tormentariam 94. tormenta muralia, 20. mortaria, tria plaustrorum millia cum omnigeno bellico apparatu 6. Augusti Bruxellis singulari prudentia & sollicitudine in conspectu ferme hostium, & sine ullo eorum impedimento traducunt Turcojum; atque

Confœderati Insulas cingunt.

atque ita Eugenius (cui tota hujus obsidionis expeditio erat commissa, & Marleborugo ejusdem invigilando defensio) 13. Aug. Insulam circumcingit, Princeps Nassavius hæderitarius Frisiæ occidentalis gubernator stativa prope Abbatiam Marquette figit, in altera urbis parte Eugenius ad pontem Tressin; Boufleurus è contra in validam cuncta urbis præparabat defensionem, suburbia, topiaria, dumeta & arbores circumquaque inflammando & tollendo; sed expeditâ 14. Aug. circumvallationis linea, adductisque ad castra tormentis, illa è regione portæ D. Magdalenæ ad dexteram, ad sinistram versus D. Andreæ & S. Mauritii portas supremi directores Rooques & Mee dirigunt, ac tandem 22. nocte General. Wilkenus natione Hassus campestria primùm aperit valla, cæsis suorum tribus & aliquot læsis; die 24. ædiculam D. Magdalenæ mœnibus vicinam, ideoque sudibus vallatam & 200. defensoribus munitam vi armata cum centum pedibus, & totidem eorum interfectis capiunt confœderati, desideratis suorum quadraginta tum sauciis cùm mortuis. Vendomius interea ad canalem Gandavensem munitionem Rouge, & prope Ostendam munitionem occupat Albertinam, comminatus Ostendæ obsidionem (ideo præfectus oppidi Dam patefactis cataractis viciniam circumquaque inundat) deinde superatis insulæ Cadsantis lineis urbem Biervliet intercipit, ibidemque domum annonariam, duos pagos, 28. topiaria & urbanas villas diripit, incendit; totamque insulam contributionibus emungit. Tum Insularum tentaturus solutio-

Galli earum solutionem meditâtur.

tionem, Ninovæ Berwicko & Duci Burgundiæ se conjungit. Hæc Marleborugus intelligens, consulto in castris Insulanis Eugenio, ambo cum exercitu Noyelles inter & Fretinum castra metati, hostis adventum Phalampini uno tantùm milliari à confœderatis cum 50. grandioribus & aliis campestribus tormentis confidentis expectant, aucti interim Fagelii 7. millium copiis, ex Bruxellensibus, aliisque Brabantinis præsidiis collectis; quibus accedebat Tillius cum aliquot equitum legionibus, quibus commeatum & apparatum bellicum Audenardâ conduxerat Insulas; at meticulose hoste frustra expectato Eugenius cum suis Insulanam repetit obsidionem: Overkerkius & Marleborugus castra à pago Noyelles usque Fretinum (ubi facilior hosti patebat aditus) vallis & loricis communiunt.

Sub hæc antesignano Wilckeno expeditus est 7. Septemb. in murum insultus à dextris mille sexcentis pyrobolariis, bombardariis, & 2030. operariis, & à sinistris etiam ter mille ducentis pyrobolariis, bombardariis, & totidem, ut supra, operariis, qui insigni animositate circa octavam vespertinam dejectis sudibus, cæsis ut plurimùm defensoribus ad cornuti angulum propugnaculi utrimque perrumpentes, terræ infossi perseveranter perstiterunt, cum jactura tamen 1600. tum læsorum, tum interfectorum: in altero autem diei 21. insultu propius urbi accedentes cæsi vulneratique universim sunt nongenti, ipseque Eugenius globo in sincipiti cicatricatus, Meen curandi causâ Marleborugi persua-

Insultus in urbē.

Eugenii periculū mortis & intoxicationis.

suasu discessit, qui interea & obsidioni, & exercitui præfuit vigilantissime; de Eugenio asseritur dixisse Ludovicus XIV. Dolerem, si fatali hoc casu Princeps prudentissimus periisset. 26. tamen Sept. acceptis binis Hagâ Comitis epistolis, sublatoque unius involucro repetit chartam bibulam pingui toxicatam materiâ, quam cum sine animi abjiceret perturbatione, Dopffio, cæteresque præsentibus belliducibus hæc perhorrescentibus dicebat; non miramini, jam multoties toxicatæ hujusmodi literæ mihi sunt traditæ: hæ collo canis alligatæ intra 24. horas illum antidoto licet adhibito necaverunt, sed ubique tutum est quod propugnat & conservat Deus. Fervebat interea utrimque acriter op- & propugnatio Insulana; sed quia Galli transmisso Scaldi omnem Confœderatis castra adeundi viam intercluserant, bellicus illis deficiebat apparatus, maximè necessarius, quem mari Regina Angliæ sat copiosum cum aliquot militum legionibus submisit Ostendam, inde ad castra transvehendum: hujus certior factus Dux Burgundiæ, ut repelleret illum, impediretve, Comitem la Motte cum 24. armatorum millibus Wynendalium mittit, hìc confœderatos sub Cadogano, Webb, Fagel & Lotum aggressus repellitur, & ex insidiis à latere in confusionem actus cæditur & fugatur, relictis in silva 19. tormentis, quæ die altera confœderatis cum suo apparatu ad Insulana castra properantibus reperiverunt, desideratis suorum tum interfectorum, tum vulneratorum (quos inter Comes ipse la Motte universim 3. aut 4. millibus; ex confœdera-

Dux Burgundiæ cæditur.

deratorum autem 7. millibus cæsi, læsique tantum sunt 912. numerus quo magis impar, eo victoria est gloriosior.

Uti & succursum tentantes.

Deficiente quoque urbis præsidio & pulvere nitrato, Luxemburgus & Tournefortius Duaco 28. Septemb. cum mille & sexcentis equitibus [quorum quilibet 50. ad 60. pulveris nitrati libras urbi inferendas gestabat] expiscato proditoriè castrorum symbolo, circumvallationis lineam media nocte transeuntes urbi approperant; sed à Witgensteiniensibus dimachis opportunè cogniti, globisque petiti correpto igne pulvis multos eorum miserè ingenti terno fragore & terræ motu horribili prostravit; priores quidem trecenti cum Luxemburgo urbem penetrarunt, sed cum exiguo pulvere, qui ex terroris confusione in terram dilapsus & dispersus, igne equorum soleis excusso absumptus est, reliqui cum eodem ustulationis detrimento aufugiunt, relictis per duarum horarum spatium stragis suæ vestigiis. Boufleurus evidentem prævidens urbis deditionem & amissionem, desperatam tamen non intermittit defensionem, sed murorum ruinas & intervalla ferratis occludit trabibus, post has recessus & foveas egerit, plateas catenis, & sudibus obstruit; sed Eugenii virtuti & prudentiæ nihil invincibile; 5. namq; Octobris occupato castello defixo (Ravelin) præsidiarios muris dejicit; 13. devincit pomœrium, unde die altera expulsus, sequenti demum recuperat & manutenet. Tandem 18. Octobris habito in oppido Menen militari consilio decreta est generalis urbis impressio 22. Octo-

bus, tum propter acerbas aëris imminentes injurias, & miles magno exhaustus esset labore, tum quòd commeatus & apparatus bellicus quotidie difficilius ad castra posset deduci, Gallis ubique invigilantibus; nam nihil certius est obsidionem tum fuisse solvendã, si Ostendensis nuper apparatus à Com. la Motte fuisset impeditus.

538. Omnibus igitur indefesso studio & labore ad prædictum insultum præparatis, cùm Boufleurus illum sustinere desperaret, motus cruentæ stragis periculo, belliducum consilio & consensu, ac civium obnixis denique precibus eodem die 22. Octob. circa 4. vespertinam ultroneam urbis offert deditionem, & sequenti die portæ D. Magdalenæ & castelli ibidem defixi occupationem. Tum pactis triduanis induciis gallicum præsidium 5000. ex urbe in arcem divertit, absque eo equitatu, qui obsidionis tempore urbem ingressus, nunc eâ cedere debuit: 26. autem Confœderati sub præfecto Duce Holsatiæ Beck urbem occupant, absque minima Romano-Catholicæ fidei, privilegiorum &c. violatione, non absque tamen copioso sanguine; universim namque ex confœderatis tam læsi quàm cæsi fuere 12316. Ceterum elapsis induciis Eugenius arcem singulari modo & arte aggreditur, de quo paulo pòst.

Urbs excepta arce deditur.

Durante adhuc obsidione galli non exigui roboris Athum proditione transfugæ le Grand tentabant insilire; jamque duo eorum millia bina modò repagula & exteriorem urbis fossam noctis beneficio transierant, sed illis solis expeditioni non sufficientibus dum reliqui à Duce Bur-

Galli frustra Athum tentant.

Burgundiæ illuc destinati viâ aberrantes die illucescente seriùs advenirent, proditi re infectâ, relictis omnibus in fugam sunt compulsi: inde Croissius Leffingam adortus non levi pariter damno rejectus, & ipse captus est. 200. tamen pulveris nitrati orculas ad confœderatorum castra traducendas præsidiarii Angli ex ignitorum globorum periculo aquis immergere coacti, 9. postmodum millia Vendomius ad illam remittit occupandam, quibus octingenti illic præsidiarii impares, Leffingam Gallorum tamen 1500. nece dedidêre; quo communicatio Ostendensis Confœderatis occlusa, & Gallis aditus Neoportum usque patefactus. Vario præterea molimine & continuis motibus Dux Burgundiæ & Vendomius obsidionem hanc, sed irritò, impedire tentabant, quos Eugenins in acie prælio aggrediendos suadebat, terrore magis quàm armis vincendos; quo non solùm faciliùs Insulas, sed plures etiam urbes alias fore subjugandas; sed incertæ & periculosæ huic belli aleæ Generalium Statuum Deputati diffidentes, laudabant, mirabanturque per discursum ingentia Julii Cæsaris facta; quinimo, ajebat Eugenius, hæc poterat solus imperii & voluntatis suæ potens, deputatis non indigens, Cùm autem tripartitus Gallorum exercitus commeatûs transvehendi viam & aditum Ostendâ ad confœderatorum castra intercluderet, Marleborugo tunc in hostem movente, præcipitem hic corripiens fugam, aggeres ripasq; transfodiendo, Ostendenses agros, & totam late viciniam inundat, ut commeatus inde in castris deficiens Ipris & Furno advehi debuerit,

Occupant Leffingam.

rit, & Marleborugus priora Rousselarii castra ad Insularum usque deditionem repetit; in quibus quatriduo infectus morbo Com. Ouverkerckus Batavorum Archistrategus militari clarus experientia maximo totius exercitus dolore 18. Octobris vitâ excessit, cujus vicarias interea partes Comes Tillius peregit, quo eodem fato Bruxellis 10. Octob. decesserat Principis Eugenii mater, Comitissa Suessionensis.

Mors Ouverkerckii Barav. archistr.

539. Ad Insularum redeamus arcem, cui post elapsas 28. Octobris inducias non tormentorum vi, vel explosionibus (licet in suggestibus modò essent disposita & parata) sed intestinis & subterraneis Eugenius fossis ac vineis novâ omnino arte arcis propugnaculis & operis 3. Novembris adeo approximarat, ut hac nocte secundus à Boufleuro præfectus Marchio Survillus, stationes perlustrans, globo perfossus, die alterâ Eugenii licentiâ ejusdemque visitatione dignatus (id quod Bourbonica magnoperè aula deprædicabat) Lovanium curandi causâ sit deductus. Die autem 3. & septimo prominente opertæ viæ angulo occupato aquis foveas evacuant, præsente & adhortante Eugenio, cujus ad latus adjutor (adjutant) infossa castrensi plumbeo alite petitus perit. Nocte diei 18. obsessores qui nos primæ foveæ pontes insternentes, interiorem fossæ acclivitatem occupant; unde tamen die alterâ à præsidiariis ejecti, forti deinde manu eam recuperant, audiuntque à transfugis pulverem nitratum in arce deficere, & monetam cupream stipendiari, in argenteam postmodùm commutandam, sic inscriptam:

Insularũ arx invaditur.

Pro

Pro defensione urbis & patriæ. 1708. pars versa valorem indicabat. Spe autem obsidionis hujus solvendæ Galli majora machinati non modò Scaldim fl. sed Audenardam validis etiam militaribus sepimentis & vallis adeo sepientes obfirmant, ut Confœderatis Bruxellæ, Angliæ & Hollandiæ communicationem interscideriint.

540. Immo Emmanuel Dux quondam Bavariæ expeditis tumultuarie duodecim circiter armatorum millibus 22. Novemb. Bruxellas invadens, apertis mox vallis castrensibus, directisque in urbem 27. curulibus machinis & 14. mortariis per tubicinem die altera urbis postulat deditionem, quam præfectus Pascalis Anglus vir prudentiâ & generositate insignis absolute abnegans, urbem sex millium præsidio non minùs fortiter quàm prudenter defendit; cives enim per consulem suum Deckerum ad propugnationem invitati, recusabant, tum quòd sua militi numerarent stipendia, tùm quod nec defensionem parassent dum Confœderati urbem occuparent. Sed quia plures & occultos sine dubio Bavari fautores in urbe latere non dubitabat præfectus, tabernas vinarias & coffeanas, omnesq; tam publicos quam privatos suspectos civibus conventus interdicit, simul & urbis periculũ Eugenio ac Marleborugo significando postulat subsidium; quod quia Bavarus confestim adfuturum non dubitabat, 26. Novemb. nocte sublustri horâ circiter decimâ, furioso & inaudito hactenus insultu urbem Namurcensem inter & Lovaniensem portas irruit, octiesque

Dux Bavariæ tentat Bruxellas frustra.

multiplicato ſemper numero ad quintam uſque ſequentis diei matutinam incredibili utrimque pertinaciâ repetit, & æquali ſemper fortitudine generoſe repulſus, nono denique impetu exteriora inſiliens valla occupat, eiſque vexilla glorioſe implantat; ſed præſidiarii irâ fortitudinem acuente poſt horam excurrentes armatâ hoſtem manu ejiciunt, mactantque eorum univerſim 1800. ſuorum vero tum vulnerati 300. ſunt. Inſuper Bavarus inducias poſtulat fugam honeſtius, ſecuriuſque ob confœderatorum fortaſſis adventum meditaturus; continuans tamen per diem urbis verberationem, (ut adeo Paſcalis ad alterum ſequenti nocte inſultum generoſe excipiendum ſe diſponeret) mediâ nocte collectis ſubitò vaſis, relictiſque in loco 12. tormentis, 4. mortariis, pluribus obſidionalibus inſtrumentis, & octingentis circiter ægrotis ac vulneratis Namurcum aufugit: jam enim perceperat approximantem confœderatorum exercitum Schaldim Gandavo Tornacum uſque ſepimentis valliſque abs Gallis licet probè munitum tripartitò trajeciſſe; Boruſſorum enim Generalis Comes de Lottum ad oppidum Gavern, Marleborugus cum Tillio Kerkhovii; Eugenius vero quia Eſcanaffii nequibat, Kerkhovii tranſit, abſque ullo Gallorum utrobique impedimento, qui vix Confœderatorum adventum ſentientes, magnâ fugam præcipitantiâ Grammontium, pars Tornacum, alia Gandavum verſus corripiunt. Tranſito Schaldi Ducis Burgundiæ Generalis Hautefortius haud procul Audenarda inſtructâ prælium acie ſimulans, quamprimum ci-

Bruxellas deſerit.

citissimum Confœderatorum ad se advertit accursum, cervo velocior fugit, cæsis tamen suorum ducentis, & 600. captis, duobus equestribus signis, multis impedimentis, commeatu & apparatu aliquo fuit exutus. Hinc Eugenius cum parte exercitus Insulas revertitur, Marleborugus autem cum suo exercitu prope Audenardam consistens propræfectum Drompreum ad Bruxellarum liberationem Alostum inter & Aschen cum parte exercitûs dimittit, ubi hic, dum Bavarum Bruxellis abcessisse percipitur, jussu Marleborugi aliquamdiu permansit, & relictâ Audenardâ prope Borstum castra Marleborugus metatur.

In hoc Bruxellarum periculo suam Status Brabantiæ in Carolum Regem suum fidelitatis observantiam ingenuè satis probaverunt, & primus urbis consul Deckerus suum in eundem contestatus affectum, in cives studium, erga urbem vigilantiam indefessam: hujus urbis assertio Antwerpiæ, Lovanio, Mechliniæ, Liero, & totæ circum viciniæ haud exiguam peperit securitatem, & Scaldis tractui omnimodam transeundi libertatem, quem Galli tam arcte occluserant; ut interdictâ utrobique annonâ confœderatos fame necandos fastuose gloriarentur; & tamen tam turpiter viso vix hoste illum deserunt, solo fugati terrore: adeo pejor est bello timor ipse belli. Captis autem à Bavaro Bruxellis, exigua confœderatis spes erat Insulas intercipiendi; nunc autem res ad extrema deducta præsidiariorum tamen nequiit infringere contumaciam; injectis licet in arcem literis impressis

Brabantiæ in Carolũ affectus.

Bruxellarum conservatio quanti fuerit commodi.

passim evulgaretur Scaldim Burgundo fugato superatum, Bruxellas liberatas, & Bavarum terrore devictum & propulsatum esse.

Insulensis arcis deditio.

541. Eugenius igitur luxatis per aliquot intervalla muris, occupatisque etiam propugnaculis, decretorium & generalem sedulò parat impetum, cui se imparem resistendo existimans Boufleurus, frustratusque hactenus à Burgundiæ Duce subsidio, octava demum decembris ultroneam etiam arcis regio spectante exercitu defert deditionem, Gallorum opinione invincibilis, & sola potissimum subactæ suffossione & cuniculatione. Boufleurus & præsidium pactis tabulis 13. mensis Decembris cum 12. tormentis & 4. mortariis, expansis vexillis, consuetoque militari honore dimissus est liberè Duacum. Rissel belgicè & germanicè, Lille gallicè, latinè dicta Insula, quòd olim inter paludes, nunc exsiccatas sita in Frandria gallica primùm anno 1066. à Balduino Flandriæ Comite muris, foveis, & arce suæ residentiæ circumcincta: deinde à Philippo Audace Burgundiæ & Flandriæ Comite anno 1385. robustioribus non solùm munimentis; sed etiam privilegiis, libertatibus, & principalis ærarii Camerâ est exornata. Denique Dux Burgundiæ Philippus Probus aurei velleris Anno 1430. institutor, anno sequenti 1431. ibidem in ecclesia D. Petri primam congregationem, seu Capitulum Aurei velleris Equitum, ejusdemque Patroni S. Andreæ Apostoli festum celebravit. A quo deinde tempore Insula totius Belgii ædificiis, mercaturâ & fortitudine celeberrima, usque dum anno 1645. illam

Descriptio.

illam frustraneâ Galli obsidione tentarunt, & mense Septembri injectis ignibus fœdè devastantes turpiter deseruerunt: anno autem 1668. redeuntes urbem interceperunt, & hucusque pacis Aquisgranensis 1678. transactione possederunt: quam propediem Rex Ludovicus XIV. per expertissimum suum bellicum machinatorem Vaubonum novâ arte architectonicâ, & deducto in foveas Deule flumine, urbem in forma ovali non solùm fortificavit; sed etiam arcē regulari architecturâ quinquangularibus propugnaculis, & triplici exteriori munimine & foveâ versus paludes quasi invincibilē roboravit. Hæc victoria quantum gloriosissimo non præliorum tantùm, sed & urbium & provinciarum domitori Eugenio (qualem nostra non vidit ætas) æviternæ fuit gloriæ & honori, tantum hostibus, & imprimis Ludovico XIV. Regi, Europæ turbatori fuit dedecori & terrori; audito enim captas esse Insulas interioris Galliæ clavem, vix se Varsaliæ tutum existimans, omni quo potuit studio opposuit obstacula, remorasque objecit; immo mœrore & ira deficiens in auctores & causas deditionis pœnis animadverti jubet, cujus cum Chamillartus post sedulam inquisitionem Ducem Burgundiæ, & Ducem Bituricensem, supremos tunc regii in Belgio exercitûs Legatos, reos demonstraret, Rex dissimulavit: gravis enim inter illos animorum dissensio, (hic Berwici, ille Vendomii diversa secuti consilia) omnes gallicas hujus anni elisit, dissipavitque expeditiones: quare captis Insulis ambo Ludovici nepotes, Burgundus & Bituricensis re- Discordia quantum malum.

relictis castris [quæ 30000. peditum, & decem equitum millibus defecerant] 10. Decembris Varsaliam venientes, cum stupore & indignatione audiunt Ludovicum avum suum concubinã Maintenon non tantùm thori, sed etiam throni ambire sociam, Christianissimâ regiâ majestate indignam, unde tres ortæ factiones, Regis, Delphini, & Nepotum toti sine dubio Galliæ, nisi opprimantur, periculosissimæ. Hæc Maintenon non è plebeja, ut quidam putant, sed nobili nata est familia d' Aubigne, cujus avus nobilis Aquitanus, reformatæ religionis, vel ut alii asserunt, frater naturalis Henrici IV. Regis, fuit auctor historiæ ab anno 1500. usque 1610. quæ ob lascivas quorundam principum narrationes à Parlamento Parisiensi ad ignem est condemnata & combusta, in eaque inveteratam filii sui Francisci nequitiam sæpius deplorans, in Americam illum relegavit: nihil ibi melior factus, Parisios redux, scelerarior ergastulo includitur; inde adjumento filiæ carcerarii elapsus, eâ comitante rediit in Americam, ubi eidem matrimonio junctus genuit filiam Franciscam d' Aubigne, nunc Marchionissam Maintenon. Hanc illustris quædam Domina, ejus baptismalis patrina, singulari ejusdem acrimoniâ ingenii, & talentorum excellentiâ capta in Europam reduxit Parisios: ubi plurimorum illustrium doctorumque hominum conversatio fecit illam in urbe celebrem, celebriorem & famosiorem vero, quando nupta cuidam Poëtæ Scarron, quem viri docti visitando varios inter discursus eximia sua Francisca talenta mirè admodum ita excoluit, ut post

Maintenon vita

post mariti sui anno 1660. 14. Octobris mortem ejus domus esset prudentium & illustrium tam aulæ quàm urbis personarum conventiculum quasi academicum, ac si in Franciscæ labris blandissimæ sedissent gratiæ, omnium animos verborum lenociniis fascinantes. Adeo etiam se Regis tunc concubinæ Montespanæ insinuans, cor, & favorem ejus suâ rapuit dexteritate, ut naturalium ex concubinatu liberorum gubernatrix Regis consensu constitueretur; Regi tamen, nimio fortè Montespanæ amore cœcô, adeo fuit odiosa, ut ne videre illam tot naturæ talentis præstantem dignaretur; quæ tamen haud multò pòst ex ejus cognovit literis. Miserat namque Rex suæ ægrotanti & languidæ Montespanæ literas, mollitie & lasciviâ diffluentes, quarum suavissimum, & tenerrimis amoris affectibus artificiosissimè adeo lasciviens responsum, à Maintenon Montespanæ dictatum effœminato amatori suo Regi remisit, tot Cypriis telis refertum, quot verborum lineis abundabat, quæ totum Regis animum quasi philtro fascinabant, desiderabatque, imo rogabat unicè harum literarum auctricem, quarum artificiosissimis affectuum lenociniis similes nunquam se legisse ingenuè fatebatur. Montespana auctricem Maintenonam Regi licet odiosam confessa, Regem in admirationem rapuit, & odium in amorem intensissimum convertit. Exinde Regis amor erga Montespanam defervens, perstitit in sola pulchritudinis ejus complacentia, erga Franciscam d' Aubigne autem exardescens, illam Marchionissæ titulo veneratur; quæ magnis

gnis Regis imaginationibus de ejus prudenti astutia, ingenii maturitate, eximiaque talentorum præstantia conceptis dexterrime semper adeo respondere & satisfacere poterat, ut omnium secretorum consiliorum intimè conscia, & intima consiliatrix tanquam oraculum à Rege adorata, nihil sine ejus scitu, consilio & approbatione fieri Rex voluerit, fueritque omnium officiorum, ministeriorum, favorum & gratiarum, plus quam Card. Richelieu & Mazarinus, dispensatrix ferè unica, & thalami Helena gratiosissima, adeo ut Diogenes speciosa scorta Reginas appellaret, eo quòd multis imperitarent. Existimant tamen plurimi illam Regi postmodum privatim matrimonio indubitatè copulatam; eò quòd Rex Confessarii sui consilio & inductione, divinique præcepti timore vetitas abolere voluptates proposuisse dicatur: hinc fortasse superbissima Juno regiam etiam & thalami, & throni simul affectasse videtur majestatem, regiis nepotibus maxime odiosam; nec mirum, quia ut ait *Pub. Mimus, mulieris æmulatio totam turbat domum*, ut suprà vidimus. Cui moriens Rex 500. librarum millia testamento legaverat, an quicquam forsitan acceptura? sed decedente Rege ipsa ex aula ad monialium monasterium [quod fundavit] spontè decessit, an continentior phœnix ex Regis cinere renascitura? mortua anno 1719. magnam auri & bonorum copiam relinquens, uxori Ducis Noailles testamento legavit 500000. lib. bonorum & redituum; domui autem Aurelianensi sua Cime-

lia

lia, gemmas & lapides pretiosissimos. Quid mirum:

Scorto nemo placet, nisi dextram munere placet. Trina meretrix obtulit propriis suis sumptibus reædificare mœnia Thebæorum, si modò Thebæi hoc illi indulgerent elogium: Alexander Magnus destruxit, Trina reædificavit, ut refert *Guazzo de civ. convers.* Lais nobile scortum quum posceret à Demosthene pro concubitu decem aureorum millia, ille aversus, Pœnitere, inquit, tanti non emo. *A. Gellius. lib.* 1, *cap.* 8. Hoc demum addo epiphonema:

Si tibi sit pellex, non est tibi tuta supellex.

542. Postquam Galli Insulâ egressi, & Boufleurus in Abbatia de Los geniali ab Eugenio exceptus esset convivio, præter militum hyberna desiderantium opinionem Gandavum, Caroli V. patriam sibi charissimam, prius obsidione cingendum militari omnium concluditur consilio: cujus director Marleborugus ducto Berleghemo illuc 70. millium exercitu, ternas in urbem satis amplam cum 100. tormentis & 90. mortariis format impressiones; primam hæreditario Hasso-Casselensi Principi in arcem, alteram versus Cæsaream & Bruxellensem portas Duci Wurtenburgensi, tertiam denique versus Petrinam & Cortracensem portas Comiti de Lottum commendat obeundas; urbis vero præfectus la Motte 10. armatorum præsidio munitus arcem & urbem multis anni spatio sepimentis, aggeribus, triplici sudium sepe, & propugnaculis validè roboraverat, tribus in locis apertis cataractis viciniam

Gandavum Confœderati cingunt.

ciniam inundaverat,& incenso ad aggeris portam suburbio idem aliis, sed frustra, minabatur; cives quoque, sed irritò etiam, ad arma & urbis defensionem evocabat: quid, quod hispano in arce militi minus fidens, eis non sine offensione exclusis Gallos & Helvetos supponit. Magistratui denique ut ignibus urbi parceretur supplicanti Marleborugus respondit: sic parcam, uti vos perfidè Gallos admittendo Caroli Regis vestri Majestati non pepercistis. 24. igitur Decembris apertis fossis castrensibus (nam pridie Eugenius castra accesserat) mox munitionem, rubram portam indigitatam, deditione cum 200. præsidiariis capiunt, variis deinde tentatis irritò excursionibus, cùm præfectus le Motte frustra expectaret subsidium, gallico ad hyberna digresso exercitu, magnumècontra confœderatorum ad decretorium insultum cerneret assiduum tot tormentorum & militum apparatum, die 29. Decemb. se urbemque per Principem Isenguien Confœderatorum submittit voluntati, permissusque cum præsidio, passis vexillis, 6. propriis tormentis & 2. mortariis, more militari 2. Januar. 1709. Tornacum abire; Marleborugus vicissim 12. Britannorum potissimùm millia Gandavo imponit præsidia, Catholicâ, Apostolico-Romanâ religione sarta tecta semper & inviolatâ permanente. Gallicum Brugense præsidium audiens Gandavi submissionem, traditis urbis clavibus magistratui, Kalendis Januarii nocte magno cum terrore & confusione fugiunt Neoportum

tum, quos Galli illuc subsecuti sunt præsidiarii in Plassendal & Leffingen, postquam hîc aliquot à se extructos aggeres & operas destruxissent; quibus deinde oppidis & ubi Marleborugus tria Danorum præsidiariorum millia submittit. Deduntur Gandavum, Brugæ, Leffinga &c.

543. Similem maritima Gallorum in Scotiam expeditio sortita est fortunam, cujus ferventem Dunquerquæ, & Gesobrivate (Brest) apparatus, ubi tandem adhibendus, tota suspiciebat Europa: alii ad majorem Indiæ classis securitatem, alii in subsidium Hispaniæ, alii in Italiæ & Neapolis defensionem (quarum jacturam plures infaustæ huic Scotiæ adscribunt expeditioni) intentam suspicabantur, Rexque Ludovicus illam infallibiliter certam Romanis, Venetis, Genevensibus & Helvetis literis persuaserat; quia Scotorum cum Anglis aliquot annis continuata simultas hæreditarium Principem Cambricensem (Wallis Principem vocant) suum in Regem postulabat: pro cujus restitutione Scotos fortunas & sanguinem publico Edenburgi, Scotiæ metropolis, manifesto obtulisse affirmabatur. Maritima Gallorum in Scotiam expeditio frustranea.

Quare Ludovicus Galliæ Rex illum Jacobum III. Regem Angliæ, Scotiæ & Hyberniæ fecit, proclamavit, & talem ubique censeri voluit; extra tamen suæ sphæram potestatis, soli Imperatori (ut volunt *Limnæus*, *Schultzius*, *Londorpius*, *Furstnerus de jure supremat.* & *Philip. Vitriarius Institut. jur. public. lib. 3. tit. 2. num. 58. ex Lampad. de repub. part. 3. c. 13. &c.*) competentis, atque ita navali classe in Scotiam Edenburgum per Cambricensem Principē Ludovicus R. inauguravit Regem Angliæ.

Co-

Comitem Forbinum, maritimæ hujus expeditionis Architalassum mandat introducendum. Omni igitur studio 50. omnis generis navium classis conficitur, armaturque novem circiter classiariorum millibus sub Mareschallo Martignano Comite de Gace, instruitur 50. bellicis machinis, 12500. bombardis, sex ephipiorum, & manualium scloporum millibus; totidem Scotos [alii 30000. dicebant] neoregis adventantis fidem, & militiam secuturos omni die & loco certo paratos asserebatur.

Jacobus malo venit omine Dunquerquã

Accinctus ita Jacobus III. ad S. Germanum abs Ludovico Rege gladio (quem gallicum esse meminisset) 50000. librarum pretio, valedicensque Regi, matri, & sorori suæ Ludovicæ, incredibili ærumnâ, sollicitudine, & metu adversæ expeditionis afflictis, abiit 7. Mart. & 9. ejusdem Dunquerquam adventat. Vix pedem urbi intulerat, tum insperatus approperantis Dunquerquam Anglicæ classis adventus Jacobum morbo affligit; urgente autem Rege Ludovico die 17. classem conscendens, post quatuor velificatus horas, tempestate Neoportum, malo rursus omine rejicitur: inde 19. levatis medio noctis anchoris plenis Edenburgum velis contendit, & sexdecim ibidem horis Scotorum ex conventione suppetias frustra expectat. Adest interim angelicus cum validiore classe Architalassus Bingsius, qui Fourbinum in conspectu Edenburgi ab exscensione non tantùm prohibet; sed in turpem etiam conjicit fugam, eumque 24. Mart. per totam diem persecutus, bellicam tandem Gallorum navem Salisburam noctu

Edenburgi frustra expectat Scotorum suppetias.

suæ

suæ fecit potestatis, aliis admodum dispersis, & fugâ dilapsis. Die alterâ Comitis Gacii consilio, à Jacobo, & Fourbino approbato in alium septentrionalem Scotiæ portum Cromatium exscensuri etiam prohibentur, tum hostium insequentium metu, tum quòd portûs situm & constitutionem ignorarent, tum etiam tempestate jactati, 7. demum die Aprilis repetunt Dunquerquam, spe suâ turpiter frustrati; Angliæ quippe Regina gallici hujus moliminis non ignara, naves diversis in locis ad fallendum hostem parari, justum 24. millium exercitum, & 50. navium militarium classem in Scotiam tempestivè destinare, Comitem Leven Edenburgum ad confirmandam Scotorum in Reginam Annam fidem & obedientiam ablegare, omniaque in necessariam regni defensionem adornare non prætermisit; ideoque Fourbinus, cùm Scotorum animos terrore perculsos, aut Anglorum promissis occupatos, aut inconstantiâ vacillantes cerneret non comparere, non exscendendum, sed cedendum ratus, fugam capit, & noctis beneficio tota feliciter evasit gallica classis, præter unicam, ut dixi, Salisburam 72. tormentorum navem, cum 5. militum vexillationibus, 250. ephibatis, pluribus in generosa defensione cæsis: capti in ea navarchus eques Nangis, propræfectus Marchio de Levy, & de Meux, potissimum Jacobi argentum escarium (eo namque die hac in navi pransitarat) multi pistoleti probi, 20000. sterlingarum libræ, & centum illorum millia ærea, Jacobi III. nomine insignita: Sacellanus etiam Romano-Catholicus cum al-

Vellificat Cromatium.

Gallica classis fugit.

tari & instrumentis sacrificalibus ; pretiosæ item Jacobi regiæ vestes cum equestris ordinis, magni pretii, periscelide. Inventumque Manifestum Regis Jacobi III. impressum, quo Scotiæ solùm ambiebat, prætendebatque coronam, anglicanam & hybernicam Annæ quoad vixerit, permissurus: omnia tam ecclesiastica, quàm sæcularia in statu quo relicturus; immo permissa conscientiæ libertate reformatam Protestantium religionem cum regio se paludamento induturum appromittebat, dummodo in Regem se, & fidelem Scoti affectum reciperent.

Jacobus solam prætendit Scotiam.

Ingentem sine dubio hæc regni revolutio in Angliam revexisset turbationem, si hæc prosperè successisset expeditio, pro qua Romæ Pontifex vota, supplicationesque instituerat, & ut plures scribunt, Cardinalis Tremogli intercessione charitativum propagandæ in Scotiam Romano-Catholicæ fidei subsidium aliquot milliones Jacobo liberaliter subministrasse, quem Clemens Pontifex regnorum agnoscebat hæredem: Jacobus II. enim Rex Angliæ, Scotiæ & Hyberniæ ex secunda uxore Maria Beatrice, Alphonsi II. Ducis Mutinensis, & Lauræ Martinozzæ filia, præter alias sex proles legitimo thoro genuit 1. Jul. 1688. Jacobum Franciscum Eduardum (Carolus enim frater 18. Novembr. 1677. natus, 12. ejusdem anni Decembr. est denatus) quem Wilhelmus Fullerus, Jacobi II. famulus à pedibus non ex Maria Beatrice, sed ex Maria Graja spurium, & suppositititium infamaverat, ideoque illum regni Ordines ex defectu testium [qui nativitati, seu puerperio ejus debebant

Jacobus est legitimus regni hæres.

bant more gentis adesse] semper repudiarunt patris in throno successorem; potissimùm autem ob religionem Romano-Catholicam, Anglis odiosam. Jacobus vero Dux Berwickus illegitimo thoro ex Jacobo II. & Arabella, Baronis Curthilli Ducis Marleborugi sorore prognatus, omnibus in Anglia bonis & reditibus 23. Novembr. 1695. à fisco regio exutus & profugus, novis à Rege Galliæ Ludovico XIV. bonis donatus, illius secutus militiam, supremum gallici exercitûs agit vicarium, bellicis expeditionibus celebrem. Eidem quoque militiæ Rex reducem in Galliam exregem Jacobum III. applicaturus, sub titulo equitis S. Georgii in Belgium volebat transmittere, ut bellicis artibus & principiis excultus, faciliorem sibi ad Britannicam aditum faceret coronam. Sed Regis consilium matris Mariæ Beatricis interventione videtur dilatum. Cæterùm malè hæc Romano-Catholicis per per Angliam cessit gallica expeditio, qui omnes ubique exarmati lynceè observabantur; quidam arresto detinebantur; omnesque gallici officiales in prælio Hochstadiensi captivi, quibus libera hucusque exeundi permissa erat potestas, Nothingamum sub indicta pœna redire quamprimum sunt coacti.

Cur ab Anglis repudietur.

Catholici in Anglia suspecti.

544. Doggenburgensis Comitatus, reformatæ potissimùm religionis, sed sub Principis Sanctgallensis jurisdictione, ob restrictum liberum religionis suæ exercitium, accisa privilegia, & violatas immunitates (quarum plurimis hactenus gavisi) aliisque oppressionibus violentis, ut ajebant, tractu temporis à Principe angariati,

Discordia Doggenburgensis.

opem & subsidium Bernentium & Tigurinorum implorantes, cum necquicquam hactenus remissionis à Principe suo, militarem licet aliquoties comminati executionem, obtinerent, ipsum adeo monasterium S. Galli, & Principis residentiam armatâ manu invadunt, & sacrilegè spoliant.

Atque sic finit anni hujus expeditio, quo difficilior & laboriosior, eò gloriosior; quæ si aliquot prorogata fuisset diebus, Gandavum & Brugæ propter insolentem frigoris acerbitatem intercipi nequivissent;

Intensum frigus & fames.

6.to namque Jan. intensissimum ultra hominum memoriam frigus incipiens totam devastavit Europam, adeo ut enectis quasi ubique nivium & glaciei copiâ, ac diuturniori utrorumq; duratione vitibus, aliisque mollioribus plantis omnia deficerent; quin & feris in nemoribus, hominibusque, quos angusta domi res, aut ad itinera necessitas urgebat. Quod divina sane providentia ad plenam usque victoriarum consummationem Regi Carolo III. distulit. Illud dira postmodum subsecuta fames non solùm Germaniam; sed maximè etiam Galliam invadens, supra XX. hominum millia miserè ibidem jugulavit. Horrendum quod sub Honorio Imp. tam ingens memoratur fames, ut venatu homines passim captarentur in esum, quando Pasquinus Romæ hoc barbarum edidit: *Quanti libra carnis humanæ?* Horresco referens in cibum tunc etiam versum fuisse non solùm quod in obsidione Samariæ stercus columbinum; sed & iteratò id-

idipſum, quod jam antea homini cibus fuerat. Tremet calamus ſcribere, qualiter duæ mulieres vi famis eouſque adactæ ſeptemdecim viros proditoriè occiderint ac comederint, à decimo octavo demum pœnam talionis paſſæ, dum intentum earundem ſuboluiſſet, ut ſcribit *Procopius lib.* 11. Fames peſtilentiâ triſtior juxta *Livium Decad.* 1. *lib.* 4. quam unam, inquit, natura vinci non ſinit; nam famem non poſſe naturaliter protendi ultra ſeptem dies, ſcribit *Hippocrates lib. de carnib. vel princip.* quòd ventriculus benè diſpoſitus evacuetur hoc ſpatio omni nutrimento; adeoque privatus humore chiloſo, circa quem calor naturalis occupetur, homo intereat neceſſe eſt. Adeoque prout idem *Livius Decad.* 3. *lib.* 1. ſcribit: Ultimum ſupplicium humanorum eſt fames:

Dura quidem miſeris mors eſt mortalibus omnis,
At periiſſe fame, eſt res una miſerrima longè.

Deſtinato igitur ad hyberna milite, Eugenius, Marleborugus & Abermalus Bruxellas, inde Antwerpiam, & Hagam Comitis contendentes, bellica cum Generalibus Hollandiæ Statibus conferunt præteritæ & futuræ expeditionis conſilia; quibus finitis inde 20. Januar. Eugenius abiit Viennam, victoriarum palmis glorioſiſſimus: ubi abdicato Statûs Mediolanenſis regimine (quod Cæſar Duci Modenenſi, multum hac belli tempeſtate afflicto, recuſantibus tamen illum Mediolanenſibus, conferre intendebat) ſupremam belli præſidis dignitatem, omnium ferè ſpectabiliſſimam, adeptus, ſimulque factus eſt intimæ conferentiæ conſiliarius, quam recens

Cæsar ad modum hispanicæ Juntæ, ut vocant, ex antiquis exercitatisque consiliariis, Principe nempe Salmensi, Eugenio, Mansfeldio, Seilern, Sinzendorffio, Uratislavio, Windesgrâtzio, & Card. Lambergo instituerat.

Cùm Rex Philippus sub hujus anni finem Hispaniæ Prælatis expresso jussisset mandato, ut ecclesiasticis in eos agerent censuris, qui minùs illi addicti, & ad ejus fidem ejurandam parati videbantur, sub anni sequentis initium unus Ilerdensis Episcopus reverenti epistolâ regiis Commissariis ausus est insinuare, ut propriam excusaret inobedientiam, sibi improprium videri, censuris ecclesiæ, uti in re politica ab aliorum arbitrio dissentientes, constareque ex gentis annalibus, talem praxim aut inutilem fuisse, aut majoribus malis ministrasse occasionem, populosque nisi affectu, & liberâ fide contineantur, armorum vi, non minis ecclesiasticis ad obsequia cogi oportere. Remissius namque imperanti, inquit *Seneca lib. 1. de Clement. cap. 24.* melius paretur; naturâ contumax est animus humanus, & in contrarium atque arduum nitens, sequiturque facilius quam ducatur. Et ut *Demosthenes apud Stob.* dicit: Difficillimũ est, ut ille, qui potestatẽ habet in multos, placeat multis.

Annus 1709.

545. Undecimâ Januarii obiit Romæ Leander Colloredo, ex collegio Presbyterorum Oratorii Romani, ab Innocent. XI. in cœtum Cardinalium ob morum mansuetudinem & pietatem vocatus, continuò tamen apud suos

Com-

compresbyteros convictus: eidem Pontifex præcipuum Curiæ Romanæ, summi scilicet Pœnitentiarii munus commendavit. Trigesimo quoque Januar. decessit Parisiis Franciscus Chaise, ex Jesuitarum Societate, postquam per annos triginta sex conscientiam Regis Ludovici XIV. moderatus esset titulo Confessarii, muneris sanè spinosissimi.

Vocatis irrito fructu per Ragotzium Principem Hungaris, ut se Cassoviam ad comitia conferrent, Cæsar aliquot hebdomadarum armistitium illis offert, ut de concilianda animorum concordia & pace secum agerent; quæ enim belli decora, seu potius dedecora, profuisse nemini, nocuisse quampluribus, nullo respectu, aut recordatione præsidentis mundo Numinis? sed frustranea itidem indulgentia; quippe Ragotzius ære alieno demeritus, secessionen & bellum etiam per invitos urgere perrexit; eò quòd nihil arbitratus æqui & boni propter se esse sancitum, nullo se juri esse subditum, sed in vagina leges omnes cum ferro gestare, & quidquid conscelerato animo collibuerit, id solùm esse jus & æquum, id demum videtur nunc esse verè & germanè militare, ait *Lud. Vives ad Henr VIII. Angl. Reg.* sed saniori consilio convenit tandem in pactam pacem Clemens Pontifex cum Josepho Cæsare, probato inutili armorum usu, quo pontificias suas ditiones germano militi longiori diripiendas bello exponebat: nullum etenim est tam felix bellum, quo non potior sit iniqua pax, sive curas, sive sumptus, sive discrimina consideret. Primo concordiæ articulo Clemens

Ragotzius pacem in comitiis rejicit.

Clemẽs PP. agnoscit Carolũ Regem Hispaniæ.

se Carolum Josephi fratrem unicè à Leopoldo patre hac in re commendatum, pro Rege Hispaniæ agniturum spopondit, quod rei cardo & radix fuerat simultatum. Miro Clementis ingenio, qui litem inter decertantes pro successione hispanica reges se se putabat dirimere, contra patris communis nomen & dignitatem, quibus non uni præ altero favere pro radicato, & tutiori axiomate semper fuit cordatis Pontificibus. Quod ipsum Clementis Nuntius Apostolicus Madriti excusaturus, ut pontifex odio ob pactam cum Cæsare & Rege Carolo pacem levaretur, expressis, & latè deductis firmabat conatibus, per quos se ab hac necessitate laborabat eximere, & indubitatæ erga Philippum Regem benevolentiæ argumentis, quæ inter tot pericula, & contrarietates eatenus ediderat. Nihilo tamen juvante apologiâ Philippus Nuntium aulâ facessere jussit, & Clero hispanico omni cum Curia Romana commercio interdixit. Ejusdem Clementis Nuntius Coloniæ Joannes Bapt. è Comitibus Bussi, scripta publicè spargebat, quibus Pontifex pactam ab urbano Coloniensi magistratu cum Rege Prussiæ pacem, & permissum ejus ministris privatum domesticæ religionis reformatæ usum (ut falso spargebatur) improbabat & abrogabat. Quòd in his scriptis aliqua exprimerentur, quibus & personæ, & fidei suæ Calvinianæ decori detractum Rex putabat, aliâ item scripturâ publicâ Ratisbonæ apud Imperii comitia intercessit in Pontificis abrogationem, contumeliosaque verba in Romanum Pontificem, & sacra ejus retorsit: & sic injuria pro

Quod Philippum offendit.

Clemēs Calvinismum Coloniæ abrogat.

pro injuria tenui fœnore rependi visa est: quippe quid lucri faciet sese undis opponens, nisi spumæ?

546. Sueci pluries adverso, sed non decretorio Marte in Moschos ad confinia Ucraniæ repugnant, dum Augustus armatus redit in Poloniam, obstiturus meditatæ aliquoties electioni, quam ab utraque parte aversi agitabant. O quàm variæ sunt hominum voluntates! ait *L. Quia. 4. circa fin. §. ad Trebell.* & quam naturalis est hominum ad dissentiendum facilitas! *L. Item si. 17. §. Principaliter. 6 ff. de Arbitr.* Notabile & verum est illud Heraclyti: Omnia secundum litem fieri, tempora temporibus concertant, secum singula, nobiscum omnia. Optandum, etiam sperandum Regi & Reipublicæ, quod præstantissimus Angliæ Cancellarius Thomas Morus optabat postremis ad Tribunal verbis post latam contra se capitis sententiam, ut refert *Stapletonius in ejus vita.* Hoc nunc tempus discordiarum, hic locus dissentientium opinionum est; confido autem divinâ bonitate & misericordiâ fretus fore, ut quemadmodum Saulus Stephanum persecutus est ad mortem; & tamen nunc iidem unanimes agunt in cælo: sic planè nos, qui nunc discordes sumus, & de iisdem rebus aliter sentimus, in futuro seculo concordes & unanimes simus futuri. Taliter quoque sperandum, ut sublatis demum discordiis Rex & Respublica tandem unanimes in pace & tranquillitate conveniant.

Poloni novam Regis medãtur electionem

Delibatis trimestri hospitio delectamentis, quæ bacchanalium Venetorum usus exteris con-

Fridericus Rex Daniæ lustrat Italiam.

suevit offerre, Fridericus Daniæ Rex urbem ineunte Martio deserit, honorum & voluptatum satur, Ferrariâ & Bononiâ Florentiam tendit; ubi liberalissimè à Magno Etruriæ Duce Cosmo exceptus & tractatus est per aliquot hebdomades. Spem rumor publicus faciebat Regem Romam ipsam abiturum, ibique parabantur, queis se lautè exceptum gloriari potuisset; sed secretis à proposito consiliis deterritus Pisas, Liburnum & Lucam lustravit, iterumque redditus Florentiæ hinc Germaniam versus iter convertit, Bononiæ à nepotibus Clementis Pontificis in reditu salutatus, & omni honorum genere cultus est, & demeritus. Alti æthereique animi, ut ipse æther, gaudent motu, ait *J. Lipsius de admir. lib. 4. cap. 12.*

Si vis laudari, si vis propheta vocari,
Ex propriis oris ito, morare foris.

Peregrinatio utilis.

Peregrinatio enim facit vitam sapientem, ut scribit Menander; & Homerus quum Ulyssem, ejusque prudentiam vellet laudare, ait:

Prudens & sapiens multas peragravit Ulysses
Terras, & varias didicit resonare loquelas.

Ita sine dubio hic Rex varias perlustravit terras & provincias, ut varios hominum mores, genium & consuetudines, urbium & provinciarum situm, statum, regimen, potentiam, mercaturam &c. edisceret.

Angliæ R. pacē meditatur.

547. Decimâ tertiâ Martii Princeps Eugenius Viennâ pergit in Belgium, ubi famâ mussitante pacem Londini secretis cum Gallis tractationibus agitari dicebatur; quare Parlamentum publicis apud Reginam libellis instituit, ne hæc san-

ſanciretur, niſi ſalvis præcipuis fœderum conditionibus, & integro manente eorum firmamento, ut ſi ſemel pacta convellere unquam animus fuiſſet, conjuratis omnium viribus ſarta tecta præſtarentur. Publicâ tandem legatione pacis deprecator Roüilleus Curiæ Pariſienſis præſes, vir inſignis & prudens, qui Luſitanum & Bavarum ad Gallica attraxerat conſilia, Hagæ Comitis 28. Februarii ſe videndum obtulit, deputanturque qui cum illo de legationis fine, & primariis redintegrandæ concordiæ articulis præliminari agerent diſcuſſione, ſimulque Roüillo objicerent, Ludovicum conſtantem firmamque pacem non meditari ex eo manifeſte patere, quòd regnorum Hiſpaniæ comitia ad hoc à Philippo evocata, fidem nato ante menſes aliquot Regi filio Aſturiarum Principi 7. Aprilis more gentis ſalutato juraverint, eumque ut neceſſarium Coronæ hæredem agnoverint & venerati fuerint, in quo veræ pacis vacillat fundamentum; quod Roüilleus quidem regis ſui ignorantiâ & præſcitu excuſabat, ſed petitum retardabat armiſtitium; ideoque Londinum profectus ſpe particularis cum Anglis pacis promovendæ. Interim Eugenius princeps 26. Martii venit cum Cadogano Antwerpiam, inde die altera Bruxellas, & 8. Aprilis cum Albermalo Hagam Comitis, quo & 9. Aprilis Marleborugus ex Anglia pervenit, collatiſque ibidem ſuper oblatas gallicas pacis propoſitiones conſiliis, Roüilleo ex Anglia reverſo reſponſum regis ſui menti diſſonum tradiderunt, unde mitiores à Rege conditiones per curſorem neceſſe fuit petere, pacis

Ludovicus per Rovilleum & Torcium pacem precatur

cis necessariò impetrandæ causâ, tum ob frumentorum & commerciorum cum Gallis interdictum, tum ob magnam panis & pecuniæ inopiam universam Galliam miserè depascentem. Inter resumptas nihilominus pacis conferentias adest 8. Maji Hagæ Marchio Torcius, status, ut vocant, Ludovici Regis secretarius & principalis plenipotentiarius cum Roüilleo Hollandiæ pensionarium Heinsium convenientes, particularem cum Generalibus statibus pacem oblatis favorabilibus commercii, & Bariere, illis magnopere proficuis conditionibus proponunt, qualem ab aliis statuum provinciis unicè desiderari jam modò noverant. Sed vi pactæ confœderationis, illis prælectæ, absque aliorum consensu & præscitu fieri non posse demonstrantes, absolutè recusant. Demum 23. Maji Eugenius cum Sintzendorffio, Cæsaris Plenipotentiario, Marleborugus cum Townshend Angliæ Plenipotentiario, & Torcius cum Roüilleo in domo Comitis Abermalii conferentes his præliminaribus firmiter insistunt prætensionibus, ut scilicet Domui Austriacæ tota monarchia Hispaniarum, Indiarum, Siciliæ &c. sine ulla exceptione & divisione, juxta pacta Pirenensia restituatur, & Imp. Rom. præter alias civitates etiam reddatur Argentoratum, & aliæ arces munimentaque à Gallis occupata destruantur; Anna Regina Angliæ agnoscatur, Jacobus verò Prætendens totâ proscribatur Galliâ; aliæ etiam civitates ad certum repagulum, seu barrier extradantur, destruanturque demum Dunquerquæ fortificationes. His commotus Torcius convasatis im-

Quam fœderati rejiciunt.

impedimentis suis abitum Parisios simulans, duos illuc præmittit Cursores, uti & Marleborugus unum in Angliam, ceteri omnes confœderatorum legati hos præliminares unanimiter articulos, in quadraginta postea latius ab Eugenio extensos 28. Maji subscripserunt, eosdemdemque Sinzendorffius 29. Maji præsentibus Hagæ Comitis Electorum & Principum ministris pro informatione ibidem actorum obtulit; Torcius vero & Roüilleus eosdem sine Regis sui præscitu & consensu subscribere nolentes, Regi ipsi præliminares hos articulos præsentarunt, omnino ab eo rejectos, ut ipse Torcius ad Eugenium postmodum scripsit. Sperabant omnes dicentes: *Pax, pax, & non est pax. Jerem.* 8. 11. Unde Athenienses, ut notavit Demades, nunquam ad consilia pacis nisi atrati, seu pullis induti vestibus veniebant; sic Galli attritis nunc victoriarum vestibus, atrati posthac, seu pullis cladium interulis induti non pacis arbitri, sed precatores comparebant: nam

Sternentem sternit belli fortuna, fugantem
Sæpe fugat, dubiis statque caditque viis.

Classis Anglica 17. Aprilis tardius ad regni Valentini litus delata, ut obsessis in arce Alonensi suppetias ferret, præsidium, quod loco cedere coactum est, devehit Barcinonem. Septima autem Maji Hispani Lusitanos minùs rebus suis attentos, prope Pacem Augusti cædunt & in fugam agunt. Ceterum Philippus Rex ut ministros suos & populos, qui Gallorum prædominium in Hispania ægrè patiebantur, arctius sibi conciliaret; regis Ludovici oratorem à consiliis

Alona capitur, & Lusitani cæduntur.

Philippus R. Gallos aulâ exterminat.

filiis removet, & gallicarum partem copiarum regno eliminat. Hinc ut hispanum militem ad rem graviter gerendam numerata pecuniâ animaret, argenteam ecclesiarum supellectilem, & suam, quæ minùs foret necessaria, in nummos formari jubet.

Clemēs XI. Carolum Hispaniæ R. compellat.

Distulerat Clemens PP. imminentis, ut credebatur, spe pacis Carolo scribere, eique promissum per pactam cum Cæsare pacem Regis titulum attribuere; ideoque re ad pristinas relapsa offensiones, Breve, ut vocant, Clemens Barcinonem circa 15. Junii mittens, regiæ dignitatis titulo, & honoribus compellat.

Franciscus Medic. Card. nubit.

Cardinalis Franciscus Maria Mediceus, summi Etruriæ Ducis Cosmi III. frater, ambos videns nepotes Ferdinandum & Joannem Gastonem ex uxoribus suis nullam propignere prolem, ipse 48. annorum Princeps de nuptiis cogitat, Mediceæ familiæ ab anno 1400. florentis metuens extirpationem, & multarum fortè litium semen ac bellorum, titulo & dignitate præsulis ecclesiastici anno 1686. ab Innocentio XI. acceptâ cedit, galero Cardinalatio 29. Junii per ablegatum Clementi Pontifici in frequenti aulæ consessu resignato. Duxit postea in uxorem Eleonoram Gonzagam, Ducis Vastallæ secundogenitam, ex qua tamen nec ipse prolem suscitavit.

Nuptiarum tempus.

Quippe Plato statuit, ut ab anno 30. usque ad 36. mares, fœminæ verò à 16. ad 20. matrimonia inirent; Aristoteles autem Platonis discipulus maribus 37. fæminis 18. præfinivit 7. *Polic.* quo simul in utrisque juxta cursum ordinarium

tium desinat fæcunditas, quod in multis tamen fallit.

548. Abrupto pacis tractatu Villarius bellicus Ludovici legatus Montes Hanoniæ adveniens, cum Bavaro Duacum aliasque civitates visitat, invitoque militi dilatum solvens stipendium Lanojum, inter Insulas & Tornacum medium occupat, ut Confœderatorum commeatum Insulas deferendum interciperet; qui tamen mirâ Eugenii sollicitudine 29. Aprilis salvus & integer Insulas est deductus; quinquaginta deinde anglicæ naves cum militum supplementis, commeatu, ac bellico apparatu ad Ostendam appulsæ omnia ad Helchinum inter & Audenardam considentem confœderatorum exercitum sunt advecta, ad quem Borussæ etiam, aliæque copiæ & Hollandorum res tormentaria 56. bellica tormenta, & 6. mortaria Harlebeckum, ubi castra formata, confluebant: ubi exercitus in duas divisus partes, dextræ 108. peditum & 66. equitum phalangum præerat Eugenius, & Marleborugus sinistræ 165. peditum, & 104. equitum phalangum, propræfecto Dompre cum 27. agminibus in Brabantia Luxemburgo prope Querinum cum 40. agminibus consistenti invigilante. Tum habito Insulis bellico consilio exercitus in lata prope Insulas planitie 24. Junii consedit, provocatusque ad decertandum Villarius comparere noluit, tum quòd viribus impar, tum quòd loco inaccessibili tutus castra vallis & militari sepimento, omnesque ad ea aditus tormentis bellicis & loricis probè communierit; ideoque iteratò lacessitus, ut extracto ex

Villarsius frustra commeatui Insulensi insidiatur.

urbi-

urbibus milite earum vires & præsidia diminuerentur, faciliusque oppugnarentur; quo factum, ut simulatâ in Villarsii castra expeditione & aggressione propræfectus Dompre clam Tornacum sufficiente præsidio vacuum tumultuarie cingeret, exercitusque totus 26. Junii vespere, remissis Insulas impedimentis, horâ 9. mutis tympanis & tubis per noctem eo digressus, summo mane alterâ urbem totam cingeret, Marleborugus ab Anthoin usque viam lapideam, & Eugenius infra ad Scaldim, & ultra Scaldim Lumlejus & Dompre 30. peditum & 12. equitum agminibus urbem infestarent. Cujus obsidionis Villarius nonnisi 28. Junii circa meridiem certior factus præsidium urbi immissurus omnino rejicitur, & à Survillo præfecto rapta circumcirca 200. jumenta intercepta rusticis restituuntur. Ante obsidionem vero Princeps Nassavius majoris securitatis ergo vicina urbi loca, Moritaniam, fanum S. Amandi, & Escarpe occupaverat, adeoque 113. solùm phalanges sub alternativo Eugenii & Marleborugi imperio urbem circumvallabant, reliquus exercitus hostem alibi observabat: erantque tres urbis impressiones sub generalis bellici machinatoris Roqueti directione, primam ad portam Valentianam disponebat Borussiæ Generalis Lottum, alteram ad latus operis cornuti Saxonicus Generalis Schulenburgus, tertiam denique Batavorum Generalis Fagel ad portam Mervillam, sicque septima Julii castrensia valla sunt aperta, & utrobique urbs globis & ignibus continuo conquassata, quam Villarsius nequidem

Tornaci obsessio.

dem liberare tentavit, copioso licet subsidio ex Germania fuit confirmatus, sed metata retro Scarpem fl. castra Bethuno Condatum usque sepimentis, & hinc usque Duacum fossili lineâ probè munita in conservationem Valentianæ & Cametaci extendit, ut Eugenius omni illum aggrediendi occasione fuerit privatus; nisi quòd ille Warnetonum cum præsidio tumultuariè occupans; appropinquante autem ex confœderatis Wilene mox deseruit, Ipram cum 200. captivis confugiens. Confœderati interim 17. Julii quatuor in locis ad opertam pervenientes viam, jam prope murorum tentabant tormentis curulibus ruinam per Schulenburgum 23. Julii satis patentem, augebaturque in urbe carnis & nervi bellici penuria, quam urbis præfectus Survillus & alii suo sublevarunt argento in monetam hac inscriptione cusam: Moneta In obsIDIone TornaCensI CVsa. Sed quia præfectus nullas sperare poterat suppetias, milesque viribus accisis decretoriam confœderatorum jam modò paratam sustinere diffidebat impressionem, 28. Julii urbis offert deditionem, & 30. ejusdem portæ Insulensis occupationem, cum 10. Agminum sub præfectu Albemarle præsidio, reliquo gallico præsidio 3500. ad arcem Europæ munitissimam confugiente post subscriptas militares 24. articulorum conditiones, aliæ etiam cum urbano magistratu particulares, Cleri prærogativas & magistratûs privilegia concernentes (abrogato regio parlamento, Valentianam postea à Rege translato) octoginta novem articulis conclusæ sunt, & consignatæ; Deditio.

proinde Eugenius voluit, ut urbis episcopus in gratiarũ actionem *Te Deus laudamus* intonaret; quod ipse pertinaciter denegans, & episcopatui potius cedens abiit Versaliam Regi ob hoc gratissimus.

Arcis ejusdem oppugnatio.

His peractis 31. Julii Comes de Lottum & Schulenburgus (Fagelo ad exercitum revocato) continuis arcem pyrobolis & tormentis curulibus flagellant, cuniculisque, & subterraneis fornaculis ita quotidie exagitant, ut quotidie decem & plures in aërem vibrarentur, & alio vix modo ob arcis robur & perfectam geometricam à Vaubono constructionem (qui singulare hic artis suæ edidit specimen) quidquam effici poterat. Appropinquantibus nihilominus confœderatis ad exteriores fossæ muros, Marchio Survillus deditionem hac offert conditione, ut prius per cursorem Regi suo hujus obsidionis statum & responsum referret, & ad ejus usque reditum 5. Septembris hostilitates invicem cessarent. Confœderati cursorem nuntium March. de Ravignon continuatis interim hostilitatibus permittunt; qui reversus Regis conventionem approbantis responsum referebat, si per hoc armorum fieret interstitium, & pacis reassumerentur tractatus. Sed cum Rex eo victoriarum cursum cuperet solùm retardare, ferventioris oppugnationis stimulo res eo deventa est, ut Survillus ultroneam arcis traditionem 2. Septembris iteratò cum libero tamen & honesto præsidii discessu promitteret, quo etiam denegato, & magna stipendiariorum esset necessitas & fames, ut equinæ carnes modò essent in delitiis, interventu

tan-

tandem Comitis Albermale his conventum est pactis, ut quot numerarentur præsidiarii, totidem ex Confœderatis captivi permutati extraderentur; & quidem 14. dierum spatio captivi in Warneton reducantur Tornacum, ubi Survillus & alii 6. Generales remanebunt obsides, usq; ad plenariam peractã permutationem; quòd si Gallorum plures quàm fœderatorum essent Generales permutandi, cum fidei quidem literis, interdicta tamen illis militandi licentiâ, dimittantur, usque dum fuerint æqualiter permutati. Atque ita traditâ 5. Septembris arce, 6. ejusdem gallicum inde præsidium 3837. cum 440. officialibus, sonantibus tubis & tympanis, expansisque per urbem vexillis (quibus & bombardis extra urbem privabatur) Condetum deducebatur, introductumque est sub præfecto Welderen 4500. Confœderatorum præsidium; in civitatem verò 3500. sub præfecto Comite Albemarlo, cæsis in hac obsidione confœderatorum 2000. vulneratis 4. millibus. Bini deinde exercitus Eugenii & Marleborugi invicem conjuncti castra prope Orchies tribus leucis Duaco, & quinque Insulâ situm, gallicis lineis fossilibus proximiores metantur. Rovillus vix pacta potuit adimplere, & miles noluit amplius pugnare, nec officiales ob fœtorem permanere; fuitque gravis Villarsii error urbi tam primariæ, & gallici Belgii clavi & propugnaculo 7. tantùm milliũ imponere præsidium, cui vix 12000. sufficiebant, quo amisso Rex præter aliarum urbium periculum, regius quoque Fiscus annuo duorum millionum censu privabatur; confœderati econtra

Traditio.

tra præter aquisitarum urbium securitatem & defensionem, faciliorem in Flandriam Gallicam sibi aditum patefaciebant. Disce hic, quòd bellum ex arbitrio sumatur, non ex arbitrio ponatur, ut docet *Salustius in conjur. Catil.* Et quòd in bello non liceat bis peccare, dicunt *Plutarchus & Stob.*

Sabaudiæ D. Gallos cædit.

549. Victor Amadeus Allobrogum Dux Gallos in sua Sabaudia populos tributis & castra metationibus afflictim prementes ad confluentẽ Arlii & Isaræ cædit, viamque sibi regio alibi exercitu occupato ad ulteriora sternit. Et qui in Occitania per vim Regis compulsi Sacris Romanis accesserant, in Cebennensi & Vivariensi tractu occasione utentes, sumptis armis tumultuari cœperunt, cumque regiis copiis contra eos immissis vario eventu in variis partibus confl xêre. Ut anceps semper, sic sæpè tristis est victoria & sanguinolenta: non habetur gratis, quod vitæ discrimine quæritur, carè emitur, cujus pretium est sanguis. Eodem animo Hungari rejectis quas Cæsar offerebat pacis conditionibus, protracti etiam armistitii opportunitate neglectâ, ut in pacem consentirent, hostiliter denuò consurgunt, & insano quasi furore acti suammet crudeliter devastantes patriam, à Cæsareis ubique copiis atteruntur.

Hi Cebenenses.

Cæsar Hungaros.

Curando fieri quædam majora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.

Ovid. 3. Pont. 1.

Fridericus Rex Daniæ ex Italia redux, & ab Augusto Rege Poloniæ omni honoris contestatione exceptus in Saxonia, post plura & spectacula,

cula, & convivia, quibus ejus voluptati affatim parentatum est, cum ipso Augusto ad Regem Borussiæ contendit, & 11. Julii venit Berolinum, ibique tres Reges per dies quindecim renovatis omnibus collætandi modis genio indulserunt. Seriis, inquit *Thomas Morus lib. 2. cap. 1. de consol. in advers.* Interdum adhiberi jocos recta ratio permittit, ut qui quasi condimenta quædam sint, quibus animi tœdia & labores reficiantur, ut majori cum alacritate postmodum resumantur; adeoque aridam & ingratam, tristem & morosam illam vitam esse, cui nihil jucunditatis & lepôris aspergitur. Vita sine festivitatibus longa est via sine diversoriis, ajebat *Democritus*.

Trium Regum conventio Berolini.

Cùm Carolus Rex Sueciæ copias suas multis in locis divisas à Moschis aut fugari, aut vinci vidisset, collecto exercitu 27. Junii ad Pultavam Comitatûs Massoviensis eosdem aggressus, ab illis ferè ad internecionem profligatur, decem millibus suorum in conflictu desideratis. Cùm autem residuos ipse fugitans deduxisset ad Boristhenem fl. hic iterum ab insequentibus Moschis arctatus, cùm repugnandi aut evadendi media omnia deessent, ejus se copiæ devictas & captivas dedere sunt coactæ, ipso interim cum paucis sociis equorum natatu trans flumen vecto, unde in Turcarum ditiones asylum per magnum temporis spatium non sine ingenti regni sui detrimento fuit compulsus. Si quis irascitur, inquit *Pub. Mimus* pœnas ab alio expetit, à se exigit. Unde *Seneca lib. 2. de ira. cap.* 34. Cum pare contendere anceps est, cum superiore furiosum, cum inferiore sordidum; sed liceat hic

Carolus Suecus cæditur & fugit in Turciam.

de Carolo dicere, quod Pyrrhus Rex de Fabricio Romano: Facilius esse solem à suo cursu, quam Fabricium (Carolum) à suo proposito ipsi dissuaso avertere; cujus ipse semper tenacissimus Augustum throno dejecturus, ipse fermè dejectus fuisset: *incidit in foveam, quam alii fecit.*

Lædere qui tentas alios, quæ mittis in altum
In caput hæc recident aspera saxa tuum.
Urere quo tentas alios, hoc ureris igne,
Quodque paras aliis, hoc peris ipse malo.
Aut certè instar apis, quæ cœco rapta furore,
Protinus ut stimulum fixerit, ipsa perit.

Philippus R. Hisp. à suis petit auxilia.

6. Julii Philippus Andegavensis audito, quod Ludovicus avus suus à tractanda cum fœderatis pace discessisset, publicis apud populares suos Hispanos literis protestatur, à Fœderatorum iniqua poscentium venire protervia, quòd pax non fuerit sancita: pax enim quæ nimio emitur pretio, & quâ potentior hostis redditur, non est pax; sed pactio servitutis (*Zonoras in Arcad. & Honor.*) Proinde causæ suæ commendans justitiam, vires ab illis & auxilia prærogat necessaria, quibus inceptum acrius urgeatur bellum: excusatque media quidem dura, & forsitan aspera; sine quibus tamen id consequi sit impossibile, maximè post remissam potiorem gallicæ militiæ partem, quam ad proprios usus in suum reverti regnum Rex Ludovicus jusserat. Hispani in consiliis nulli se parti spondent defuturos, modò ceteri Galli eliminarentur, qui munia in aula vel exercitu obeunt, & præcipua tractant com-

commercia, in fatalem gentis Hispanæ perniciem, & ruinam.

Dulcis amor patriæ, quo non præstantior alter; & ut *Ovidius* ait:

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Rustici Palatini discedũ in Angliam.

Rustici Palatini seu iniquioris statûs impatientiâ, seu novarum rerum studio, seu liberi spiritûs enthusiasmo catervatim è Palatinatu velut sideprati abscedunt, & refugiunt in Angliam ex Protestantium numero multi; ubi sub imminutæ illis libertatis commiseratione Reginæ, procerum, & populi Anglicani charitate, & omnis generis auxilio foventur, & in varias distributi sunt provincias, ut commodiorem sibi fortunæ statum pararent, ac sacris, patriæque religioni liberiori ritu assuescerent. Inter eos sexcenti quoque catholici seu aliorum exemplo, seu melioris spe fortunæ, seu alio singulari œstro abrepti cùm navigassent, benigno ab opitulatrice Regina donati viatico ad lares proprios remittuntur. Audiamus, quid magnus & sapientissimus quondam Angliæ Cancellarius *Thomas Morus* hac de re *Utopia lib.* 1. *dicat*: Quis intentius rerum mutationi studet, quàm cui minimè placet præsens vitæ status? aut cui audacior ad conturbanda omnia impetus, spe aliunde lucrandi, quàm cui jam nihil est, quod possit perdere? Unde Fabricius vir erecti ac sublimis animi ajebat, malle se imperare divitibus, quàm divitem esse. Et profectò alios fortunâ, voluptate, at delitiis affluere, gementibus undique ac la-

mentantibus aliis, hoc non est regni, sed carceris esse custodem.

Mercius à Gallis cæsus.

Hanoveranus Elector Cæsareo exercitui præfectus in castra delatus, prætextu secretæ communicationis cum Sequanis partem copiarum sub Mercio campiductore rhenum transire permittit, quas Galli cædunt, duriusque sæviunt in aliquot Sequanorum primores, qui cum Cæsareis collusisse dicebantur, ut eis urbem & arcem Bisuntinam, unicum provinciæ munimentum, traderent.

Augustus revocatur in Poloniam.

8. Augusti Augustus Rex in abdicatum Poloniæ regnum reversus, rationes publico scripto manifestat, quibus ex æquo & justo id facere obtendit, vim scilicet iniquam, cui cedere fuerat coactus; & procerum vota, quibus ad thronum revocabatur. Quare universalibus, ut ajunt, literis indicit comitia, in quibus gentis integræ consensu jus suum statuatur legitimum, contradictore Carolo Sueco jam regno expulso. Nec diu postea eum Petrus Moscorum Czaar, & Fridericus Rex Borussiæ Varsaviæ gratulatum conveniunt, seque illi novo fœdere obligant; Augusto interim rem suam firmante, sublatis aliquot & seclusis, qui Stanislao favebant, ne communibus votis obstarent, & rempublicam turbarent.

Hungari quasi ubique infaustis signis Cæsari adhuc repugnantes, & seipsos sævè mordentes, mensibus Augusto & Septembri Simonturnum, Vesprinum aliaque plura loca amittunt.

Pugna prope Montes

551. In Flandria Villarsium adhuc ultra Scaldim firmiter communitum confœderati inva-

vasuri, Cadoganum cum duobus pyrobolariorum millibus ad occupandam Abbatiam Marchiennes, unicum ad ejus castra aditum, præmittunt; sed dum Villarsii vigilantia ejus auxisset præsidium, revocatq Cadogano fœderatorum exercitus toto fermè Augusto in Gallorum constitit conspectu, iteratis velitationibus occupatus. Frustratâ igitur castrorum invasione, Princeps Hasso-Casselensis Montes Hannoniæ (inde Bavarus discedens octo circiter millium imponit præsidium) 60. equitum agminibus, & 4. mille peditibus cincturus, prius hostiles prope Montes Lineas feliciter occupat & circumcingit, quem brevi eo subsecuti sunt cum exercitu Eugenius, & Marleborugus, audientes autem ad alteram silvæ partem Villarsium cum exercitu appropinquare, Principem Arverniensem, ut Gallorum motus observaret, cum 30. equitum agminibus & 400. pyrobolariis versus Biangiers destinant, qui cùm Eugenio significaret Villarsium pro attentanda decretoria pugna tria silvarum loca Lamers, Sart & Zachart tumultuariè circumsepire, adjacentesque pagos Tesniers & Malplaguet milite communire: quare ambo exercitus in decretorium se præparant certamen; quod quia fœderati usque ad adventum 20. agminum Tornaco adproperantium quo tardius differebant, eo magis firmiusque sua Galli castra foveis, vallis & loricis vix penetrabilibus communiebant. Nec desides fœderati sui exercitûs disponebant ordinem, erectisque nebulæ beneficio (quod vix aliàs facere poterant)

terant) tormentariis ſuggeſtibus in ala ſiniſtra 28. tormenta, in medio 40. in dextera reliqua collocant bellica tormenta, quibus 11. Sept. circa octavam matutinam in primo certaminis fervore denſa ſtatim hoſtium ſepimenta & ordines militum ita diſſiparunt, ut magna vi loco & ſtatione eos expulerint; ſed fortiori Gallorum brachio iterum ſunt repulſi. Adeſt mox ad omnia vigilantiſſimè attentus Eugenius, cedentes pudore reducit, terrore compellit, gloriâ inſtigat, ut ſuccenturiatis mox recentioribus cohortibus incredibili hoſtem fortitudine non modò rejecerint, & loco expulerint, ſed ad ipſa etiam eorum perruperint ſepimenta, adeoque ipſam ſilvam Sart victorioſè ejecto hoſte occupaverint, quâ demum intra bihorale ſpatium ſummo labore & difficultate obtentâ, tunc primùm Eugenius ſanguine madens leve capitis ſui vulnus obligari curavit. Nec minori alacritate, ſed majori difficultate ſiniſtra Marleborugi ala hoſtem invaſa loco primùm pellit, & caſtrenſe tormentum, novemque hoſtium vexilla capiunt; ſed reſumptis & multiplicatis Galli viribus fœderatos non ſolùm retundunt, ſed captum antea tormentum & novem ſua, ſexque fœderatorum vexilla recuperant, eò quòd 30. Hanoveranorum, Boruſſorum & Haſſorum ſimul phalanges ſeptuaginta Gallorum impares reſiſtere non poterant; quare pudore ſimul & ira ſtimulatus Princeps Naſſavius Friſiæ Gubernator, & Batavorum peditum Generalis capto ipſe vexillo cedentes tantâ animoſitate in hoſtem reducens il-

lum

lum sustinet, urget, propellit, & incredibili labore ejusdem sepimentum, equitatûs tamen adjuvamine, occupat; nam Galli amisso Sart silvæ sepimento pedestres copias suas vi alibi arcendæ applicando loci aperturam in medio aciei faciunt, quam fœderatus dexteræ alæ equitatus occupans, Hasso - Casselensis à latere silvæ & sepimenti Sart, & Princeps Arverniensis à latere silvæ & sepimenti Zachart gallicum involant equitatum (& hic quidem domûs regiæ turmam) quem intermixto non sine maximo emolumento peditatu ducentis gressibus depellit, at repulsus magnâ iteratò generositate, ope præcipuè peditatûs, dubio quinies certamine tandem victor devincit. Quo facto hæreditarius Hasso - Casselensis Princeps ad sinistræ alæ peditatum gallicum (qui Nassovio se maximè opponebat) se vertens, eum à latere impetit, confundit, & in fugam agit; sicque post ferocissimum 6. horarum certamen & hæc sinistra ala feliciter etiam, magna tamen cum cæde tertium sepimentum transcendens triumphavit, & in fugam Gallos egit, Valentianam, Quesnojum & Condetum aufugientes: equitatus quidem eorum pro re tormentaria acriter pugnabat, sed accedentibus Eugenio, Marleborugo, Principe Arverniensi, General. Balow, & Vehlen egregiè impugnantibus non sine ingenti strage cedere sunt coacti, & magnam tormentorum partem, interque alia vexilla primarium prætorianorum amiserunt, ac Villarsius superstites copias difficili sanè fugâ subduxit, jacturam operæ pretio consolatus, quòd in hac pugna milites Galli jam frequentius à Con-

à Confœderatis 42. phalangibus & 40. tormentis bellicis superioribus attriti, animosius tamen visi essent restitisse. Eugenius ipse contestatus acriorem se conflictum non vidisse, & pertinaciorem, in quo ad viginti sex hominum millia ex utraque parte ferro globoque necata traduntur; & ut quidam scribunt, fœderatorum 16. aut 20. cecidisse millia, propter tria ista condensa gallicorum castrorum sepimenta arce & naturâ ad stuporem implicata, adeoque carè satis empta est hæc victoria, quam ideo Bouflerus datis ad Ludovicum literis sibi attribuit. Gallorum cladem referunt eorum literæ fuisse 7000. cæsa, & decem millia vulnerata, Villarsiusque ex percepto in genu vulnere deinceps claudicans, insignem pro generositate sua Regis meruit gratiam & benevolentiam, in Ducem & Pairem Franciæ evectus; cujus deinde loco Bouflerus gallici exercitûs suscepit præfecturam, conseditque Valentianam inter & Quesnojum. At Luxenburgus cum decem millibus prope Caroloregium. Fœderatorum verò legiones multum afflictæ & passæ ad hospitia remissæ; reliquæ ad Montes Hannoniæ obsidendos destinatæ, quos Princeps Nassavius 20. Septemb. 30. equitum, totidemque agminibus peditum circumcinxit, dexteræ alæ exercitu Jenappe, sinistræ verò Roa Croix consistente, & Gallorum motus obsidionem impetentes vigilanter observante. 25. Septemb. valla castrensia ad duas urbis impressiones adversus portam Berlamontanam, & Havre sunt apertæ, dejectisque tormentorum frequentiâ muris, 16. Octobris opus cornutum

Villarsius cæsus claudicat.

Montes Hannoniæ obsidentur.

nutum ad portam Berlamontanam armatâ manu, præsentibus Eugenio & Marleborugo fœderati capiunt; jamque 19. Octobris altera adversus cornutum Havre opus præparata erat impressio, cui obsistere impar urbis præsidium 20. Octobr. urbis præfectus March. Grimaldus ultroneam urbis offert deditionem, cujus periculum & succursum tribus antea noctibus per nitratos radios ex turribus continuo emissos significaverat; Bouflerus autem, accedente etiam licet Berwicko, hisce minimè motus, & Eugenii ubique victoris dexteritati multùm impar, in suis Valentianam inter & Quesnojum latens lineis comparere non audebat, sed injectis Namurco & Caroloregio 7. & Philippovillæ per Luxemburgum 3. militum agminibus, urbanum Montium præsidium sonantibus tubis & tympanis cum binis tormentis bellicis Malbodium & Namurcum 21. Octob. est deductum; Fœderati autem imposito Montibus duodecim millium præsidio Hallam, tribus leucis Bruxellis, & septem Montibus Hannoniæ dissitam, abeuntes, inde ad hyberna sunt remissi, quæ & suis Bouflerus Gallis concessit, posteaquam fanum S. Amandi, & Moritaniam majori firmasset robore, & fossiles Malbodii lineas perfecisset: Eugenius vero & Marleborugus Bruxellas & Hagam Comitis ad bellica profecti consilia, inde 17. Novembris Londinum, ille 27. Viennam reversi, quo etiam 9. Decembris summo Cæsaris gaudio & gratulatione pervenit Eugenius, Imperii Rom. firmamentum, Gallorum terror, militum amor simul & timor; Clearchus enim

Capiuntur.

enim cum Stobeo militum auribus subinde inculcabat: Militi magis esse metuendum Imperatorem, quàm hostem. Quæ vox mortem minabatur militi, qui parùm graviter se gessisset in prælio; honestius est autem cum laude vitam impendere patriæ, quàm cum dedecore pœnæ. Quod dictum non quivis milites laturi sunt; sed hi facilè, quibus matres domi solent edicere, ut aut victores cum armis redirent, aut mortui cum armis referrentur. *Front. lib. 4. cap. 1. Val. Maxim. lib. 2. cap. 8.*

Miles magis ducem quàm hostem metuat.

552. Septembris 14. obiit Madriti Cardinalis Ludovicus Emanuel à Portocarrero, Archiepiscopus Toletanus, per omnia aulæ munia, etiam militaria (heu pudor! miles & episcopus!) exercitus, in quibus nomen sibi fecerat non indecorum, usque ad mortem Caroli II. Regis Hispaniarum, cui creditus est suasisse Carolo, & ursisse testamentum, quo rejecto mutuæ successionis cum Domo Austriaca contractu, & præteritis suis Austriacis alienæ gentis successorem Philippum Andegavensem dixit, acerrimumque excitavit bellum, quo Europa fermè tota conflixit, & multi aulæ hispanicæ Grandes ministri turpi morte sunt confixi. Sub initium à novo Rege Philippo honoribus cumulatus, procedente tempore imminutâ reciprocâ fiduciâ, consiliorum exors extra aulam desiit vivere clausus sarcophago aperuit Pandoræ pyxidem Hispaniæ Grandibus fatalem infans politicus. Doctrinam certè Episcopi Augustini nòn didicit, qui ait: In aula quid non fragile, plenumque peticu-

Mors Cardin. Portocarero.

ticulis? & per quot pericula, pervenitur ad grandius periculum? & quamdiu istud erit? amicus autem Dei si voluero, ecce nunc fio. Te si piget imitari, noli adversari. Cardinalis Julius Mazarinus aulicorum & politicorum Apollo moriturus Ludovico XIV. persuasisse dicitur, nullum ecclesiasticum aulæ ministrum primarium admittere, *Vita Ludov*. Crocodilus, scribit quidam, anceps animal nunc in terris agit, nunc in aquis; in terra ponit ova sua, in aqua insidiatur & prædatur; ita quidam dum & aulici esse volunt, & ecclesiastici, neutrum sunt, utrobique pestilentes. Tales æquius halcyones esse deberent, quales videre rarissimum est; sed quoties apparent, tranquillitatem vel faciunt, vel denuntiant; ita ecclesiastici rarò in principum aulas deberent prodire, nisi ad componendos motus, ac tempestates civiles.

Clemens Pontifex ut conciliatam cum Cæsare amicitiam arctius uniret, nepotem suum, Albanum, Abbatem dictum, nullo Nuntii aut Legati munere, sed consanguinitatis merito insignem, mittit Viennam, ut quæ pleno animorum consensui deerant suâ compleret dexteritate. Inde Dresdam se confert, Nuntii extraordinarii officio auctoratus, & Clementis avunculi nomine Augusto R. receptum Poloniæ regnum gratulatur. Philippo autem Regi, cui hæc missio, & alterius in Hispania Regis Caroli agnitio minùs placere sciebatur, ut Pontifex faceret satis, suos exauctoratos milites permisit illis facere stipendia, & Car-

Clemēs XI. mittit nepotem Viennam & Dresdā.

dina-

dinalem Ottobonum, qui sub idem tempus gallicas publicè partes amplexus fuerat, à Ludovico Rege Galliæ in Curia Romana Protectoris titulo decoratus, retinere voluit Cancellarii munus, quod nulli parti obnoxium, utpote primarium pontificiæ potestatis in sacris ministerium esse, aut fieri posse videbatur. Notatu certè dignum, quod Monarchatum orbis Christiani subjectio Pontifici, adeoque & subalternis Prælatis in rebus ecclesiasticis [aliud in politicis] non tantùm nihil gloriæ, libertatisve imminuat, quin etiam nunquam bello, pace, mari, terra, domi, forisque magis floruerint, ac etiamnum floreant, quàm cum ecclesiam, personas, ac res ecclesiasticas in honore habuerunt; juncto quòd obedientia Christi Vicario exhibita, ad honorem & gloriam ipsius Dei referatur, cui servire regnare est, ubiècontra Deus quum populus Israëliticus sibi Regem, rejecto Samuele, posceret, non, inquit, te rejecerunt, sed me. Decimâ præterea Octobris Clemens in publico consistorio Episcopum Solsonensem approbat à Carolo nominatum, cui Regis Hispaniæ titulum attribuit, expressâ tamen reservatione, quod hoc foret sine cujusquam alterius præjudicio. Eidem Carolo scripserat Barcinonem, cum ejusdem tituli & honoris contestatione. Undecimâ Octobris ècontra Regis Philippi Romæ minister Molines, Rotæ, ut ajunt, Auditor, pro natione hispanica affixo in Urbe edicto vetuit Hispanis omnibus, ne ad Pontificem pro cujuscunque beneficii ecclesiastici consecutione recurrerent, ullamve solverent pecuniam pro expeditione, ex

Subjectio Pontifici libertas est.

Clemens Episcopū Caroli R. approbat.

Hispanis vetatur commerciū cum Romanis.

ex prætextu, quòd hanc pecuniam Pontifex Cæsareis militibus contributionis nomine ministraret. Ausûs pœnam tulit Molines suspensionem ab omni dignitatis & officii exercitio, & absentiam ab aula. Nihilo tamen minùs nomine proprio Philippus idem edictum dedit in Hispania 31. Octobris, interdixitque suis omnibus ab eodem cum aula Romana commercio.

Stanislaus Leschinkius Exrex, & Suecorum præfectus Crassavius, quique adhuc residui erant in Polonia, regnum cum copiis suis deserunt, videntes Fridericum Augustum reducem cum plausu ab omnibus receptum Ordinibus. Augustum Thorunii Petrus Moschorum Dux visitavit, & ibidem Hani Tartarorum Legatus 21. Octobris superveniens receptum regnum gratulatur. O quàm

Stanislaus & Sueci Poloniā deserunt

Ludit in humanis divina potentia rebus!

Fortunæ vicissitudo.

Chilon interrogatus quid ageret Jupiter? respondit: Excelsa deprimit, depressa extollit; alia struit, alia destruit. *Stob. serm.* 103. Per Deum, nosce hoc ævum, major hoc ævo, monet *Lipsius*:

Vir videas quidnam jubeas, dum magnus haberis,
Dat varias fortuna vias, mox ire juberis.

Quid fit? Eidem Carolo Suecorum Regi indicto bello Fridericus Danorum Rex, animo & titulo recuperandi ea, quæ Sueci Danis eripuerant, 28. Octobris classem suam ascendit, & exscensu in Scania facto Helsingoburgum ultroneâ recipit deditione.

Danus Helsingoburgū capit.

553. Ludovicus Rex semper hucusque pacis regulas aliis assuetus præscribere, nunc sibi

Ludovicus pacem petit frustraneè.

præſcriptas accipere fert ægerrimè, adverſa tamen belli fortuna ſic jubente interruptas pacis conferentias cum ſolis privatim Batavis reſumere ſollicitabat; illi verò dum ordinaria id legatione Uxellii & Polignaci ad Montem S. Gertrudis fieri omnino recuſabant, mittitur Pariſios Ducis Holſatiæ reſidens Beticum Regis mentem inveſtigaturus, qui 7. Decembris Hagam Comitis reverſus in publica confœderatorum conferentia Regis mentem declarat, impoſſibilem ſibi fore articuli trigeſimi ſeptimi præliminarium tractatuum executionem, quo integra imprimis Caroli III. in totam Monarchiam Hiſpanicam exigitur reſtitutio, & ſingulorum prædictorum articulorum executio. Quare 17. Decembris Generalium Statuum Deputati cæteros Confœderatos ad vigoroſam belli continuationem acriter incitarunt, & omnium votis & ſtudio ſequentis anni decreta eſt expeditio, civesque Hagæ Comitis ſuo inſcribebant vexillo: *Præſtat pro libertate mori, quàm fraudulentâ pace deſtrui.* Pax enim, ut ſupra dixi, quæ nimio pretio emitur, & quâ potentior hoſtis redditur, non eſt pax, ſed pactio ſervitutis. *Zonas.* Nihil ad hanc rem & Ludovicum accommodacius, quàm Petrarcha. *Dial.* 121. Pacem ſperare bellantis eſt: quis animo tuo bellum infert, niſi unus tu? quod ipſe tibi imprudenter abſtuleris, impudenter ab altero p ſtules aut ſperes? nec illam tibi alius, quàm tu poteſt eripere. Pone arma cupidinum atque irarum, vix tantum deberent niti homines, ut ſalvi eſſent, quantum nituntur, ut pereant jugi bello; ſic pugnant ſpes mor-

mortalium ac vota cum studiis, ut non unius hominis unum pectus, sed multorum, eorumque de omnibus dissidentium videatur.

Prima Angliæ dissensio

Circa ultimos hujus anni dies ad Parlamentum Anglicanum traductus est Doctor Sacheverel ob injectum alicubi, maxime Lundini, prædicationibus suis timorem, quasi ecclesiæ & patriæ suæ status ex nescio quo famæ enthusiasmo periclitaretur. Quod quia factionem & divisionem in animis vulgi seminandi studium hæc jactata saperent, ut visum est secuto effectu, utriusque Cameræ, ut ajunt, voto traditus est custodiæ ficti metûs sermocinator, negatumque illi est, etiam oblatis vadibus, se liberum præstare. Videtur hic Philaster nimiùm fuisse vanitatis, ut sua mendacia crederentur verissima, uti Rhetorius hæresiarcha quondam omnes hæreticos vera dicere affirmabat, teste *S. Augustino lib. de hæres.*

DECADIS SEXTÆ,

Annus 1710.

Czaari Moscuæ triumphus.

554. KAlendis Januarii 1710. Petrus Alexovvicius Russorum Imperator è Finlandia redux victor solemnissimâ pompâ suam ingreditur Moscuam, longoque agmine suis populis trophæa, quæ in pluribus Suecorum præliis victor obtinuerat, explicat, milites scilicet & duces hostium captivos, bellica tormenta, impedimenta, vexilla tam equestria quàm pedestria, & spolia ex illis relata, multiplicemque belli apparatum, quem ex eorum castris exportarat, non sine gentis suæ admiratione, & glorificatione ostentat; quæ omnia inter procedentium gestientium militum suorum agmina vario ordine disposita, veteris Romæ triumphum non malè referebant:

Tantus amor laudum, tanta est victoria curæ.

Est hoc nobis insitum, ait *Petrarcha lib. 1. remed.* 11. Inter cuncta mirabile, de nobis, nostrisque de rebus gestis, quantumvis etiam occultis, plus cuicunque, quàm nobis ipsis credere.

Danus in Sueciam irruit.

Fridericus IV. Rex Daniæ circa anni præteriti finem delatus in Scaniam, hoc incipiente Christianostadium, seu Christianopolim, & aliquot

quot alia loca in provincia Bleckingæ Suecis eripit. Ast Suecis experrectis, & arma adversus eos tractantibus, Dani subactis oppidis excedentes, se Helsingoburgum versus recipiunt.

18. Januarii Clemens Pontifex vertente inter Episcopum Thomerianum, & monachos aliquot Franciscanos circa episcopalem jurisdictionem lite, motu proprio circularem epistolam, & aliquot Episcopi scripta damnat; quod malè apud regium audit senatum, quòd talia inconsultis regni Episcopis præsumere nec juris, nec moris putaret: utpote contra Gallicanæ Ecclesiæ privilegia; ideo Clementis censuram recipi, aut publicari Senatus-Consulto prohibetur. Clementis in Episcogallum censura.

555. Eugenius Dux ut hujus anni expeditionem maturaret, bellicum apparatum, commeatum, & militum ubique urget auctorationem, & quia acceptis Hagâ Comitis Sinzendorffii Cæsarei ibidem Legati de pacis negotio literis (quod singulari Ducis Holsatiæ ministri Betticum studio Gertrudisbergæ per Uxellum & Polignacum resumptum continuabatur) acta ibidem intimis Cæsaris consiliariis Eugenio, Trautsonio, Uratislavio, & Seileren aliquoties consulta & examinata quo minus placebant, eo ferventius tam in Belgio quàm superiori Germania bellum promovebatur. cumque superiorum circulorum negligentiam & nervi bellici parcitatem simul & tarditatem reliqui confœderati iteratò incusarent & deplorarent, Cæsar ad ejus exemplum imitandum trecenta florenorum millia ad cassam militarem præmisit, gravissimis licet Ungaricis turbis implexus: quibus tandem Expeditionis Cæs. maturatio.

Ragotzii & Ungarorum pertinax furor.

conciliandis, favorabiles aliquot in Comitiis Posoniensibus proponit articulos, quorum acceptatione pax regni tot tantisque revolutionibus concussi & enervati coalesceret. At nedum iis obaudire rebelles detrectant; quin erga Oskajum, & alios gentis primores, qui Ragotzii castra deserere, & Cæsari reconciliari meditabantur, crudeliter amputatis eorum capitibus desæviunt: quo audito Heisterus Cæsarei ibidem exercitûs præfectus idem supplicium omnibus rebellium Ducibus, quos jure belli fecerat captivos, irrogat in vindictam. Attamen Ragotzius & Karoli Comes 25. Januarii cum rebellium agmine in Moraviam irrumpere, ab eaque prædas abigere meditantes, à præfecto inibi cæsareo Sickingiæ Comite vapulant, duobus suorum millibus aut occisis aut captivis, dispersis fugatisque cæteris, qui invasionem moliebantur. Cæsar audiens, quòd inter Hungaros sibi repugnantes multi Sueci è Polonia cum Palatino Kioviensi ejecti militarent, apud Secretarium Regis Sueci nomine Viennæ residentem desuper questus, eos revocari imperat.

Cæduntur.

Augustus Comitiorũ vota non evincit.

Frid. Augustus Rex 4. Februar. Varsaviæ grande, ut vocant, Magnatum Polonorum instituit consilium, & singularia vota, quibus ad regnum revocatus fuerat, universali firmarentur consensu, providereturque de illis rebus, quæ internam regni quietem, & ab exteris hostibus securitatem stabilirent. Ab aversis tamen aliquorum animis evincere nequivit, ut pauci articuli, quos utrique intento sufficere arbitrabatur, eorum suffragiis probarentur. Quin novis

comi-

Comitiis, & iteratis rogationibus insistens Augustus, ut in proposita consentirent; apertè protestantur plures, nulli se paci aut quieti manum daturos, nisi prius Saxones & Mosci milites è Polonia eliminarentur. Quisquamne regno gaudet? quærit Seneca, O fallax bonum! quantum malorum fronte quàm blandâ tegis! Addit opportunè *Cicero Orat. pro Murena.* Nullum fretum, nullus Euripus tot motus, tantas tamque varias habet agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æstus habet ratio comitiorum. Dies intermissus unus, aut nox interposita, sæpè perturbat omnia, & totam opinionem parva nonnunquam commutat aura rumoris. Sæpe etiam sine ulla aperta causa fit aliud atque existimamus, ut nonnunquam ita factum esse etiam populus admiretur; quasi verò non ipse fecerit.

Comitiorum varietas.

10. Februarii Clemens Pontifex gratiosâ, & paternis plena affectibus epistola gratulatur Antonio Ulrico Principi Brunsuico Luneburgensi conversionem, quâ ex Lutheranismo ad veram Catholicam fidem, & Sacra Romanæ Ecclesiæ ante aliquod tempus pertransierat. Quippe, ut ipse fatetur Lutherus in quadam *epist. ad duos plebanos de anabaptismo*, ut refert *Hosius tract. de expresso Dei verb.* Fatemur, inquit, in papatu veram esse Scripturam sacram, verum baptismum, verum Sacramentum Altaris, veras claves ad remissionem peccatorum, verum prædicandi officium, verum Catechismum. Dico insuper sub papatu veram Christianitatem, imo verum nucleum Christianitatis esse. Ac ne quis for-

Conversio Antonii D. Lunenburg.

Fides Catholica vera

fortè dicat, hæc inter initia scripsisse Lutherum, cùm nondum illi lux evangelicæ veritatis, de qua tantoperè gloriatur, affulsisset; sciat hanc epistolam ab eo scriptam fuisse decimo pòst anno, quàm ab Ecclesia Dei se præciderat. Sic per illius tanquam per Balaam prophetæ jugulum, quamvis hostis esset veritatis, vel invito tamen illo veritas erupit. *Num.* 22.

Moschus Elbingam occupat.

Moschus interim Augusti Regis Poloniæ defensor prosperam armorum suorum fortunam prosecuturus, Elbingam civitatem Hanseaticam in Borussia Polon. ad sinum Balticum à Suecis occupatam circumcingit, & absque consuetis vallis castrensibus neglecto longioris obsidionis processu 13. Februar. expugnat, Suecosque præsidiarios captivat. Multiplicem impressionem simularunt Moschi, ut præsidiariorum vires, & murorum defensionem distraherent; sed dum fictis præliis illos avocant ad varias propugnaculorum partes, duplici & reali conatu paucos defensioni intentos vincunt.

Tractatus securitatis Germaniæ.

Hinc factum, & 5. Mart. Hagæ Comitum conventum est inter eorum Principum ministros, qui de Imperii Rom. securitate & pace satagebant Germaniæ provincias à bello immunes præstare, quod inter Poloniæ, Daniæ & Sueciæ Reges tractabatur, destinatusque est miles, qui huic armistitio tuendo daret operam, seseque illi opponeret, qui alterutrius Regis germanas provincias vellet invadere.

Dani à Suecis cæsi.

Sueci à Danis primùm lacessiti & experrecti, 10. Martii Danos ad Helsingoburgum castra metatos ad pugnam tumultuariè trahunt, & inter-

ternecivè profligant, desideratis fermè octo Danorum millibus. Cadente hac pugnâ spe defendendi ea, quæ in Scania Dani occuparant, hi conscensis navibus in Selandiam revertuntur. Nullum bellum tam feliciter cessit, quin plus attulerit mali, quàm boni. *Erasm.* Nec est diuturna possessio, in quam gladio inducimur. *Curt. lib.* 8.

556. Novæ de pace cum Confœderatis tractanda collationes Gertrudenbergæ institutæ adhucdum continuant Regis Ludovici Legati, Uxellus Franciæ Mareschallus, & Abbas Polignacensis: ad quas deputati duo Hollandi proceres Buissius, & Vanderdussius 9. Martii conferre incipiunt. Hunc congressum præliminares præcesserant collocutiones, in quibus de præcipuis pacis conditionibus conventum fuerat, deque singulari articulo supererat tractandum, quâ nempe via Rex Philippus cederet Hispaniæ, Ludovico jam de ea Carolo Archiduci Austriaco dedenda concutiente, regio præsertim fisco exhausto, ei fortunâ magis magisque novercante: Argentum autem Regibus belligerantibus imprimis sanguis & anima, id quisquis non habet, neque possidet, ille inter vivos mortuus obambulat, dicebat olim *Antiphanes, & Baldus in L. si tuis. 7. princ. C. de oper. libert. per L. Advocati* 14. Pecunia est vita, & secundus sanguis, & belli nervus. Quare 19. Martii Archiepiscopus Parisiensis Cardinalis Noailles Clero gallicano, qui tunc Parisiis comitia ecclesiastica celebrabat, comitante, Regem Ludovicum salutat, assentiturque Cleri nomine ejus

Collationes Gertrudenbergenses.

Clerus galliæ offert Regi 24. milliones

ejus ærario in belli sumptus numerate librarum milliones viginti quatuor. Tantæ sunt opes ecclesiarum in opulentissimo regno, ut tantum æs possit profundere, absque status vel fastûs ecclesiastici præjudicio, & cum tanti sanguinis humani diluvio. *Vid. num.* 566.

Sacheverellus Angl. punitur.

Post varias consultationes, quibus de Henrici Sacheverellii doctrina inquisitum fuerat, hic tandem 1. Aprilis velut læsæ majestatis, & altæ, ut ajunt, proditionis reus damnatur, statuiturque conciones ejus typis editas manu carnificis ad fores curiæ comburi. Quòd verò ipsum concionatorem tenacem seditiosæ doctrinæ pertinacissimum plures magnatès protegerent, ille solâ multatus est pœnâ, à concionibus per annos tres abstinendi. Quòd hac sententiâ quasi absolutus videretur, gestiens plebecula ignes eadem die accendit in signum lætitiæ: quin & alicubi igne publico combusti libri, qui contra doctorem pegmaticum scripsi fuerant. Quis crederet, quod unum pituitosi sophistæ caput potuisset unquam tantum stultitiarum parere? ipsa medius fidius phrænesis assiduo tot næniarum partu fuisset effeta.

Gallo-Hispani Sardinia repelluntur.

Inutili molimine Galli Sardiniam Carolo Austriaco revellere, Fœderati Siciliam Philippo tentarunt, excitatis popularibus, qui rerum statum immutare satagerent. Acrius Gallo-Hispanorum fuit tentamen, qui congregatis Genuæ navibus, & militari apparatu exscensionem in Sardinia fecêre; sed primis, quæ exscenderant, copiis interceptis, reliquæ se in navibus con-

continuerunt; quin superveniens fœderata classis aliquot eorum naves subegit & subduxit.

557. Eugenius interea Viennâ venit 1. Aprilis Berolinum, à Borussiæ Rege exceptus regaliter, & pretiosissimo 18000. florenorum gladio, 6000. florenorum nicotiana pyxide, aliisque liberaliter donatus, à Rege impetravit, ne Borussum militem sub Impetatore in Italia merentem ob septentrionales motus, ut proposuerat, revocaret; Inde 12. Aprilis die, quo Gertrudenbergenses collationes omnino erant divulsæ, Hagam Comitis attigit, paulò post Tornacum cum Marleborugo ad maturandam expeditionem properat; Gallorum autem mareschallus Artagnanus & Luxemburgus licet exercitum in campum adhuc educere imparati, fossiles tamen suas prope Malbodium & Duacum lineas tribus in locis confirmant, earum aggressionem ex eo prævidentes, quòd Batavi vicina illis loca Warneton, Werwickum & Comines interceperint, ad faciliorem verò earum occupationem Mortinania ad Scaldis & Scarpis confluentiam, aquis undique communita necessariò præripienda erat; quam 14. Aprilis mille Tornacenses præsidiarii ultroneâ deditione simul cum præsidio capiunt; sed 70. tantùm præsidiariis munitam Luxemburgus mox recuperat; nec multò pòst Fœderati jussu Eugenii eam recipiunt, & majori communiunt præsidio. Tum Eugenius per Comitem Felsium, & Marleborugus per Ducem Würtenburgensem fossiles prope Duacum & Malbodium lineas duobus in locis aggressi, sine ulla necis resistentia Gallis Cameracum fugientibus

Eugenius Berolini.

Lineas gall. prope Duacum occupat

tibus occupant, de quarum tamen munimine illi magnoperè præterito anno gloriantes nunc tota Gallia Rex ipse perterritus, Picardiæ limites, fana S. Amandi, S. Valerii, Peronne, & vicina circum loca tumultuario jubet robore fortificari. Fœderatus interim exercitus transiens Lentium (cujus magistratus ultro urbis claves offerebat) transmissâ Scarpe Gallorum in castris spolia, impedimenta, commeatum & alia ex præcipiti fuga ibidem relicta colligentes, Duacum paulò pòst obsidione 40. phalangum cingunt, sufficiente commeatu, & 2000. præsidio sub præfecto Comite Albergoto, viro strenuo & generoso provisum, non eximio quidem robore præstans, sed ob aquas alicubi vix accessibile. op. & propugnatur civitas utrobique strenuè, & apertis 3. Aprilis vallis castrensibus, septimo ejusdem mensis die vesperi urbanum præsidium 16. pyrobolorum & 2. dimachorum vexillationibus excurrens multos delevit Anglos & Helvetos.

Duaci obsidio.

Gallicus interea exercitus absente adhuc Villarsio Cameraci congregatus, Sabim fl. 25. armatorum millibus Malbodio Carolo regium usque probe communit, Moritaniæ verò immersis 13. Maji binis lapidum navibus Scarpim pro devehendo fœderatis commeatu & bellico apparatu obstructam innavigabilem efficit, Villarsiusque 20. Maji Cameracum adveniens magno 18. peditum, & 20. equitum agminum subsidio & supplemento ex Alsatia & Luxemburgo auget adeo exercitum, ut si ante 26. Maji fœderatos ad certamen adegisset, multitudine forsitan eos devicisset; quia miles Hassus, Palatinus & Borussus

ruſſus adhuc in via caſtris ſe necdum conjunxerat.

Circa hoc tempus 28. Maji Bullionenſis Cardinalis à nepote ſuo Principe Arvenienſi (qui 27. Julii variolis Duaci obiit, ob ſtrenuam ejus generoſitatem admodùm deploratus) miſſis obviam copiis protectus, amantiſſimè exceptus, & ad fœderatorum caſtra deductus Eugenio commendatur, inde Tornacum & Inſulas digreſſus, multo ibidem tempore profugus latuit. Ex Gallia diſcedens proteſtatus eſt epiſtolâ ad ipſum Regem Ludovicum ſcriptâ, ob exilium, & majoris partis ſuorum redituum jacturam, quibus à decem jam annis aulâ abeſſe jubebatur. Offenſus & fugâ, & epiſtolâ Ludovicus Cardinali, à Curia adverſus eum proceſſum inſtrui voluit velut infimæ ſortis hominem : unde & edicto publico eſt damnatus, nullo habito ſacræ dignitatis reſpectu; & permiſſum, quin & juſſum lictoribus illum ubicunque inventum ad carceres trahere, unà cum confeſſario Jeſuita, & ſtabuli ſui præfecto, in ſententia nominatis, & fugæ Cardinalis comitibus, quam Regis ſententiam Clemens Pontifex in ſpeciali Cardinalium congregatione omninò nullam pronuntiavit, quòd Rex nullam planè in ſacram ejus perſonam, & ſacri Cardinalium Collegii Decanum haberet poteſtatem. Cauſam odii regii triplicem aſſerunt, tum quòd Bovillonius Card. occultum matrimonium Regis cum concubina ſua Maintenon Dauphino & Duciſſæ Burgundiæ patefecerit : tum quòd Archiepiſcopi Cameracenſis, etiam Regi tunc odioſi, librum Maximes des ſant in

Bullionii Card. à rege perſecutio.

Ejus cauſa.

Con-

Congregatione Cardinalium defenderit: tum denique quòd apud Pontificem Breve eligibilitatis ad Coadjutoriam Cardinalis Wilh. Fürstenbergii pro Abbate de Soulise, ob hujus juventutem & incapacitatem, impediverit. *De quibus supra.*

558. Fœderatorum castra 30. Maji completa & probe communita Villarsius aggredi non ausus, dum subsidium obsesso Duaco inferre videretur, Eugenius castra Montignum inter & Vitry duabus Duaco leucis transfert, & aggeribus roborat in facie gallici exercitûs, palude solummodò interjectâ divisi vigilantissimè utrimque sese observantes; hic sui exercitûs statum Villarsius literis Regi aperiens addit, Fœderatorum castra sine ingenti cædis periculo impeti non posse, pluribus licet copiis ex diversarum urbium præsidiis accersitis auctus; quâ occasione quidam Iprensis Bordeau nomine, quasi hanc urbem proditurus fœderatas turmas suis conjunctas noctu ex prædatione reversus simul introducturus, jamque libera modò vexillatio, & 30. dimachæ in ponte, & ad exteriorem urbis murum pervenerant, cùm ecce dato signo accurrentes præsidiarii sclopetis & tormentis, grandine ferreâ onustis, fœderatos impetunt, ut se vix; tolerabili tamen damno se inde reciperent, trajecto antesignani Bordeau pro compensatiotione, seu potius vindicta, humero. Feliciori dolo gallicus Martinaus Leodium ingressus pluribus direptis domibus divitem extulit prædam. Nec minus desides in hoc fœderati plures ejusmodi emissitias circumque expediebant turmas,

Ipræ proditio frustranea.

&

& Picardienses de solvendis totius suæ provinciæ contributionibus promptè solvendis Eugenium convenerent.

Duaci interim oppugnatio magnis utrimque animis continuatur, fœderatique deducendis aquis multum impediti, duodecimo primùm Junii ad exterioris fossæ muros pervenerant, Princepsque Nassoviæ 19. inter & 20. impetu in duo castella ad sinistram defixa in præsentia Eugenii & Marleborugi facto, non absq; exiguo sanguine gloriose obtinet; simili quoq; fortitudine Princeps Anhaltino - Dessaviensis bina etiam defixa castella 24. Julii occupat, adeoq; tam lata muri patebat 25. Junii ruina, ut 40. in uno ordine milites possent pertransire. Tum præfectus Albergottus suis diffidens viribus ultroneam offert urbis, non munimenti Scarpi, nequicquam adhuc attentati, deditionem, hujus à Rege, vel Villarsio postulans consensum; quo denegato, fœderâti 27. Junii tam urbem, quam arcem occupant, dimissis Cameracum 5. adhuc mille male vestitis Gallis, cum solito militari honore, sonantibus tubis & tympanis, 8. tormentis bellicis, & 2. mortariis, reliquerunt in urbe victoribus 200. ferrea tormenta bellica, & 8. mortaria, sed exiguum commeatum. Potuisset civitas Gallorum judicio citius ad subjectionem cogi, si à bellicis Batavorum machinatoribus in latere fuisset aggressa, atque adeo cæsa sunt fœderatorum 2142. læsa verò 5465. impositusque urbi præfectus Batavicus Generalis Hompesch, & arci General. Machinator Rocques cum numeroso satis præsidio, quibus

Duaci deditio.

bus Generalibus etiam Statibus præstitum fuit ab urbe homagium. Tum ambo Eugenius & Marleborugus visis exterioribus urbis munimentis, Insulæ & Tornaci eorum judicio robustioribus, eam simul intrantes, Eugenius ab Universitatis cancellario doctâ gratulationis oratione excipitur & veneratur hoc chronographico DVaCCVM. Cui alius addit sequentia:

Pollux & Castor Gallis infestus Orion
Contra Philistheos sunt David & Jonathan,
Hercules Anthæum frangebat Biga triumphans
Indomitum domitat gloria rara ducum.

Villarsii metus. Villarsius toto obsidionis tempore nihil in urbem, neque obsidionis castra, neque fœderatorum exercitum ausus tentare; Atrebatum & Ipras aliquot mille præsidiariis roboravit, missisque aliquot turmis Luxemburgo jussit Scaldim studiose custodire, transitum fluminis Crinchon à Comite Broglio impediri, ibidemque fossiles lineas ad usque silvam Andifer, Miramont, & inde Attebatum usque fieri curavit, variisque aggeribus in exercitûs sui, & gallicorum limitum defensionem contra ulteriorem hostium progressum munivit: fœderatorum vero exercitus in hac expeditione morbis, fugâ & obsidione ad duodecim millia deficiens, motis 10. Julii castris venit ad oppidum Villers-Brallin, ubi Eugenius & Marleborugus Atrebatum, vel Villarsium invasuri, Cadoganum emittunt exploratum; qui gallica adeo castra referebat vallis, aggeribus, foveis, loricis obfirmata, ut absque multiplici strage tentari, minùs obtineri possint, ideoque alio divertenda videbatur expeditio.

529. Ma-

559. Madriti 14. Aprilis dum in aula regia ab ipsius Philippi Regis colloquio discederet Dux Medina Cœli, detentus, & subitò in arcem Segoviensem est deportatus, obsigillatis omnibus ejus scriptis, & ejusdem secretarii in carcerem sunt detrusi. Delicti qualitas latuit; sed chartæ & secretarii examinati suspicionem fecêre Ducem cum Regis Philippi hostibus in aliquibus consensisse, quibus rarò ignoscitur. Tandem mortis sententiâ ob probata delicta damnatus est à judicibus, quos ipsius causæ inquisitores Philippus dixerat; sed mortis pœna ab eodem Rege in perpetuum commutata est carcerem, in quo non diu pòst Anno 1711. 26. Februarii ipse Dux subita morte fuit extinctus. Fortunæ suæ quisque faber est: ait. *Appius apud Sallust.* Sapienter fecisse, inquit *Sabellic. de sub. mut. fort. lib.* 7. *cap.* 8. videri possunt, qui fortunam volucrem, cæcam, variamque finxêre, nihil certe hâc unâ (si quid illa est) inconstantius, nihil magis variabile; nunc blanda & indulgens, nunc sæva & infesta, nec ullis infestius irascitur, quàm quos indulgentissimè fovit, fitque ex matre noverca, ex noverca mater. Nec si quæratur causa, alia reddi possit, quàm quod ita libeat, quòdque incertæ sortis sint res humanæ; circumscribit sese tamen stulta mortalitas, prudentiam reputat suam, tanquam homo semper sapiat, præsertim in rebus subitis & inopinatis, in quibus ne sapientes quidem satis sibi sapiunt.

Medina Cœli capitur.

Damnatur.

Fortuna Varia.

Eadem 14. Aprilis die grandi incendio conflagravit Moscuæ civitatis pars melior, in qua

Institorum mercatorum potiores, ditioresque morabantur, & merces suas asservabant.

Rixæ Gallo-Helveticæ.

Hoc etiam mense gallicus apud Helvetios Orator Reginaldum quendam in copiis Cæsareis præfectum, Soloduri per suos facit detineri, statimque mittit in Galliam: detentus eadem auctoritate Masneri cujusdam inter Rhetos spectabilis viri filius in lacu Genevensi, dum à studiis rediret in patriam. Hæ detentiones, quibus jus gentium violari putatum est, locum dedêre & questibus legati Cæsarei apud Helvetios, & repressaliis, quibus Masnerus secretarium Oratoris gallici ipse primò detinuit, & post eum Vindocinensis Ducis fratrem, magnum ut vocant Franciæ Priorem ab Italia per Retos in Galliam redeuntem, quòd secretario ex peculiari pacto cum Oratore inito promissum sibi filium Galli restituere cunctarentur. De quo infra.

Ballegarii obsidio solvitur.

Ballegarium in Catalonia Regis Philippi exercitus obsederat, ipseque obsidionem promoturus ad suorum castra pervenerat, cùm audito adventu Caroli ad suos, 5. Junii cessat obsidio, & ab utroque exercitu una videtur pugnæ occasio expectari, quæ non diu pòst se obtulit.

Quum igitur solutâ Balegarii obsidione uterque Hispanus & Cæsareus exercitus staret oppositus, consumptisque quæ binis exercitibus ipsa regio ministrarat, volens Rex Philippus Sicorim transire, & se parat subducere, 17. Julii posteriora equitatûs sui agmina Carolus invadit, & pugnam tumultuarie miscet; ad quam sustinendam cùm ab utroque exercitu equitatus concur-

curreret, atrox ad Almenaram prælium conseritur, in quo Philippi equitatus profligatur, & fugatur peditatus.

Parisiis obiit 7. Junii Ducissa Valeria, Regis Ludovici amoribus, & opibus, quas ab illo acceperat, olim famosa. Raro admodùm exemplo cùm plurimùm ætate & Regis gratiâ floreret, Dei miserentis tactu excita, aulæ (exeat ex aula, qui volet esse pius) & opibus valedixit, & asperam Carmelitarum Discalceatarum vitam professa, triginta sex annos vixit solitaria in monasterio, soli pœnitendi curæ, & salutis asserendæ intenta; cujus etiam meditationis & imitationis specimen postea typis impressum pœnitere volentibus reliquit. *Posuit vestimentum suum* cum Davide *psal.* 68. 12. *Cilicium.* Quia secundum *Augustinum in quæst. vet. test.* impunitum non debet, nec potest esse peccatum; puniatur à te, ne tu puniaris ab illo. Quis in seculo, inquit *Chrysologus in serm.* peccavit enormius Paulo? quis in religione gravius Petro? quæ in carnis deliciis turpius Magdalena? Illi tamen omnes per pœnitentiam meruerunt assequi non solùm ministerium sed etiam magisterium sanctitatis.

Valeriæ Duciss. mors.

Viburgum in Finlandia, Careliæ provinciæ caput Moschi obsident ingenti exercitu, & post aliquot obsidionis dies 24. Junii expugnant; detenti post deditionem Sueci, qui fuerant in præsidio, & publicata per Moschos causa detentionis, quòd nimirum Rex Sueciæ Carolus ablegatum, qui ante indictum bellum Czaaris Holmiæ residebat, nunquam dimittere voluisset, quamvis Suecus liber Moscuâ dimissus fuisset:

Viburgum captum.

& quod durante bello contra deditionem pacta plures adhuc Moschi detenti necdum libertate donarentur. Hexholmia quoque non diu pòst sese ultrò eisdem Moschis dedidit. Grave est fidem fallere. *L. 1. princ. ff. de constitu. pec.* Hosti etiam fides servanda est. *Can. Noli 23. q. 1.*

Ministri Angli se abdicant.

Die 24. Junii Londini Dux Sunderlandiæ Statûs Secretarii officium sponte abdicavit, observato, quòd aula Britannica novis se consiliis duci & seduci pateretur, quæ priora gentis fœdera sensim infirmatum, & res novas molitum ibant. Hanc primam abdicationem subsecutæ sunt aliæ plures, quarum prima & majoris momenti fuit Godolfini, publici ærarii præfecti destitutio, & passim aliorum omnium, quos ad novarum rerum studium trahendi spes non erat, aliis eorum loco substitutis, qui aulæ servire sese paratos ostendebant; unde quidam:

Curia si cura est, faciet tibi curia curas
Vivit secure, cui non est curia cura.

Vezirius deponitur.

Suis etiam motibus agitata est aula Ottomannica; unde supremus rerum administer, quem summum Vizirium vocant, jussus est exulare; Hic aliena forsan actus suggestione, omnia movebat, ut Sultanus Sueciæ Regis apud ipsos exulis partes suscipiendas susciperet, illique viam ad Sueciam suam armis aperiret, Polonisque bellum inferret, qui neglecto Stanislao Leschinckio Fridericum Augustum regem receperant. Sed moderatiores, & inutilis ad res proprias belli deprecatores impulêre Sultanum, ut Vizirium officio

officio moveret, cujus loco pacatioris animi minister substitutus est.

560. Ludovici Regis caduceatores Uxellius mareschallus, & Polignacensis Abbas cùm per menses quinque & amplius Gertrudenbergæ cum Deputatis Batavis Buys & van der Dussen de pace inutili egissent operâ, quòd non de uno pacis articulo, super quos ceteris jam admissis consultum venerant; sed de variis aliis desultoriâ tractatione tempus trivissent, tandem 20. Julii redeunt in Galliam, datâ ad Hollandiæ Pensionarium Heinsium epistolâ, quâ sese excusatos, & inutilis tractationis culpam in Deputatos refundere prætendebant. Sed Hollandi, qui singulas tractationes vel expressis nuntiis, vel ipsi coram cum fœderatorum ministris, qui Hagæ morabantur, contulerant, publico rescripto causas abruptæ, imo nunquam sincero contrahendi animo susceptæ tractationis ediderunt, accusatis tergiversationibus, & novis conclusionem eludendi prætextibus, qui jam pluries ipsis Deputatis ansam discedendi præbuerant, quòd consultatio eo fine illis videretur suscepta, ut vel spe pacis fœderati minus de bello satagerent, vel aliqua inter illos divisio & separatio alternis & mutatis propositionibus sereretur; & maximè quod parum sincerè Rex Ludovicus videretur protestari, se paratum Nepotem suum Philippum deserere, cui juvando toto laboraret conatu. Collationes Gertrudenbergenses frustraneæ.

Rescissis itaque pacis tractatibus cùm Atrebatum ob vicinum nimis Villarsium vix posset, Bethunia in Arthesia à Fœderatis 21. armato- Bethunia cingitur.

 rum

rum millibus scilicet 26. peditum, & 18. equitum agminibus per propræfectos Schulenbergum & Fagelum est obsidione cincta, ille à dextris versus Æriam & S. Venantium, ille à sinistris versus propugnaculum S. Ignatii & portam Atrebatensem, quam egregie etiam aquis, & 8000. præsidio munitam præfectus Marchio Lestinois defendebat, & præfectus Iprensis Grinaldus cum aliquot copiis clam intraturus rejicitur. Vigesimo septimo Julii igitur apertis campestribus vallis Schulenburgus 2. Augusti fortalitium Vieville acriter impugnatum, non sine insigni urbis ob inundationem nocumento occupat, & ab exterioris muri fossa vix centum abest passibus. Villarsius interea è suis Atrebati castris plures ad intercipiendum commeatum emittit turmas, in cujus defensionem Princeps Hasso-Casselensis cum volatico exercitu Lentium & la Bassee destinatus, mox revocatus dum fama Bethuniam à Villarsio liberandam aut pugna decertandum divulgaret, utrumque tamen tentare non est ausus, sed prope Godin & Monfreuit ad harum partium defensionem consedit, & tumultuariè sua castra æque firmiter ac priora roborat, fœderatorum castris opposita. Hinc Broglium cum 8. peditum & 2. equitum phalangibus Deverenum, & Albergottum, nunc à Rege ob præfecturam Duaci generose actam, equitem S. Spiritus, & Saar Lovis præfectum creatum, cum aliquot turmis mittit ad tractum Doulognensem, classis Anglo-Batavicæ exscensionem in his Normandiæ partibus impediturum, quam quidem propè Havre de Grace hæc clas-

ſis fruſtra tentavit; in Languedocia tamen propè Maguelone abactis inde plurimis pecoribus & frumentis Celte civitatem occupans, abs Hidge 150. librarum millia extorſit, à Duce Roquilairo demum inde depellitur. Tum Eugenius & Marleborugus in obſidione caſtrenſia valla viſitantes, militum promovent animantque labores, ut Schulenbergus 20. Auguſti deductis aquis primam admodùm latam foveam tranſcendens, firmam ibidem fixerit ſtationem cæde autem & læſione univerſim 400. militum & 40. officialium; cùm tandem ad ſecundam interioris muri foſſam perveniſſet, præfectus urbis 28. Auguſti defert ſubmiſſionem Schulenbergo, non Fagelo, qui ad tantam necdum adduxerat periculi extremitatem, ſicut Schulenbergus belli expertiſſimus felici aquarum eductione fecerat, ideoque eximiæ apud Eugenium & Marleborugum erat exiſtimationis, præſidium 1500. capitum cum militari honore deductum eſt Audomarum; Fœderatorum autem amiſſis tantùm in hac obſidione mille, ſub præfecto Keppel ſatis numeroſum in urbem eſt introductum. Deditur.

561. Quid ad hæc Villarſius? eidem Rex Ludovicus decretoriam prohibebat pugnam, ideoque caſtra ſua robuſtis vallis ac ſepimentis adeo firmabat, ut adjacentia loca Hesdin, Montrevil, & Boulon commodè poſſet protegere; novos Æriæ & S Venantii aggeres & munitiones aſſiduo labore fortificat; & quia metuebat Audomaro, verſus illud decem millia armatorum, & verſus Hesdinum 5. equitum legiones amandat. Dumque Eugenius dextram alam fru-

Villarſio pugna à Rege interdicta.

frumentatum circa S. Baal emitteret, Villarsius in eam Comitem Broglium cum 14. equitum agminibus ipso comitante immittit, quos Foderati non modò fortiter sub Lobkowicio excipiunt; sed accedente opportunè subsidio in turpem fugam, Villarsio licet illos minaci gladio retundente præcipitant, captis illorum cum equis plusquam ducentis. Sic celebris ille gallicus Emissarius Moulinus 5. augusti summo mane horâ tertiâ clam cum 100. dimachis, & 300. peditibus Lovanium irruit, sufficienti tunc præsidio destitutum, spe totâ facilè urbe potiundi, quia urbis præfectus improviso hoc casu territus ad arcem Casan profugerat, & Moulinus omnia suo libitu agebat; Consul autem urbis Van de Ven vocatis tumultuariè per æra martia ad arma civibus & studiosis, Moulinum cum suis magnâ generositate expellit, spemque approperantibus adimit plura obtinendi; quod quia pacta contributionis vicissim inita violabat, varias & graves Gallorum insolentias, captivitates & spoliationes Lovanienses cives postea sustinere debuerunt. Similiter Generalis Amama sub comitatu centum peditum & 30. equitum ex Fœderatorum castris in Hollandiam abiturus, in via præfectum fortalitii Scarpe 5. Augusti salutans, indeque discedens tres currus fœnarios præcedentes videt, nil mali suspicatus, in quibus sub fœno gallicus latebat miles, variique mentito sub habitu rustico & fœmineo comitabantur socii, fortalitium Scarpe tumultuariè invasuri, quem in finem Luxemburgus cum 5. armatorum millibus prope Pontarache sollicitè invigilabat: cujus rei inscius Amama

Galli Lovanio expelluntur.

Scarpe fortalitium tentatur

mama iter suum prosecutus cernit subito ex curribus desilire milites, & effusam versus Pontarache fugam capere, quòd ex sequela Amamæ putarent se proditos, jam jamque circumcingendos esse suspicabantur, quos Amamæ miles insecutus; sed à succurrente Luxemburgo prohibitus, & hic à Duaci præfecto Hompesch demum est fugatus, utrobique frustratus.

562. Vigesima Augusti secundo inter Reges Carolum & Philippum prælio nova & quæsita ad Cæsar-Augustam occasio exhibetur. Hic majori quàm antea clade afficitur Philippus, qui majorem sui exercitûs partem desideravit, cujus quinque millia capitum occisa, totidemque sunt captivata. Philippus quasi in ultima rerum suarum desperatione constitutus Madritum fugiens, inde uxorem, prolem, & incarceratos Magnates abducit; hos dirigens in Galliam, & familiam versus Burgum & Vallisoletum, insimul cum regni & coronæ mobilibus pretiosis; quæ vastata regiâ aulâ asportari jusserat. His auditis Rex Ludovicus, qui nepoti nullâ hactenus ope defuerat, novis illi suppetiis opitulari decernit; utque illud queat efficacius, novis Gallos suos onerat angariis, imperatâ etiam omnium redituum decimâ, ut majorem numeratæ pecuniæ vim congereret. Econtra Carolus suas dividens copias, earum partem versus Arragoniam & Navarram dirigit, animo hos populos qua vi, qua promissis sibi demerendi, quod & in parte factum est. Cum reliquo exercitu contendit Madritum, ubi eorum, qui in urbe remanserunt, recipit obsequia. Sed cum Lusitani suas

Pugna Cæsar-Augustana.

Caroli victoria Philippi fuga.

illi copias conjungere recusarent, serviunt Philippo, qui gallicis adjutus auxiliis nutantes ad se populos iterum pellicit, & Carolum cogit re imperfectâ regredi in Cataloniam.

Captis feliciter in hujus anni expeditione in ipso hostium conspectu Duaco & Bethuniâ, quum Villarsius decretorium omnino declinaret prælium, Fœderati communi bellico consilio obsidiones oppidi S. Venantii & Æriæ simul decernunt; hæc natura & arte, simulque latâ & profundâ palude satis robusta, & 16. peditum, equitumque 5. agminibus sub præfecto Marchione Gavebriante erat provisa, non talis fortitudinis erat oppidum S. Venantii, quod 5. Septembris Princeps Nassavius viginti circumcingit agminibus, & aquis magno undecim dierum labore & diverticulo tam hic quàm Æriæ aliò deductis Nassavius 16. hujus castrensia valla aperiens, 26. noctu primam inter continuos ignes transiens foveam, die altera ad vallares viæ opertæ sudes pervenit, & tormentarios ibidem suggestus in murorum ruinam erigit, quo factum, ut præfectus 29. Septemb. demissionem cum solito militari honore peteret & obtineret, deductumque 2000. præsidium 2. Octobris Atrebatum. Sat numerosus ibidem inventus est bellicus apparatus, stetitque hæc obsidio Fœderatis 170. cæsis, & 730. læsis.

Fanum Venantii cingitur & deditur.

562. In Æriæ obsidione Princeps Anhaltino-Dessaviensis duas formavit impressiones, unam inter portam Atrebatensem & notre Dame, alteram inter Legiam fl. & rivum Sernojum, quæ nunc ob aliqualem inundationis & Legiæ edu-

Æriæ obsidio.

eductionem erat facilior. Apertis igitur 12. Septemb. vallis castrensibus, vexillifer externum urbis aggerem (Redoute) magnâ occupat generositate, quod in prandio apud præfectum audientes Marchio Listenojus, & Rotelinus, illicò à prandio ad excursionem & recuperationem cum 200. pyrobolariis properantes, non solùm repelluntur; sed ille globo trajicitur, & hic capitur. Magno interea fervore utrimque op- & propugnatur civitas non sine exiguo oppugnantium detrimento; iteratis namque excursionibus, & apertis cataractis obsidionales aquis vineas genu tenus adeo replebant, ut nonnisi 14. Octobris cum ingenti labore & difficultate & cæde ad exteriorem prius foveam pervenerint. 31. Octobris noctu 200. pyrobolarii, & 300. sclopetarii generoso impetu facto variis præsidiarios ejiciunt locis; sed vix stationem ibidem fixerant hi, immani mox excurrentes furore urbani sexcentorum strage repellunt. At quia oppugnatores exteriores jam modò urbis aggeres & propugnacula fere omnia occupabant, volebat civilis magistratus à fœderatis, ut urbi parcerent, suppliciter petere; quod præfectus omnino denegans, generalem se posse impetum sustinere promittit; quo si victus, fortalitium S. Francisci se propugnaturum confidit, ideoque ponè murorum ruinas & intervalla novos erigebat aggeres, loricas & internos recessus. Ast ubi 8. Novembris cernit pontes, omniaque ad generalem urbis cum 15. armatorum millibus impressionem parata, dejectus animo spontaneam offert præfectus Marchio Goesbriana eadem die de-

Ejus gravis impressio.

Deditio.

deditionem, præsidiumque 3608. Audomarum 12. Novemb. more militari deductum, relictis in urbe 2500. læsis & ægrotis: cui fœderati sub præfecto Nassavio Woudenburgensi 8. peditum agmina imposuêre. Hæc obsessio satis cruenta plurimi Fœderatis stetit, illudque admodùm perniciosum infortunium, quo 37. naves commeatu, & bellico omnis generis apparatu onustæ per Legiam fl. à Gandavensibus ad castra & obsidionem destinatæ, 19. Septembris à Marchione Kavignano prope Vive S. Clou fuerunt direptæ, & aquis immersæ, pyrioque pulvere incenso Gandavum, Cortracum & latè circum vicinia terribiliter contremuêre, farina & commeatus utcunque salvatus, immersæ naves tandem eluctatæ Legiam rursus fecêre navigabilem. Inter hæc Villarsius 26. Septemb. relictis castris ad aquas Bourbonicas pro sanando pedis vulnere priori anno prope Malplaquet acceptò profectus, Mareschallum Harcourtium in suum locum exercitui præfecit, qui Regis etiam mandato firmis se castris continere, & prælium neutiquam tentare jubebatur, sed omni quo posset modo conservaret Atrebatum, tunc temporis Galliæ maximè proficuum & necessarium. Fœderatorum exercitus in planicie Insulæ considens post gloriosam simul & laboriosam hujus anni expeditionem anhelabat tandem anno jam declinante ad hybernalia, ad quæ etiam 19. Novemb. miles demissus facto armilustrio, in quo ab initio hujus expeditionis 28. Aprilis usque 9. Novemb. repertum est 11838. cæsos, 12933. vulneratos, 2794. fugitivos, 2717. morbo obiisse

Fœderatorum commeatus à Gallis diripitur

Eorum armilustrium.

isse, 199. supplicio affectos, & 2758. quovis modo esse deperditos. Hybernalibus ritè dispositis Eugenius & Marleborugus Gandavum, inde Hagam Comitis contendunt, consulturi de mediis bellum continuandi Ludovico, Indicam præsertim navigationem tollendis: inde Eugenius 11. Decembris Viennam profectus, 26. ejusdem venit ad Cæsarem gloriosus non solùm præliorum, sed urbium etiam victor & triumphator.

563. In superiori Germania singulare nihil hoc anno est actum, nisi variæ utriusque exercitûs excursiones & transmigrationes, & quia Elector Hanoveranus, & Princeps Bareutensis propter senii gravitatem imperialis exercitûs præfecturam abdicaverant, eadem Cæsaris commendatione ab Imperii Rom. Statibus Eugenio est collata, quantum per belgicam liceret expeditionem.

Eugenii præfectura in Imperio Rom.

Cæterùm Anna Britanniæ Regina dejectis continuâ exauctoratione illis omnibus, quos novis suis adversos consiliis suspicabatur, tandem 23. Septembris dissolvit Parlamentum, dato præhensationis loco Deputatos aulæ obsequentes nominandi ad nova gentis comitia. Hæc primùm 6. Decembris inchoata sederunt, Reginaque pro more illis se præsentem exhibet, protestaturque constantem in bello cum Fœderatis prosequendo voluntatem; sed quò minùs huic assertioni crederetur, facta dictis contraria suadebant. *Vid. num.* 567.

Anna Regina statum immutat.

Tentatâ inutili Neosoliensis in Hungaria latiori obsidione, illam tandem Heisterus Cæsaris Præ-

Heisterus Neosol. agris Toekaljū capit.

Præfectus stringit acrius, perque omnes impugnandi artes adeo promovet, ut brevi duodecim dierum spatio præsidiarii ad incitas redacti se die 24. Octob. dederint; Agria præterea Tockajo, aliisque locis Cæsarei rebelles Hungaros mense Novembri ejiciunt.

Moschus Arensberg. & Revaliam &c. occupat.

Arensburgum & Osiliam in mari baltico Insulam Moschi Suecis 12. Septembris eripiunt, deinde Kexholmiam Finlandiæ metropolim 18. Septemb. & Revaliam 8. Octobris Islandiæ metropolim, non commodo portu solùm & mercaturâ, sed robore etiam & arce in monte insignem occupant, grandi utrobique militari apparatu, qui inibi reperiebatur, potiti. Sueci quo minus tot præstantes jacturas redimerent vetabat pestis Holmiæ, & in variis regni, Rege adhuc orbati, provinciis sæviens. Summus autem Russorum Imperator 11. Novemb. Petroburgi in Finlandia suam filiam Annam inter splendidissimos pompæ apparatus Duci Curlandiæ dat conjugem, raro similis conjugii exemplo; vix enim exteros Moschæ fœminæ, aut Moschi exteras conjuges sibi copulant matrimonio.

Matrimoniū Moschæ cum Curlandiæ Duce.

Carolus cæditur.

Carolus Austriacus Lusitanorum Fœderatorum defectu Castellam coactus relinquere, diviso ob faciliorem commeatum exercitu, dum versus Cataloniam tendit, ejusdem copiæ, præsertim Anglicæ ab Hispanis Brihuelæ obsidentur & captivantur: his cùm Starrenbergius opē festinat afferre, ab ipso Rege Philippo & Duce Vindocinensi cum suppetiis è Gallia recens adductis impetitur, & ab iniqua pugna se subducere cogitur, re omni suâ tormentariâ relictâ; quòd

quòd per conductos agasones transvecta, hi ad primum pugnæ signum cum equis aufugissent.

Annus 1711.

564. Eugenius quamprimum Viennam advenit, convocatis ad bellica consilia ex Italia Daunio, ex Ungaria Heistero & Casano, de componendis Rebellium Ungarorum motibus consultat; Ragotzius enim misso ad Portam Ottomannicam gallico ministro Alleurs, militare sine dubio subsidium, à Rege Galliæ nunc etiam afflicto desertus, variisque Ungariæ urbibus expulsus, & ad extrema coactus, à Sultano deprecabatur; non intermissâ tamen Cæsaris clementiâ missus est Debrezinum Cæsareus militaris Consiliarius Locker ab Hinderheim, pacis tractatus cum Malecontentorum (ut vocabant) Deputatis continuaturus, ad quos non parùm contribuit extraordinarius Angliæ Legatus Viennæ Comes Peterborugus. Hungarica.

Initio hujus anni 1711. Clemens Pontifex Romanis diversa pietatis exercitia indicit, animo Deum exorandi, ut opem Christianis ferret contra infideles Mahumetanos, qui bellum sub finem anni præteriti Polonis & Moschis indixerant, suasu supremi Tartarorum Chami, & Caroli Regis Sueciæ in Bender apud Turcas adhuc exulis, qui per bella reditum in regnum suum moliebatur; ideoque 28. Januar. publico scripto Frid. Augusto Polonorum Regi bellum indicit promissis Turcarum confisus, qui cum ipso ante aliquot hebdomadas tractatum pepigerant de eo in regnum suum restituendo, qui tamen Turcæ bellum Polonis & Moschis indicunt.

tamen tunc, & postea tractatus vanus, & inefficax fuit, quocunque tandem nisu Carolus, & Chamus, & satagentes pro eo apud Sultanum laborarint. Et quia Sultanus sibi facilè persuadere poterat hoc bello Romanum Cæsarem propter Hungariam Poloniæ vicinam impetendam fortè aut affligendam, offensum iri, per missum Viennam ad Eugenium Legatum Cefalah Agam Cæsari constantem amicitiam, & inviolabilem Pacis Carlovvicensis promittit sanctè observantiam, eandemque limitaneis Hungariæ præfectis petit significari.

Pro Coddeo vetat Papa orare.

14. Januar. prædictus Clemens Pontifex speciali vetat edicto preces in Ecclesiis fundi pro anima Petri Coddei Archiepiscopi Sebasteni, in fœderato olim Belgio Apostolici Vicarii, quòd hic ante mortem sollicitatus formulario subscribere, quo omnes profiteri jubentur, quinque damnatas Jansenii propositiones in ejus libro reperiri in sensu damnato expressas, acquiescere noluisset, revisa illi dubia quamvis propositiones pro damnatis haberet. An hic cum *Jeremia cap.* 5. dicere licebit; *Stupor, & mirabilia facta sunt in terra, Propheta (Episcopi) prophetabant mendacia, Sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia.*

Dux Curlandiæ obit

Dux Curlandiæ, qui nuper summi Moschorum Ducis filiam in uxorem acceperat, 20. Januar. improvisâ morte decedit, dum sponsam suam Annam 11. Novemb. sibi copulatam ad Ducatum suum deducit. Moschi quòd illam gravidam hæredem eniti posse supponerent, quasi hujus tutores Provinciam occupant, eliminato

minato inde defuncti avunculo, qui eam sibi administrationem deberi prætendebat.

Gerunda in Catalonia proficientibus Regis Philippi armis post mensis unius obsidionem se tradidit. Et Cæsar-Augustam Regis etiam Caroli copiæ ultimo anni die deseruerunt. Nulli præstat velox fortuna fidem. *Horat.* Gerundam Philip. capit.

Continuatis adhuc inter Debrecenses tractatus rebellium Hungarorum turbis, Cæsarei captis Eperiis ipsam Cassoviam etiam obsidione cingunt, & Hungarorum copias ubique insectantes aut sine discrimine cædunt, aut in fugam conjiciunt; unde multis ad Cæsaris gratiam & clementiam confugientibus, hic Budam Commissarium ad obsequia eorum acceptanda ablegat. Hungari cæduntur.

Florentiæ obiit 5. Februarii Franciscus Mediceus Cosmæ III. Ducis frater, annorum 50. De quo *infra n.* 571. Mors Medicei

565. Acri animorum concertatione 13. Februarii pugnatum est in utriusque Parlamenti Britannici aula, quod novum, & ad saporem aulæ electum, ad diversa omninò consilia à pristinis fœderibus abductum, priores ministros quasi rei malè gestæ convictos traducere laborabat. Malum extremum discordia. *Tacit. lib.* 7. *annal.* De bello Hispanico lis erat & contentio, quod iniquis administratoribus tractatum Assessorum multi contendebant, quibus litigiis belli ulterius protrahendi occasio præscindebatur. Rex Ludovicus ne tam utili rebus suis incepto gratus deesset, Anglis liberum in suis portubus concedit commercium, negat Hollandis, qui in Dissidia Parlamenti Angl.

eadem hactenus navi fuerant; sed illi velificare, sicut isti recusarant.

Tempestates. Per integros ferè menses Januarium & Februarium sævierunt in Oceano & Mediterraneo ingentes procellæ, quibus naves quamplurimæ perierunt: Exundarunt insuper flumina, Rhenus, Mosa, Mosella, Rhodanus, Ligeris, Tiberis, Padus, aliaque in singulis ferè Europæ Provinciis cum ingenti populorum clade, qui familias, domos, pecora ab illis abrepta aut submersa gemuerunt, ut merito cum *Petrarcha Dial.* 88. scribam: Quin & solito tunc mœstiorem Rhenum, Mosam, Rhodanum &c. quasi flentes labi, deformatam ruinis utramque ripam, eamque præcipuè, quæ ædificiis ornatior fuerat, querulis abluentes vorticibus videas.

Mors de Leganes. 28. Februarii in castro Vicennarum prope Parisios obiit Didacus Philippus de Gusman Marchio de Leganes, cujus fide erga Philippum Regem in suspicionem adducta, ipse captivus in Galliam est deportatus, communi cum aliis Proceribus exilio, qui ob eandem suspicionem vel exauctorati, vel secreto supplicio sunt sublati.

& Boileau. Martii 13. Parisiis obiit Nicolaus Boileau, annorum 72. ingenio, & vernaculâ Poësis elegantiâ famosus, qui fatuos aulæ & plebis mores fuerat insectatus. Hic etiam unus ex quatuor fuit, quos Galliæ Rex Ludovicus ad scribendam suæ vitæ historiam numerato stipendio conduxerat; cujus tamen nihil edidit, bellis forsitan iniquis & moribus famosum maluit potius silentio involvere, quàm publicis literis posteritati obtrudere. 19. ejusdem Mart. ausu, facinore, & morte

famæ

famæ publicandum tradidit Abbas Gallus nomine *de la Bourlie*, dum ipse vixerat in Gallia, sed Marchio Guiscardus vocatus, postquam desertâ patriâ in Angliam se recepit, animo à Rege, ut dicebat, averso, & Fœderatis quâ posset ope favendi. Hic lautè primùm à Regina exceptus, quòd multa in fœderis gratiam factiturum sponderet, tandem cùm dubiæ fidei suspicione laborare inciperet, minutis illi stipendiis, de redeundo in Galliam, ut ipse protestatus est, cogitare, & occultè scribere cœpit; quod cùm aulæ Britannicæ innotuisset, apud primarios regni administros causam dicere jussus, unum ex eis, qui summus ærarii Præfectus erat, cultro appetiit, & duplici, sed levi vulneravit ictu; in cujus facinoris vindictam ab aliis ipse judicibus impetitus, multiplici vulnere prostratus, post dies aliquot in carcere defunctus obiit. Qui sub amici persona peragit inimicum facinus, scelestus scelus conduplicat. & Guiscardi.

Octava Mart. publico se scripto Turcis hostem professus est summus Moschorum Dux, quòd isti Carolo Suecorum Regi faventes, eum se regno velle restituere invitis Moschis & Polonis profiteri dicebantur.

17. Mart. Mirandam Durii in Portugallia obsidione capiunt Lusitani, inibique mille ducentos præsidiarios Hispanos captivant. Miranda capitur.

566. Decimo octavo Kalendas Maji Mendonii prope Parisios mortuus est Ludovicus, filius Ludovici XIV. Galliæ Regis unicus ex Maria Theresia Hispana 1661. 1. Novemb. natus, vocatus Delfinus annorum 49. variolarum morbo Mors Delfini.

& apoplexiâ, quâ jam aliquoties tangi visus fuerat. Princeps indolis pacificæ, quâ à negotiis publicis vel otii amore abhorrebat, vel abstinebat patris respectu, qui totam rei administrandæ auctoritatem solus retinere visus est; ad aliquas quidem quandoque bellicas missus expeditiones, venationis tamen tam cum Diana quàm Helena amantior: progenuit ex Maria Anna Bavariæ Ducissa tres filios: Ludovicum Ducem Burgundiæ, Philippum Andegavensem, & Gastonem Bituricensem. Illud veritati consonum, quod quidam prædixisse dicitur: hunc Delfinum non Regem, patris successorem, se autem futurum patrem Regis, Philippi Regis scil. Hispaniarum. Defuncti corpus jussu Ludovici patris ad tumulum absque ulla ferè cæremonia aut pompa est deportatum.

Mors Josephi Cæs.

Triduò post 17. Aprilis eâdem variolarum ægritudine, sed cum integro sensuum usu diem suum extremum obiit Viennæ Josephus I. Romanorum Imperator, annorum 33. octavâ primùm vespere malè se habebat, ideoque die alterâ venatione animi languorem excitaturus, pejor reversus & in lectum dejectus, 10. April. exuberantium variolarum dolorem sentit; indictis itaque per urbis Ecclesias pro eo precibus, dum spes meliorationis appareret, Eugenius literis Sinzendorffii Hagâ Comitis in Belgium peremptoriè vocatus, abitûs discessum dû à Cæsare præsens vellet petere, negavit ipsi accessum ob ejusdem morbi periculum, cui etiam adhuc Princeps erat expositus; hic tamen instanter etiam cum vitæ periculo petens, quam sæpius pro Cæsare ex-

exposuisset, obtinere non potuit, ne respublica tanto privaretur Generali, hoc maximè tempore necessario. Decimo sexto igitur Eugenio Cæsaris veniâ abeunte, die altera adhibitis frustra medicinis morbus forti obstructione, & nimio capitis dolore invalescens, vespere circa 11. noctis vitam in ardentibus pietatis, contritionis, aliarumque virtutum affectibus, summo totius Europæ dolore extinxit, succedente in omnia hæreditaria regna, & provincias Carolo Hispaniarum Rege, quarum gubernatricem matrem viduam Eleonoram Magdalenam in extremis usque ad Caroli ex Hispania adventum constituerat, quæ mortem etiam Cæsaris omnibus Europæ Potentiis notificavit, simulque 9. annis continuatas Hungarorum & Transylvanorum cruentas admodùm turbas & seditiones, adjumento maximo Palfii felicissimè 29. Aprilis Debrezeni composuit, de quo infrà. Fuit Joseph Princeps etsi fervidioris ingenii, unius tamen cum patre Leopoldo pietatis & beneficentiæ laude commendatus, quâ ærarium distrahi, dignitates & officia ignotis pariter & notis conferri patiebatur.

Eleonora gubernatrix regnorum.

Eugenius in itinere Cæsaris mortem audiens turbatus, omni quo potuit modo, studio & vigilantiâ Austriacam conservaturus Domum, ad tractum primùm rheni omnia in defensionem securitatemque disponit, quòd Gallus jam tum in Februario & Martio varias ad eundem rheni tractum destinasse copias audivisset, facilèque sibi persuaderet Gallos

Eugenii cura pro Domo Austriaca.

periculosa hoc interregno consilia & correspondentias moliri huic Domui plurimum adversas: quare 30. Aprilis hinc abiens Moguntinum Electorem ad maturam disponit Cæsaris electionem, & Hagæ Comitis 5. Maji Generales Ordinum Status ad firmam confœderationis cum Cæsare adhortatur constantiam; nam Villarsius in fine modò Januarii comparuit non sine omnium admiratione in Flandria, ut Insularem promoveret proditionem, quam cerevisiarius & monachus quidam cum 40. sociis sub ingentis pecuniæ sponsione ad incendendam domum pulverariam & frumentariam urbis & arcis moliebantur: qua conspiratione per cerevisiarii domesticum opportunè detectâ, conspiratores clausis per diem urbis portis deprehensi, & carceribus innodati sunt, cui Galli supra 36. armatorum millibus invigilando frustra inhiabant: qua Villarsius frustratus rediit in Galliam, & Eugenius Viennam, colligente interim ad Scarpim Abermalo exercitum, qui oppidum Hannon occupat, & fanum S. Amandi fortificat, dein variis utrimque excursionibus & velitationibus confligunt. 9. namque Maji 33. naves stramine, fœno & avenâ onustæ, Tornaco ad exercitum destinatæ à Luxemburgo inter fanum S. Amandi & Moritaniam interceptæ, quamvis à Chambriero fortiter duobus sibi trajectis equis defensæ, tredecim tamen injectis ignibus sunt consumptæ: quam velitationem vicinus S. Amandi præfectus audiens, pulsatis æris martiis & tympanis cum suo præ-

Insulæ proditio frustrata

Luxemburg. cædit commeatum

præſidio dum in ſubſidium excurreret, Luxemburgus terrefactus fugam capit, decem relictis navibus, Tornacum reverſis.

Porro Eugenius futuræ Cæſaris electioni maximè intentus nunc in Belgio, nunc Viennæ, nunc in Roman. Imperio, nunc apud Electores & Principes indefeſsè pro Domo laborabat Auſtriaca, & Carolo Hiſpaniarum Rege, tantumque effecerat, ut Regina Angliæ & Batavi in ejus favorem epiſtolas commendatitias Electoribus miſerint, quibus illi imperialem coronam deferri ſe optare profeſſi ſunt & deprecati. Galli è contra omnem movebant lapidem imperialem hanc impediendi electionem, jamque 70. armatorum millia ad rheni tractum invigilabant Villingam invaſuri,& Friburgum proditione capturi; utrobique fruſtrati, hic præfecti vigilantiâ, illic aëris tempeſtate.

Angli & Batavi pro Carolo ſcribunt.

567. Obſeſſa hactenus ab Heiſtero Caſſovia ſe demum Cæſareis dedit, & deditione ſuâ malecontentos Hungaros trahit ad ſubmiſſionem. Hi novennali, ut ſupra dixi, bello fatigati, ad priſtinam Domûs Auſtriacæ fidem & obedientiam ope imprimis Palfii ſe reduci patiuntur, ſignis centum quadraginta novem Cæſareo præfecto conſignatis, qui illa confecti belli trophæū Viennam deportanda curavit. Præteritorum omnium amneſtia à Cæſarea aula eſt conceſſa, vi cujus Unguarium, & paucæ arces Hungaris parentes Cæſareo ſe milite poſſideri patiuntur, uno excepto Mungazio Ragotzii aſylo, quod novâ obſidione ad cæterarum exemplum cogi debuit. Ragotzius ſeceſſionis anteſignanus con-

Caſſovia & Hungari ſe ſubmittunt Cæſari.

temptâ Cæsaris amnestiâ in Poloniam se recepit, omnibus aliis Ducibus & Dynastis Cæsari reconciliatis; cui, & successoribus veluti hæreditario domino fidem jurarunt. Cæsaris jam aliquot dies præmortui nomine omnia hæc agebantur: quæ tamen auditâ ejus morte firma constiterunt, maximo regni emolumento.

Noaillius Quesnellum defendit.

Noaillius Archiepiscopus Parisiensis pastorali edicto damnat scripta, quibus Lucionensis & Rupellensis Episcopi Parisiis, in aliena Diœcesi publicâ censurâ notarant librum Piarum Meditationum in novum testamentum, ante annos 40. à Quesnello presbytero Parisiensi compositum, ab Archiepiscopo Noaillio approbatum & editum, offensus fortè injuriâ, qua librum à se approbatum; à Curia Romana reprobatum censurâ confixerint. Audiat Episcopum, Doctorem & Magistrum *Ambrosium lib. 1. offic. cap. 6.* Qui citò movetur injuriâ, facit se dignum videri contumeliâ, dum vult indignus videri. Longo certè querelarum, & scriptorum examini hæc rixa præstitit materiam, quæ multiplici scandalo Ecclesiam, & præcipuè Galliam diu afflixêre. *Vid. suprà.*

Augustus & Czaar, deliberant de bello.

2. Junii conveniunt Jaroslaviæ in Comitatu Poloniæ Leopolensi summus Moschorum Dux, & Frid. Augustus Rex cum filio, ibique de imminente illis bello, quod Turca & Carolus Rex Sueciæ parare dicebantur, invicem agunt. Hujus tamen Sueci res in absentia ejus nutare inceperant. Tumultuosa certè tum sibi, tum aliis quoque ambitio. Tartarorum Cham cum suis modò Tartaris sese subduxerat, vel belli inferendi

rendi pœnitentiâ, vel temerariæ indolis Regis Caroli ad ardua arma omnia prompti impatientia. Hic nedum Moſchis & Polonis, temeritatis ſuæ obicibus, infenſus bellum paulò ante indixerat; quin ſtatibus omnibus, eorum naves à ſuis jubens efferri, quæ commercio cum urbibus à Czaare ſibi captis abſtinere nollent. Ira cùm inferre vult dolorem, patitur. *Val. Maxim. lib.* 9. Succurſ.

Improvisâ Reginæ Anglorum liberalitate, baronis & comitis dignitates, & præcipua aulæ munia in Harlejum quaſi impetu & ſimul ruunt, cum exquiſitis nobilitatis & meritorum hominis elogiis, qui hactenus vix notus fuerat, niſi ſuſpectâ famuli fide, quem etiam damnari velut proditionis convictum ante aliquot annos viderat. Hominis ſtabiliendæ fortunæ immolari perrexerunt pertinaci deſtitutione & dejectione eorum omnium capita, qui ei minus accepti, aut novis aulæ conſiliis adverſi credebantur, expiſcatis in priore adminiſtratione odiis, quæ damnationes abſolverant. Quid mirum, mare Principum (quid mulierum?) aula eſt, alternis æſtibus reciprocum, multorumque jactationibus & naufragiis infame. Ne fide, momento qui ſtetit, cecidit, & in altitudinis ſuæ loco tulit præcipitia. Et ferè quo quiſque ſecurior, eo excidio propior eſt. Centeni nos docent, & omni ævo, & ſub omni principe plures. Ita nulla tempeſtas gravior, quàm quæ ſummæ malaciæ incubuit. Solon Officiales Principum & aulicos calculis ſupputatoriis comparabat, qui modò plurimi, mo-

Harleus honoribus auctus.

Aula periculoſa

modò minimi valoris locum obtinent. *Plutarch. in Apoph.*

Clerus gall. Regi 8. milliones ministrat.

568. 20. Junii Clerus Gallicanus iteratò Regi Ludovico ministrat octo milliones librarum ad belli sumptus, quod contra fœderatos gerebat. O calamitates belli semper certissimæ, eventus incertissimus, rarò felix! primarium periculum est, quod ante tubam omnes sentient: rei nummariæ angustia, ærarium exhaustum; inde exactiones & tributa; nam inchoante bello subditi tondentur, durante deglubuntur, desinente exossantur. Gallia docebit experientiâ.

Bavaro datur Luxemburg. &c

Philippus Andegavensis Maximiliano Duci Bavariæ Ducatum Luxemburgensem, & Comitatum Namurcensem, Carloregium & Neoportum pleno & absoluto dominio possidendos attribuit: morte enim Josephi Cæsaris in novam spem ventum erat, Maximilianum plura nominis suis auctoritate & generositate effecturum, quæ utrique regi adversus Austriacum Carolum tam in Cæsaris electione, quam belli expeditione proficerent, unde & grandi exercitui, quem Rex Ludovicus adversus Germaniam parabat, Dux præficiendus vulgò dicebatur. Liberale ædepol donum! Luxemburgum enim 70. milliarium, seu mensurarum 1960. millium, secundum antiquam dimensionem, habet urbes 23. cum pagis 1168. Namurcensis Comitatus mensurarum 275. millium, habet urbes quatuor cum pagis centum octoginta quatuor: Sed

Dulcis amor patriæ, quo non præstantior alter.

Sabaudi motus.

Econtra Dux Sabaudiæ Victor Amadeus exercitum suum in ipsam Sabaudiæ provinciam ducit,

ducit, per quam ad Galliæ confinia penetraret, non tamen animo aliquid in his partibus acquirendi, quàm vires distrahendi, quibus integris Rex Ludovicus Germaniæ, capite suo jam orbatæ, imminebat.

Villarsius cùm multas ex Belgio in superiorem Germaniam ablegaret phalanges, & tribunum equitum bellicumque officialem interceptos interrogaret, quid novi in Fœderatorum castris ageretur? nihil se scire, respondet tribunus, nisi quod binas adhuc urbes videantur invasuri. Cui Villarsius: nihil hic in Belgio agendum: Non plus ultra: in superiori Germania reseratas esse Jani portas. Verùm Marleborugus præmissis Hompeschio, Cadogano & Mourtajo cum octo peditum, & duobus equitum millibus ad fossiles Gallorum prope Avesnes le Comte, Balne, & Bac à Bachel. lineas, sine ullo impedimento, aut hominis cæde occupat, atque ita faciliorem sibi viam & aditum ad Bochanii, Valentianæ, & Cameraci impressionem patefecit. Imprimis autem superato ad oppidum Ettrum Scaldi Fagelum General. cum 50. qua peditum qua equitum agminibus 9. Augusti destinans Bochanium, exiguo tunc præsidio, postea majori per Villarsium roboratum, circumcingit, & 23. Aug. noctu tribus in locis castrensia aperit valla; Nec segne præsidium iteratâ tormentorum frequentia, quæ juxta sepimenta in altiori loco prope Warerchien disposita erant, egregie sese defendens, multum facessebat negotii, injectis præsertim in ipsos obsidionales accessus pyrobolis multos necantibus; sed prudenti Fagelii

Bochanium cingitur

gelii obsidionem dirigentis curâ facta per paludes militaris linea aggeribus ubique interjectis oppidanorum vim adeo coercuit, ut præfectus 10. Septembris ultroneam obtulerit deditionem, quod præsidium 1400. depositis armis & 24. vexillis, cum solis bacillis ad oppidum Marchiennes, inde Tornacum deductum est captivum, urbsque probe munita 14. Septemb. in conspectu hostium confœderatis est extradita, & sub præfecto Grovestino murorum ruinæ reparatæ. Plus ultra. Villarsius sub hac obsidione diversionem facturus confœderatis, 7. Sept. decem armatorum millibus sub propræfecto Albergotto Duacum noctu tumultuarie ipse insilire clam moliebatur; jamque applicatis ad urbis murum scalis, navibusque ad propugnaculum devectis, se præfecti piscatores procubitori inquirenti respondent, qui explosâ in propius accedentes bombardâ, tota hoc classico civitas arma induit, & Galli relictis scalis & navibus fugæ se committunt, metuentesque Condati, Quesnoi, aut Valentianæ obsidionem, omnia circumquaque ad tollendam fœderatis subsistentiam devastant, & cædibus atque incendiis depopulantur fœdissimè. Meditabatur quidem Marleborugus Quesnojum adhuc impetere; sed misso Hagam Comitum, & 10. Octobris reverso Albermalo, bellicum jubet consilium ob anni & temporis declivitatem expeditioni finem imponere; totusque exercitus ad finem Octobris ad hybernalia est dimissus, Marleborugus verò Hagam Com. profectus, hujus expeditionis seriem ibidem relaturus.

Capitur.

Villarsius tentat frustra Duacũ.

769. Princeps Nassoviensis Frisiæque hæreditarius Archistrategus 15. Julii fato infelici & summo omnium dolore submergitur, dum literis Friderici Regis Borussiæ & Batavorum invitatus, à fœderatorum exercitu in Hollandiam Hagam Com. ubi Rex morabatur, se confert, ut litem super successione Guilielmi III. Regis Angliæ & Arausionensium Ducis cum Rege Borussiæ amice componeret, aut saltem dispositioni assentiretur, quæ per Status Generales provisorio decreto facta fuerat, dum Mœrdickum fluvium in sua rheda cum tribuno Hilcke sedens trajiceret, tempestuosus ventus rhedam evertens simul ambos in fluvium sine emergendi spe præcipitat. Dux ob eximiam generositatem à fœderatis multùm deploratus, & vitâ dignus longiore. Cyrus Rex, si viveret, mortem Ducis forte vindicaret; nam quo Cyrus vindicaret se de Euphrate fluvio illo magno, profundo, ac celeri, in quo puer ejus submersus, eum in trecentas circiter fossas derivatum effecit, ut pueri passim & contemptim eundem trajecerint, ut refert *Bosquierus*. O vindictam regiam, magni in magnum!

Nassaviensis mors.

Euphrates vindicatus.

17. Julii Regis Frid. Augusti unicus filius Saxonici Electoratûs heres, Europam lustraturus sub nomine Comitis Lusatiæ sese itineri cum quadraginta hominum famulitio committit. Hic primùm Germaniæ, dein Italiæ, Romanâ exceptâ, & Galliæ aulas invisit, Coloniæ Agrippinæ aliquamdiu in aula Saxonici Cardinalis Zeitz commoratus, ubique & maximè in Gallia pro statûs dignitate exceptus est.

Saxonis filius Europā lustrat

Ea-

Pugna Moscho Turcica

Eadem quoque die ad Poratam fluvium in Moldavia pugna inter Moschos & Turcas conseritur, de cujus successus exitu vix aliquid certi constitit, nisi quòd hoc primo prælio bellandi desiderium deferbuerit, cùm postea pars utraque ab armis cessaverit; sed sub quibus conditionibus pax coalusisset, diu postea inclaruerit.

Josepho Cæsari elegantissimo cenotaphio fuit parentatum, & mater ejus Eleonora mortem quam citissimis literis Fratri Carolo in Hispania significat, simulque celerrimum ejus in Germaniam petit adventum, quod idem etiam plures electores literis & nuntiis illuc destinatis, sub spe illum in Cæsarem eligendum postulant.

Coloniensis & Bavarus rejecti ab electione.

Imminente igitur novi Cæsaris electione, quæ primò ad 20. Julii indicata, dein ad 20. Augusti est dilata, Electores Coloniensis & Bavarus literas dant ad Moguntinum, electionis directorem & Imperii Rom. cancellarium, quibus se ad comitia admitti postulabant; secus contra electionem iis absentibus factam protestabantur. Sed quòd ritè, & juxta leges Imperii essent proscripti, nihil de eorum vel literis, vel protestationibus Moguntinus ad Coelectores retulit, electioque suo tempore est peracta, Albano Clementis Pontificis Nepote nequicquam allaborante, qui Nuntii extraordinarii nomine assumpto, Coloniensem & Bavarum inter Electores eligentes admitti nisu omni procuraverat. Nec melius AlbanoNuntio cessit, quod pro imaginario dignitatis merito primos ubique honores, & manum dextrâ, ut ajunt, ab Electoribus prætendebat;

Albani Nuntii prætensio.

debat: & acta in Imperio Rom. circa Brandeburgicum Borussiæ Regem, & Hanoveranum electorem irrita haberi obtenderit, quod sine Romanæ Sedis assensu sancita fuissent. Porro Carolus relictâ in Catalonia uxore gubernatrice solvit 27. Septemb. Barcinone cum classe Architalassi Anglici Bings, & litus Liguriæ 7. Octobris attigit, inde Genuam veniens mansit in navi, neglectis honoribus, quos ei Genuenses deferre meditabantur, quòd illi tardius eum ut Regem Hispaniæ compellassent: die altera 12. Octobr. rhedâ viatoriâ Tortonam, & 13. Mediolanum properans, solum admittit Sabaudiæ Ducem, qui illum in transitu Padi salutans ultra horam collocutus, & Mutinensem, qui ei occurrit ad Ticinum seu Papiam, vesperi Mutinam attingit, ubi 17. Junior Comes de Windisgrätz Francofurto advolans annuntiat secundâ Septembris delatam ipsi fuisse Imperii Rom. coronam unanimis Electorum votis, moxque Mediolani, ubi se detinebat, Comes Palatinus Carolus gubernator Tyrolensis, & Josepus Sultzbacensis princeps 30. Octobr. electionis diploma eidem obtulerunt, quos Electores ad illum ablegaverant. Exin Clemens Papa Cardinalem Imperialem cum titulo Legati de latere, Veneti, & Genuenses oratores mittunt, qui solenni applausu novam gratularentur Imperialem dignitatem, festinantq; ex omni Italia proceres iisdem officiis & plausibus se commendaturi. Et quia cusa in Anglia pacis præliminaria, quæ jam modò audierat, ejus in Germaniam urgebant adventũ, inde 10. Novemb. per Mantuanum & Venetum statum

Carolus redit in Germaniam.

statum venit 20. ejusdem Oenipontem, ubi illum 23. Eugenius salutavit, & congratulatus est, vicissimq; illum Carolus intimo animi affectu excipit, ejus indefessum in Domum Austriacam zelum, amorem & studium laudat, petitque fideliter, non sine spe magnæ remunerationis & clementiæ addictissimæ continuari, proinde illi legationem in Hollandiam & Angliam committens in intimum conferentiæ admittit consiliarium. Oeniponti recepto fidei Sacramento, quam ei Tyrolenses sui 24. Novemb. solemni pompâ dixerunt 4. Decembris profectus Augustam Vindelicorum & Francofurtum ad Mœnum, ubi 19. Decembr. adveniens 22. ejusdem consuetis ceremoniis, & festivissimo applausu in Imperii Rom. Imperatorem à Moguntino est coronatus, præsentibus Electoribus Trevirensi & Palatino, absentiumque Saxonis & Brandeburgici Procuratoribus, nullo cujusvis speciei impedimento celebritatem hanc perturbante; ad quam ex longinquis etiam provinciis conferta procerum omnis gradûs turba convenerat: in quo nempe præstantissimæ prædecessorum suorum qualitates & virtutes excellunt & venerantur.

Coronatur Imperator.

570. Poloniæ & Daniæ Reges divisis exercitibus Suecicam invadunt Pomeraniam, recusante Carolo Rege Sueciæ adhuc exule armistitio assentiri, ut bellum imposterum à germanicis eorum provinciis arceretur. Cùm nullo obstaculo mora invadentibus fieret, uterque exercitus propè Stralsundam pervenit, cujus urbis obsidio longo apparatu disposita nunquam, aut inutili tentamine est peracta. Ma-

Masnerus Rhetus, cujus filium Galli rapuerant in Helvetia, & quem restituere abnuentes eum impulerant, ut repressaliorum jure Oratoris gallici apud Helvitos primò secretarium, dein eo restituto [ex pactis, quibus stare Galli noluerunt, & renuerunt filium reddere] Ducis Vendocinensis fratrem & ipse rapuerat, & fecerat captivum ut supra *num.* 559. in summo Rhetorum consilio judicatur, & ex ministratis jure aut injuria accusationibus damnatur atroci supplicio carnificis manu in quatuor partes secandus. Sed cùm hic se subduxisset, sententiam nullus effectus est secutus, auditaque est uxor Masneri, quæ bonorum publicationem, & singularis domûs ejus demolitionẽ est deprecata. Masneri damnatio.

Audita, Romæ mors est Cardinalis Turnonii Amacaji in Imperio Sinatum, quo à gentis principe ablegatus fuerat, quod Romani Pontificis decretum circa controversos inter imperii Sinensis Christianos incolas ritus attulisset, & observari urgeret, non sine animorum dissensione, & publicæ ibidem pacis præjudicio, de quo *num.* 572. Ibidem Romæ satagente Auditore Molinezio Regis Hispani Philippi iras adversus aulam pontificiam publicare, urbe minis & præceptis extrudere conatur aliquos Regis ipsius ministros sed pontifici obsequio singulari obnoxios, qui urbem deserere juxta priora edicta noluerant. His ad Clementis asylum confugientibus, Pontifex ipse 27. Septembr. Molinesium iteratò ab officio Rotæ Romanæ Auditoris, & sacrorum ordinum usu suspendit. Mors Turnonii in Sina. Molinesius ab officio suspenditur.

571. Ludovicus Rex aliquot jam annis pacem sibi admodùm necessariam omnibus modis & artibus tam in Anglia quàm Hollandia clam palamve quasi suffuraturus, omni studio eorum fœdus & concordiam interimere & separare non intermisit. Batavis frustra sæpius in hoc tentatis, & Carolo Cæsari firmiter adhærentibus, Reginam demum Angliæ, Bellonam, Martis hactenus sororem satis in se ferocem, benignam nunc sospitam, ut confidit, invocat, Tallardo occultis ibidem studiis rem promovente, qui satis inter Wighs & Torris, nobilis & civilis parlamenti partes discordiis & factionibus sperabat pacem consecuturam: minister enim Anglicus, qui secretæ missionis titulo Parisiis per aliquot menses fuerat, jam publica pacis tractatione, quam Regina cum Ludovico Rege insciis fœderatis habebat redit 5. Septembris Londinum, & cum eo alter Galliæ Regis minister inceptam tractationem prosecuturus; quæ medio demum Septembris in apricum venit, cùm per sigilliferum Harcourtium, ærarii præfectum Harleyum, & secretarium Darmouth parlamentum in 20. Octobris est prorogatum, cui 25. Octobr. tandem coacto Regina præliminares pacis articulos communicat, de quibus inter suos & regis Ludovici ministros clancularibus coitionibus conventum fuerat. Per hos Hispaniarum & Indiarum regna Philippo Regi manebant, assentiebaturque Ludovicus, ut quæ fœderati armis obtinuerant, Carolus possideret. Jamque prævio ejusdem Reginæ consensu Tallardus gallicus Mareschallus, qui in prælio Hochstadiano

Angliæ Reg. de pace cũ Gallo tractat.

Pacis puncta.

no 1704. captus, & in septimum jam annum Nottingami in meditullio Angliæ detinebatur, in Galliam mense Octobri redierat, cum pluribus anglicis equis & venaticis canibus: Versaillensi aulæ præsentandis præterea Anglorum navibus concessa fuerat facultas, ut in Galliam liberè possent navigare, exclusis ab omni commercio Batavis. Tunc ejusdem Reginæ decreto 25. naves bellicæ exarmantur in portubus Anglicis, milites qui in Hispania Carolo merebant, revocantur, & increpitus minis & asperioribus verbis Baro Bothmarus, qui Hanoverani Ducis nomine libello supplici Reginæ pacis hujus præjudicia repræsentare ausus fuerat. Idem legato contigit Cæsareo; exundantibus namque Londini in fœderatos, & decretæ paci adversos famosis libellis, quorum auctores, ut scenæ illuderetur, trahebantur in judicium, & illico dimittebantur liberi, Comes Gallazius Cæsaris orator, qui gravibus ad Status secretarium Darmouth literis, & sinceris demonstrationibus animi sui sensus circa ea quæ in anglicana aula agebantur scripserat liberius, Reginæ mandato per aulæ ceremoniarium Coleret 7. Novemb. ab aula abstinere jubetur, vir aliàs prudens & eximiæ moderationis, magnique apud omnes æstimationis, qui vicissim publicè dictitabat, velle se in non exiguum Anglici ministerii dedecus & ruborem typis evulgare, quantâ, quali, per quem, & quando quisque illorum auri summâ à Gallo corruptus propudiosam illam vendiderit pacem. Vetuit præterea Anna annuum plebis tripudium, quo *Prætendentis*, ut ha-

Bothmarus & Gallazius ab aula Angl. prohibentur.

Pax auro vendita.

ctenus vocatus fuerat, papiracea effigies ab aliquot jam annis comburi solebat: ex quo scilicet eum abjurare, & jura ejus in coronam detestari omnibus imperatum fuerat.

Pacis promotores, & causæ.

572. Hujus pacis quodammodo conclusæ negotium maximè promoverunt, & urserunt Comites Straffordus & Oxfortus, binique Statûs secretarii St. Jean & Darmuth, magno ceterorum fœderatorum præjudicio & turbatione: quapropter mittitur in Hollandiam Straffordus, & Comes Rivers Hanoveram, causam suam justificaturi; econtra Batavus de Buys in Angliam contra pacem protestaturus, has à Statûs secretario St. Jean. accipit rationes, quòd Batavi ipsi bello sint odiosi, pluresque provinciæ bellici nervi quotam contribuere recusent: quòd autem idem Wighs detrectent, est, quòd aulico odiosi ministerio adversentur, ideoque Regina sola belli onera sustinere impediatur. Anglica subsidia Lusitano & Sabaudo ab anno 1706. Subministrata vix quicquam tentantibus quid effecerunt? Si tot Romani Principes in contribuendo ad bellicam cassam unicum imperialium millionem sunt difficiles, & unica Anglia in hoc bellum annuè impendet ter centum sexaginta auri orcas? & quia omnes confœderatorum partes non æquale inde sperant emolumentum, ideoque ad contribuendum quid mirum si in solvendo sint tardiores? interim sola succumbet oneri Anglia? Hæc de Buys solidè refutare conatus, vix potuit; Straffordo itaque à Regina injunctum est, ut Hagæ Com. pacem urgeret universalem, etiam sub indignatione & minis Re-

Reginæ, pacta cum Ludovico pacis tenacissimæ. Quo turbati sunt Batavi, metuentes hanc Regis cum regina concordiam nil boni allaturam; sed quia Neo-Cæsar Carolus ipse constantissimus fœderis assertor literis Mediolani 7. Novemb. ad Reginam, & Batavos datis à noxia adhuc pacis tractatione seriò dehortabatur, promittebatque majoribus quàm hactenus viribus à se bellum continuandum, in habita cum Straffordo conferentia conclusum est concordiæ fœdus non dissolvendum, decretusque, ne Regina omnino offenderetur, congressus Ultrajectensis, & ad eum de Buys & Düssen sunt deputati, dum interim Batavi tamen cuncta indefesso studio ex omnium fermè provinciarum suarum consensu ad sequentis anni 1712. expeditionem præpararent. In hoc ancipiti rerum statu Eugenius 17. Novemb. Oenoponte à Cæsare cum Barone Heemsio, & ex Anglia veniente Comite Gallazio H.gam Com. venit, ubi Straffordo & Batavis inter iteratas conferentias Cæsaris mentem & offensam aperiens, ulterioremque belli efficaciter continuandi expeditionem exponens, Batavos in suam trahit sententiam; Cæsaris tamen illi potentiam, militiæque specificationem ad majus securitatis fundamentum unicè desiderantes; particularem illis singularum legionum, & harum numerum, simul 91000. specificans, Cæsaris jussu 8. Januarii anni sequentis 1712. ex Hollandia profectus est in Angliam.

Eam Cæsar & Batavi repudiant.

Eugenio annitente.

Interea temporis Regina Anna circulatì ad omnes Fœderatos epistolâ diem imminentis anni duodecimum indicit, quo eorum ministri

Ultrajectensis congressus.

Ultrajectum ad pacem tractandam convenire debebant. Circa 13. igitur Decemb. imminentem congressum Ultrajecti pro pace statuenda habendum Regina suo annuntiat parlamento; quod acris disceptationis materiam ministrat satagentibus plerisque tali paci non esse consentiendum, nisi (quod fœderis & belli causa fuerat) Hispania à Gallia separaretur, enormi potentiâ unius familiæ terrorem cunctis statibus injiciente, quorum neutri secura consisteret libertas. Hunc tamen timorem vicit aut propriarum virium fiducia, aut demeritum secretis artibus (quod communiter creditum est) majoris numeri suffragium, ut infra videbitur; quo effectum est, ne Reginæ consilium aut petitio ulla porrigeretur, resque caderet in præceps, quo jam inclinari cœperat.

Cosmus medicæus successorē statuit.

Auditus est per hæc tempora rumor, quo Dux Etruriæ Cosmus III. annorum 77. natus 1643. 14. Augusti, utroque filio & fratre improli successorem Statibus suis ex Gallia, Ludovici Regis suggestione, arcessere dicebatur, ex ratione, vel prætextu, quòd Maria Medicea Henrico IV. Galliarum Regi nupta sola Domûs Mediceæ jus suum hæredibus gallis reliquisset: quod idem jus Dux Parmensis prætendere dicebatur. Cùm res invidiæ plena turbas non exiguas ciere apta censeretur, Dux à proposito abstinuit; aut si quid revera statuit, secretâ dispositione actum est.

Pax Mosco-Turcica irrita.

Præpositæ nuper pacis inter Moschos & Turcas pactis cùm Rex Sueciæ Carolus in ditiones suas regredi teneretur, idque renueret per Polo-

niam

niam aut Moſcoviam, quòd iter iſtud ei minùs tutum videretur; Moſchus etiam iis locis cedere & ipſe renuit, quæ per pacta reſtituere promiſerat, unde res manſit in ancipiti, noviſque aperta eſt via offenſionibus.

Annus 1712.

573. Exemplari & rarâ pontificibus moderatione Clemens XI. ſuum ex fratre nepotem Hannibalem Albanum Cardinalem crearat poſt duodecim pontificatûs ſui annos, ſub anni præteriti finem, dum è Germania (ubi Nuntii extraordinarii titulo apud Cæſarem, & aliquos Germaniæ Principes, ut dixi, functus fuerat) redux in patriam Urbini ſe apud conſanguineos detineret. Solenni & pro dignitatis & affinitatis merito pompâ Romam 10. Januarii invehitur, occurrentium ſine numero, & gratulantium catervâ ſtipatûs, titulumque diaconi ad S. Euſtachium inter Purpuratos recipit. In tanta honorum gloriæque felicitate & ſplendore paulò pòſt adverſi alicujus amaritiam viſus eſt Neo-Cardinalis diglutire, dum Poloniæ Reginam Mariam Marchioniſſam de Prequin officioſus viſitaret: nam immutato, & imminuto aliquantulum ceremoniarum tenore, quo Cardinales hactenus primæ dignitatis proceres ſe inviſentes coluerant, ipſe etiam reciprocam honoris conteſtationem ſibi imminui conſpexit, quo nihil acerbius, nihil moleſtius tales inquietat dicit Bernardus *lib. 3. de conſid.*

Hannib. Albanus fit Card.

à Regina Poloniæ dehoneſtatus.

Inter generalia Ordinis comitia, ad quæ Societatis Jeſu univerſæ primates Provinciales Ro-

Jeſuitarũ obedientia Pontifici.

Romam convenerant, selecti ex omnibus provinciis Assistentes simul cum Præposito Generali ad Pontificem se conferunt, protestantes totius Societatis nomine plenam pontificio decreto obedientiam, quo hic toleratam ab eis prius Chinensium rituum praxim in suis proselitis permiserant. De quo supra plura. Hæc solennis protestatio illis visa est necessaria, quòd multi etiam post latas censuras illis minùs obsequentes dictitarent.

Carolus Francofurto Viennā redit.

Carolus Cæsar accepto 11. Januarii fidei Sacramento ab urbe Francofurtensi, ubi coronâ Cæsarea fuerat redimitus, digreditur Electorum & Principum Choragio extra urbem ad aliquot milliaria stipatus, pervenitque Viennam 8. Februarii, ubi annitentibus Anglorum & Batavorum legatis suaderi se tandem passus est Ultrajectum ablegare ministros, qui suo nomine pacis conciliandæ tractatibus interessent, eâ fiduciâ, quam ipsi faciebant, quidquid de ea (quod Cæsari iniquissimum videbatur) hactenus jactatum fuerat, pro meris propositionibus, nullâ ratione acceptatis haberentur, quæ nullius consensui vel arbitrio vim facerent.

Angliæ mutatio

574. Eugenius interea 8. Januar. Cæsaris jussu profectus in Angliam, totam discordiarum turbine reperit adeo involutam, ut quantum inferior popularium Domus, seu Toritis ut vocant, cum Reginæ ministris pacem deposcebat, tanto acrius superior Nobilium Domus Wigs propudiosam pacem repudians, bellum, proficuam Europæ pacem exacturum urgebat. Hos ut Regina compesceret, decem ex iis primarios

marios regali & insolitâ auctoritate AngliæPairs, ut vocant, superiore Parlamenti domo non refragante, creavit, quorum votis præeminens animi sui desiderium facilè obtinuit. Et quia Princeps Marleborugus omnibus omnino modis paci contrarius bellum justum contra injustum universæ Europæ turbatorem indefesso continuari studio laborabat, Regina illum 11. Januar. propriæ manûs literis omnibus officiis, & supremâ armorum præfecturâ turpiter destituit, qui gloriosissimus per orbem Dux omnes belli expeditiones cum summa semper gloria perfecit; qui omnia bellica Angliæ consilia & negotia tam in Germania quàm Belgio adeo feliciter expedivit, quem toties, & modis omnibus Anna ipsa benè de se, & tota republica meritum laudarat, hujus nunc Præfectura cum omnium admiratione, & communi approbatione gesta sub inquisitionem & condemnationem cadit, scilicet fœmina aulicorum artibus circumventa se eorum malitiæ permittebat. Quid mirum? Infirmitatem namque muliebris naturæ satis novimus, & quia facilè circumventiones fiunt adversus eas, ait *Novella de æqual. dot.* 97. *cap. His consequens* 3. *circ. fin. v. volumus.* Earumque consilium adversus commoda propria. *L. si pater.* 4. *in fin. c. de sponsal.* Unde *Lucas de Penna nobilis juris-consultus in l. si quis. C. de professor. & med. lib.* 10. ait: Cùm regna regunt vulvæ, gens tota proclamat sicut væ; est destructio reginâ muliere regi, dicens esse proverbium antiquorum, & se audivisse à senioribus, reginam succedentem in regno, esse sui

Marleborugus præfectura destituitur

mulier imbecillis.

populi non tam reginam, quàm ruinam ; immo mulieri imperare, ait *Pub. Mimus*, non concedit natura. Divinus autem *Plato de repub.* inquit : Fœmina ut vir æquè ad omnia apta, nisi quòd imbecillior sit. Sed revertamur ad Reginam Annam, à qua Dux Marleborugus in secreto primùm consilio, in publico dein Parlamento ex commissariorum informatione de repetundis postulatur, eo quòd leve quid ex annonæ & stipendiorum conductoribus , solito summis castrorum Præfectis emolumento, percepisset. Eodem damnandi pruritu paucis pòst diebus Fœderati omnes in Parlamenti inferiore Torris , ut vocant Camera minùs præstitisse, quàm suis tenerentur pactis & promissis judicantur, de quo suprà *num.* 571. &c. memini. Et dum officiis & dignitatibus omnibus exui pergunt illi, qui ad aulæ palatum non sapiebant, sensim milites exauctorantur, ne vis alicujus timor obstaret exequendis, quæ decretæ videbantur, novitatibus. O volubilem rotam ! O globum erraticum humanæ voluntatis ! lunam mutabilitate vincimus, & modò tam nobis promptum est NOLLE , quàm antea VELLE. O quoties optimis desideriis turgemus, velut prægnantes ac fœti copiosa prole ; ubi tamen tandem turpiter abortimus, & auram atque ventum parimus. Anna quoties Carolum Regem Hispaniæ paritura gloriosè promittebat, inanem abortiva peperit ventum.

Marleborugus accusatur de repetundis.

575. Decima sexta Mensis Januar. Princeps Eugenius Londinum appulsus , honorificentissimo à Proceribus quidē exceptus, à Regina nonnisi ad horæ quadrantis alloquium admissus, &

Eugenii in Anglia acta

16. Februar. in die reginæ natali regaliter convivatus, pretiosissimoque 8000. lib. gladio donatus, multis argumentis, suasionibus & promissis egit indefesse, ut animos ad bellum, quo hactenus feliciter gesto, & majori nunc Cæsaris potentiâ gerendo, libera & secura pax imminebat; sed frigidè à regina, & aulæ consciis ministris exceptus & auditus est, idem quod supra occinentes, omnem belli molem, eamque gravissimam soli incumbere Britanniæ; ad solam namque Hispanicam expeditionem omnes fœderatos minùs quàm suum esset contingens persolvisse, & Reginam supra debitum suum contingens 315000. coronatos impendisse, quæ tamen postea Batavi solidè, latéque refutarunt, & Eugenius abiens plurium Procerum animos in suam traxit sententiam, quorum unus in publica colloquii societate profitebatur: pluris se unum æstimare Principem Eugenium, quàm centum tales Reginas, quod proloquium captivitatis pœnam illi indixit.

Congressus Ultrajectinus.

Congressûs interea Ultrajectini tempus indictum advenit, ubi ad liberiorem examinandi modum ea, quæ ex alterutra parte proponerentur, pone aulam, in qua communes fiebant consessus, permissa erant cubicula, in quorum uno Fœderati, in alio Galli seorsim convenirent; singulisque hebdomadibus quaterni consessus erant attributi, quorum duo solis Fœderatis, alii omnibus Oratoribus communes erant. Isti quamvis sub initium pauci, brevi tamen coaluêre omnes, quorum bellum, & controversiam, belli causam componere intererat: quin etiam ferè

ferè omnium Europæ Principum, & Statuum Ministri ad numerum quinquagenario majorem Ultrajectum convenêre. Cæsarei Comes Sinzendorffius & Consbruggus, Galli Mareschallus Uxelles & Abbas Polignacus, Angli Episcopus Bristolensis & Comes Straffordus, Batavi Buys & Rensvvoudus, Sabaudus Marchio du Bourg. &c. Quibus 10. Februar. prædicto in loco comparentibus aliorum Oratorum rogatu Sintzendorffius solidam hujus congressûs caussam concernentem habuit linguâ gallicâ orationem admodùm disertam, & post varias consultationes Confœderati 5. Mart. sua Legatis gallicis postulata contra gallicas propositiones offerunt: quarum hi in scriptis responsum à Ludovico Rege suo Parisiis circa 30. hujus se relaturos spondent.

Postulata Fœderatorum à Gallis.

576. *Cæsar* petebat, quidquid Domus Austriaca & Imperium Rom. Galliæ cesserant tractatibus Monasteriensi & sequentibus: seu quidquid Gallia quoquo modo eorum hactenus detinebat. Deinde restitui Duci Lotharingiæ quidquid ditionum ejus adhuc in Gallorum esset potestate: & sibi quidquid Monarchiæ Hispanicæ proprio, aut nepotis nomine Rex Ludovicus occuparet. Idem petebant omnes associati *Imperii Rom. Ordines*; ac præterea ut Rex ipsis resarciret damna omnia, quæ vel suorum tribunalium judiciis, vel copiarum suarum cursibus & circuitionibus illis intulerat. *Trevirensis* Elector pro metropolis, & reliquæ ditionis suæ plenaria restitutione instabat, nec non damnorum omnium sibi illatorum indemnitate. *Palatinus* pro

pro manutentione sua in superioris Palatinatûs possessione, & adjacentium dominiorum, quæ ipsi postliminii jure adjudicata fuerant: nec non pro restitutione locorum omnium, quæ armis gallicis quocunque modo vel prætextu occupata fuerant. *Hasso-Cassellanus* petebat Confessionis Augustanæ cultum restitui in terris omnibus, quibus Westphalicâ pace concessus fuerat; & ut articulus IV. pacis Rysvvicensis illi contrarius aboliretur: perpetuam item possessionem arcis Rheinfeldensis, & oppidi S. Goaris in damnorum & expensarum compensationem. *Episcopus Monasteriensis* expensarum, quas tolerare coactus fuerat, rogabat indemnitatem, eodem titulo, quo Episcopatus suus Westphalica pace simili indemnitati sarciendæ succubuisset ad Regis Galliæ fœderatorum satisfactionem. *Dux Wurtenburgensis* Montis Belicardi Princeps Principatum sibi integrum restitui, velut & loca diversa, quæ ad eundem spectarent, quæque hactenus in Gallorum erant potestate. *Anna Britanniæ* Regina inprimis instabat se à Rege Galliæ pro sola & legitima Britanniæ Regina agnosci, & ut nullo à quoquam obstaculo impediretur, ne secundum iterata Parlamenti decreta Coronæ Britanniæ Domus Hanoverana succederet: ut Rex Ludovicus sine mora regno suo eliminaret illum, qui jus & titulos ad Britannicæ Coronæ successionem se habere profitebatur. Ut destruerentur Dunquerkæ munimenta, portusque oppleretur; & Anglis restituerentur aliquot oppida & tractus regionum in America quæ annuntiabantur, & pro abo-

abolito haberetur articulus IV. pacis Rysvvicensis. *Regis Portugalliæ* nomine petebatur, ut quanta pertinuerat Carolo II. piè defuncto Regi Hispaniæ, hæc tota Domui Austriacæ, & Carolo Cæsari restitueretur, illis exceptis, quæ per pacta specialia in gratiam Fœderatorum distracta fuerant. Ut Coronæ Lusitanicæ Rex Galliæ aliquas in America meridionali regiones cederet, quas Rex prædictus ad se pertinere obtendebat. *Rex Borussiæ* regis titulum, & regios sibi honores à Rege Galliæ deferri postulabat. Arausicanum item Principatum, & cætera ubicunque sita Domûs Cabilonensis bona sibi velut legitimo Wilhelmi III. Regis Anglorum hæredi extradi. Nec non & Principatum Neocastrensem in Helvetia cum suis appendicibus cunctis, revocatis & irritatis sententiis omnibus, quæ super jure & possessione ejus latæ fuissent; cui Principatui Neocastrensi Rex Galliæ de suo adderet regiunculam ipsi imminentem de comitatu Burgundiæ revulsam ultra fluvium Dubis. Et ut Gallis è Francia pulsis, aut ob religionem fugitivis, qui in suis ditionibus considebant, bona omnia ablata, & consanguinei, qui in Gallia remanserant, restituerentur, permitteretur que fidei, & sacrorum suorum antiqua libertas omnibus, qui in ipsa Gallia diversum à fide Romana sentiebant. Nomine *Ducis Sabaudiæ* petebatur, ut satta tecta remaneret familiæ suæ transcripta Philippi IV. Hispaniæ Regis testamento Regnorum & Statuum Austriacæ Domûs, eâ extinctâ, successio. Item restitutio occupatæ Sabaudiæ, eorumque omnium, quæ ipsi ablata fuerant. Item cessio

ſio aliquot fortalitiorum cum adjacentibus regiunculis in Delfinatus confinio, & confirmatio eorum, quæ vi fœderis proprii cum Imperatore Leopoldo illi de Ducatu Mediolanenſi fuerant tranſcripta. *Status Generales* Fœderati Belgii petebant, ut Rex Ludovicus nomine ſuo, & cujuſcunque ſibi fœderati renuntiaret poſſeſſioni, & prætenſis quibuscunque juribus ſuper Belgio Catholico, quale à Carolo II. Hiſpaniarum Rege poſſeſſum fuerat, iisque de ſuo adderet urbes aliquot & regiunculas, quas ille aut illius fœderati adhuc detinebant, Cæſari reddendas cum reliquo Belgio, dum cum eodem Cæſare de antemurali conveniſſent. Petebant item libertatem & commoda commercii, per tractatum Rysvvicenſem conventa. Item ut expulſis è Gallia, aut abſentibus propter religionem reſtituerentur bona, & conſanguinei, quos inibi reliquiſſent, & remanentibus in Gallia iis, qui eandem cum ipſis profitebantur religionem, ſui cultûs libertas benignè concederetur. Et tandem ut bona, quæ ſpectabant Domûs Arauſicanæ ſucceſſionem, ipſis adminiſtranda permitterentur velut ultimi poſſeſſoris Wilhelmi III. Magnæ Britanniæ Regis conſtitutis teſtamenti executoribus.

577. Declarant interim Galli ipſi jactatis in vulgus propoſitionibus neminem, quaſi de iis jam conventum eſſet, obligari. Et 11. ejusdem propoſuêre ibidem Fœderatis conditiones, ſecundùm quas Ludovicus Rex in pacem cum Fœderatis convenire offerebat. Hæ autem conditiones & articuli erant tales.

Pacis conditiones à Gallis propositæ.

1mò Rex spondet se agniturum Annam pro legitima Britanniæ Regina, successionemque ad thronum Britannicum eo modo, quo res de præsenti erat composita, & qui Reginæ placeret. 2dò Se jussurum everti munimentum urbis Dunquerkæ, & portum post sancitam pacem oppleri, mediante æquivalente satisfactione, reponenda in restitutione urbium Insulæ & Tornaci, cum adjacentibus regionibus. 3tiò Insula S. Christophori cum freto Hutson, & respectivè Acadien cum portu Royali in statu quo tota Britannis restituetur. 4tò Britannis quoque Rex restituet Terram novam cum portu Plaisence, reservatâ sibi licentia pisces & asellos capiendi. 5tò Ante vel post pacis tractatum erigetur inter utramque nationem ad Britanniæ beneplacitum commercii tractatus. 6tò Consensurum, ut Belgium Hispanicum in Bavarum translatum pro antemurali (Bairere) esset Batavis, adjunctis adhuc illi Furnes, Ambacht, fortalitio Knoch, Ipra, cum sua castilania, Menin cum sua circumferentia: ex adverso Rex exigit sibi pro antemurali extradi Æriam, S. Venantium, Bethuniam, Duacum & Bouchainum. 7mò Permissurum, ut in urbibus & provinciis in Bavarum translatis, & in antemurale concessis tantum, quantum vellent præsidium, Batavi imponant, provinciarum sumptibus aut stipendiis alendum. 8vò. Tractatu antemurali inter Gallos & Batavos absoluto, perficietur etiam in omnibus tractatus commercii anno 1664. inchoatus, & in pactis Rysvvicensibus confirmatus, cum suis ritè conditionibus adimplebitur.

9nò

9nò Permissurum ex speciali sibi data plenipotentia ut Indiarum & Hispaniæ commercium eo modo per Anglos & Batavos fieret, quo sub defuncto Carolo II. ejusque prædecessoribus factum fuerat; cujus omnes Europæ Principes & Potentias mavult esse fidejussores. 10mò Se effecturum, ut nepos suus Philippus cedat regnis Neapolitano, Siciliano, & Statui Mediolanensi, simulque quod in Sabaudum translatum, dummodo Domus Austriaca nuntium remittat omnibus aliis ditionibus & provinciis monarchiæ hispanicæ. 11mò Limites & confinia inter Imperium & Galliam per rhenum in statum priorem restitui, & qualia ante bellum fuissent. 12mò Rex petit, ut Principes Coloniensis & Bavarus restituantur in plenam possessionem omnium provinciarum, dignitatum, prærogativarum, bonorum mobilium & immobilium &c. se agniturum vicissim in Germania & Prussia titulos omnes, quos hactenus non agnoverat. 13tiò Restituturum Principi Sabaudo quidquid ipsi per vim & arma eripuisset, dum ipse vicissim excederet locis, quæ in Delfinatu occupaverat, limitesque utrimque qui ante bellum figerentur. 14tò Se cum Lusitanis effecturum, ut omnia in pristinum redintegrarentur, & ista in America controversia amicabiliter componatur. 15tò Impediturum se, ne ambæ simul coronæ Gallica & Hispana conjunctæ uni imponantur capiti. 16tò Omnes denique præcedentes pacis tractatus Monasteriensis, Neomagensis & Rysvvicensis huic includuntur & confirmantur, nisi quæ in hoc excipiuntur aut mutantur,

Negant Galli respon-sum ad fœder. postu-lata in scriptis.

578. Die tandem 30. Mart. dum Confœderati omnes categoricum super unoquoque prædictorum suorum postulatorum responsum in scriptis hactenus expectasse protestati sunt, ut de singulis seorsim Ludovici Regis mens innotesceret; id quod gallici etiam legati, ut suprà memini, visi sunt promittere. Ast prædictâ die nihil aliud retulerunt, quàm Regem ita nolle illa publicari, aut typis edi; sed paratos se esse nonnisi cum singulis, & de singulis postulatis tractare, quæ reciprocâ communicatione omnibus innotuissent. Quibus confœderati unanimiter omnes declaraverunt, se nolle ullos sine expresso & speciali Regis ad sua postulata in scriptis responso categorico pacis inire tractatus, & Cæsareus Legatus Sintzendorffius replicabat: si Regis responsum & petitiones æquæ & justæ forent, omnes meritò populi illas approbantes exigerent admitti; sin injustæ, & minimè acceptabiles, naturæ consonum esse illas publico manifestare, ut videant, cur à fœderatis non admittantur, & justè rejiciantur. Ad quam declarationem Galli expetebant trium hebdomadarum dilationem. Confœderatis interim in particulari conferentia hac de re congregatis Sintzendorffius & Legatus Lusitanus Comes Taroucca abeunt Hagam Comitis ad Eugenium ex Anglia reversum, de Ultrajectinæ negotiationis cum Gallis successu relaturi; qui Eugenius spe anglicæ hoc adhuc anno societatis ad maturam hujus anni expeditionem simul cum Batavis allaborabat, & 22. Aprilis discessit ad castra.

579. Duodecimâ Febr, variolarum morbo

in

in aula gallica discedit Maria Adelais Sabauda, Ducis Burgundiæ uxor, annorum 26. cui dies tantùm sex supervixit Patris Delfini Ludovici XV. præmortui novus Delfinus Ludovicus XVI. Adelaidis conjux annorum 23. eodem variolarum morbo elatus, brevi etiam morituro horum conjugum primogenito, qui tertius Delfini nomen patris & avi funere obtinebat. Ita uno sibi anno verè stupenda, & lugubri catastrophe Rex Ludovicus amisit filium, nepotem & pronepotem, quibus longo liberalis fortunæ usu tot decora pararat. Et Reges, & Principes mortis sunt stipendiarii, ut solvant quod debent, quandocunque Deo visum fuerit debere. Et quid melius cito pati, quod non timeas amplius, quàm diu timere, quod tardè patiaris? longum homini tormentum demit natura, cùm vitam ei concedit brevem.

Mortes variæ Gallorũ.

mortis commoda.

Vigesimâ quartâ Februar. rotæ supplicio Dusseldorpii decem & novem scelesti puniuntur, qui mentito pauperum & leprosorum habitu in aliquot extra urbes tuguriis specie mendicandi habitabant, & in viatores, qui soli incedebant, grassabantur crudelissimè tempore potissimùm nocturno. Sparsi in pluribus & diversis locis, immo provinciis communi & condicto scelere cædes & latrocinia exercebant, tuguria & habitus mutantes, ut suspicionem amolirentur. Detecti tandem pueri indicio, qui prope Dusseldorpium habitando invigilabant, & propria captorum confessione, qui in variis Electoratûs urbibus unâ die comprehensi, omnes uno supplicio offeruntur. Pinguior, inquit *Seneca*, ma-

Leprosi latrones damnati

ctari victima non potest, quàm homo sceleratus.

Sabellica familia deficit.

Romæ 7. Mart. die obiit annorum 78. N. Princeps Sabellus, antiquissimæ stirpis surculus ultimus; quippe quæ inter veteris Romanæ Reipublicæ familias ab aliquibus annumerabatur. Sabellorum genti hæreditarium conclavis in Pontificis electione servandi officium cum Mareschalli nomine erat attributum, quod Clemens Pontifex genti Chisiæ Alexandri VII. Pontificis consanguineæ concessit.

Bellum pro Toggenbergensibus

Toggenbergenses in Helvetia populi, Sangallensis Abbatis subditi, querentes se durius haberi quàm mos pateretur pristinus, vimque fieri eorum privilegiis, arma capessunt, publicato scripto suis rationibus, & bellum excitant in Helvetia. Quippe pagi Bernensis, & Tugurinus pro illis, pro Abbate Lucernensis & Suitiensis in auxilium vocati decertantes non levi, sed duro marte diu pugnarunt.

Poloni Moschos volunt ejici.

Quinta Aprilis comitia Varsaviæ in Polonia habet Augustus Rex, in quibus diu, & cum magna contentione de Moschis Poloniâ eliminandis est disceptatum, invisceratо huic genti erga libertatem affectu, quo illi vim fieri arbitrantur, si cujuscunque numeri alienæ copiæ extra belli tempus in regno hospitari permittantur. Augebat Polonorum impatientiam, quòd Moschi immoderata à populis extorquerent subsidia, necessarii victûs prætextu, qui illis per alia tum temporis Sandomiriæ comitia fuerat permissus.

PaxMosco-Turcica

15. April. pax inter Sultanum & Moschos, Anglorum præcipuè & Hollandorum interventu

ventu, denuò coalescit, jactato inutilibus minis terrore, quem Moschi paucorum, quæ in ultimo bello de Turcis obtinuerant, restitutione.

580. Inter frigoris hybernalia vix poterant Fœderati quiescere, quin in omnem hostibus nocendi occasionem ubique invigilarent. Primâ Mart. Comes Albemarlus sociis Hompeschio, Cadogano, Murrajo, & Grovesteinio ad medium noctis Duacense præsidium cum 20. tormentis, mortariis, varioque bellico apparatu educens, & superatâ ad oppidum Vitry scarpâ, majoribus præsidiis Insulensi, Bethuniensi & Tornacensi auctus, 80. quà peditum, quà equitum agminibus tendit Atrebatum, ubi ad Eambouc oppidum alia 34. tum equitum, tum peditum agmina ex Menina, Cortraco, Atho, Audenardo & Ætria contracta in expeditionis, & discessûs defensionem considebant. Circa 5. matutinam Atrebatum attingens incredibili celeritate sub favore densæ nebulæ castrensia aperit valla, suggestus urbano vix advertente præsidio erigit, quod circa octavam primùm fœderatorum videns molitionem, tormentis ex arce, & 13. pyrobolariorum vexillationibus ex urbe erumpens cæditur & rejicitur, captis cum Bellefontio, secundario urbis præfecto, 32. aliis tribunis & gregariis præter plures cæsos militibus, incenduntque ipsi suburbium Ronville, formalem metuentes urbis obsidionem; fœderati autem circa nonam incendiarias sphæras & ignitos globos in ingentes fœni, avenæ & lignorum acervos, quos inter urbem & arcem in plena area coacervatos oculis spectare poterant, tam

Atrebati pabularii combustio.

dextrè immittunt, ut omnia brevi in cineres redigerentur; sicque eodem die impressione feliciter peractâ Duacum reversi, remoram Gallis injecisse putant pabuli equorum defectu præmaturè in campum prodeundi. Mirum hoc admodum quod in tanta 120000. portionum incensarum copia nullum aliud ubi detrimentum accreverit, quo dispersis circumvolantibusque undique flammarum scintillis facillimè granarium, aut pyrei pulveris armamentarium cum irreparabili urbis detrimento corripi & incendi potuissent. Variis deinde utrimque excursionibus, direptionibus & velitationibus actum est aliquamdiu, ad sequentem tamen expeditionem maturandam uterque indefesse se præparabat exercitus; Fœderati inter Scarpam & Dulim fl. supra Duacum confidentes trans Sensetum fl. liberam sibi versus Atrebatum & Cameracum viam aperire meditantes, 30. armatorum millia ex diversis colligunt præsidiis, quibus omnia sibi facile loca subjicere confidebant; sed totâ erratunt viâ, Mareschallus namque Montesquionus 144. armatorum agminibus triangulari fossili lineâ juxta Sensetum & Scaldim prope Bouchainum usque extructâ cuncta probe munierat loca, ut General. Yvojus ne quidem paludes Bacca Vannes transiturus penetrare posset; omnes præterea ubique aditus vallis & sepimentis firmiter roborant, & apertis cataractis agros inundant Atrebato & Cortraco metuentes.

581. 25. Aprilis Eugenius venit in Belgium Tornacum, Anchini exercitum formaturus; quo etiam Dux Ormuntius copiarum Anglicanarum loco

loco Ducis Marleborugi in præfectura successor, 6. Maji appulit, quasi bellum tractaturus ex promissis, quæ Londini & Hagæ Comitis dederat; habitis namque variis cum Batavorum ministris Tornaci conferentiis, ipsum Eugenium pluresque Fœderatorum belliduces & ministros in hospitio Comitis Albemarle accedens, varia instantis expeditionis consilia & operationes ibidem agitarunt, unanimiter omnes in illa consentientes. Congregatis igitur Anchini & Levvardæ undequaque copiis, habitoque 22. & 23. Maji coram Eugenio & Ormontio armilustrio, in duos copiæ divisæ sunt exercitus, primum sub Eugenio formabant Cæsareo-Hispano-Batavo-Palatino-Hasso-Wurtenbergo-Monasterienses turmæ, simul 237. agmina, alterum sub Ormuntio conficiebant Anglo-Dano-Borusso-Saxo-Hanoverano-Holsato-Anspach Wolffenbüttelenses, simul 203. quà peditum, quà equitum agmina. Gloriosus certè exercitus (quo Belgium raro vidit elegantiorem & copiosiorem) tam gloriose hujus anni expeditionem orditurus, quàm generose & laudabiliter alias priores finierat, nisi insperata fœderis discessio tam salutaria dissipasset temerassetque martia consilia. 26. Maji tamen ambo simul exercitus in quatuor quilibet columnis supra Bouchainum in alteram Scaldis partem transit, relicto in hac inter Denainum & Souches cum 43. tum equitum, tum peditum agminibus Albemarlo ad conservandam fœderatis cum Marchienno & Duaco, & Gallis præscindendam cum Valentiana communicationem; quæ sua castra

Eugenii exercitus qualis.

Et Ormontii.

castra Albemarlus fossili subito linea, & quidem duplici circumcingit. Nec impiger Villarsius suo cum exercitu gallico juxta Scaldim inter Cameracum & Crevecour castra metatus, militem Principis Coloniensis, aliumque decem & aliquot circiter agminum expectans; longe namque ob multarum adhuc urbium copiosa præsidia 100. circiter agminum impar erat fœderatis, qui pertransitâ supra Crevecour Scaldis scaturigine decretoriâ pugnâ & certamine moliebantur expeditionem exordii, quâ juxta omnium opinionem feliciter gesta, devictisque duabus solùm urbibus Atrebato & Cameraco certò hac expeditione subjugandis apertum sibi in Galliam aditum Fœderati patefecissent, & honestam securamq; pacem toti per Gallos tot bellis miserè afflictæ Europæ contulissent; quâ fortunâ freti, alacri seduloq; omnia animo ad certamen erant præparata, milesq; ardenter anhelabat: cùm ecce Ormontus Eugenio significat novo se speciali Reginæ mandato prohiberi Anglicum militem ad ullam tam certaminis quàm obsidionis adhibere operationem, sed defensive solùm jussus agere. Omnes eò magis admirabundi, quo Ormontus paulò ante Hagæ Comitis, & in magno Tornaci militari consilio, & in congressu ad S. Amandum apud Albemarlum fidelem certamque promiserat assistentiam; quapropter Eugenius omni Ormontium remonstratione ab hac sua opinione conatus deducere optatissimam, & jam dudum expectatam opportunissimam proponebat occasionem, felicissimum sine ullo dubio successum promittebat, adducebat summum sci-

Ormontus non vult pugnare

reipublicæ commodum & interesse, & immortalem Britannicæ nationis gloriam, nunquam intermorituram. Sed cum frustra essent omnia, expeditis subitò Viennam & Hagam Comitis cursoribus, & quodam proptæfecto ad Angliæ Reginam, cum literis ejusdem sui mandati petit revocationem, cum indubitata completæ victoriæ, & secuturæ honestæ certæque pacis appromissione. Britannicum ministerium licet totum jam à Gallis esset præoccupatum, corruptum & infatuatum, magnam tamen tam in superioris quam inferioris domûs parlamento ea res excitavit discordiam, & rixas, etiam cum duelli ob illatam infamiam provocatione, à Regina tamen inhibita; pluriumque sententia Reginæ mandatum pro indubitata pacis obtentione revocandum urgebat; sed prævalens Torris factio eam omnino rejiciebat; & cum in libello supplici mala hujus mandati consequentia Reginæ 8. Junii demonstraretur, ejus nomine respondit Oxfordius: Reginam plenum habere jus pacis & belli gerendi, suisque mandandi Generalibus; ideoque videri bellum à confœderatis tanto continuari ardore; ut plures Britannico auro & sanguine tam liberaliter hactenus in eos effuso urbes & provincias sibi compararent, quo Angliæ parum gloriæ, & nihil fermè commodi proveniret. Quo eodem tempore idem Reginæ mandatum Bristolensis episcopus Batavorum deputatis Ultrajecti aperiens, Statibusque improperans, indignantis Reginæ mentem exponit, quod illi cum ea in pacem consentire abnuerent.

Anna Reg. urget pacē

582. Frustra Hollandi longâ epistolâ Reginam deprecari conati sunt, ut in fœdere tot jam annis felici, & aliquibus adhuc victoriis securam parituro omnibus quietem persisteret. Regina decretam sibi pacem, ut voluit, excusavit, nequicquam frendentibus in parlamento proceribus bene multis, quòd aliquorum invidia & corruptione bellum hactenus feliciter gestum nihil melius pareret, quàm illam eandem Statûs publici faciem, quæ arma capiendi prima fuerat fœderatis occasio. Sinzendorffius acceptis hac de re ab Eugenio literis Ultrajecto veniens Hagam Comitis, post varias inter fœderatos habitas consultationes, non obstante tam insperatâ rerum mutatione, unanimiter conclusa est à reliquis Confœderatis belli continuatio, & hujus expeditio, ad cujus operationes ex Batavis extraordinarie deputati ærarii præfectus Hoppius, & à Welderen ad castra se contulerunt. Quid hic dicam? nullum bellum fluctuatione animi pejus. *Petrarcha remed.* 75. Post triennium vulgò quis dicitur esse totus novus tam in moribus quam in vita, juxta *Romanum consil.* 236. allegans multa jura. Optimè Agesilaus: Ego, inquiebat, meipsum assuefacio, ut in nulla fortunæ mutatione admittam mutationem: Nec piget haud unquam stultè elegisse videbor, permanet in voto mens mea firma suo. *Ovid. epist.* 15. Hoc regium est; Princeps enim potissimùm debet habere unum calamum, & unam linguam, & esse immobilis sicut lapis angularis, & sicut polus in cœlo; ita ut in eum quadret: Quod scripsi,

Decretũ tamen est bellũ à Fœderatis.

pſi,

psi, ait *Baldus in cons.* 466. *incip. Rex Romanor. col.* 5. *vol.* 1.

Pergit nihilominus Regina parlamento suo 17. Junii pacem, & pacis articulos annuntiare, velut suis præcipuè populis utiles, & quibus eorum commercio multa commoda accederent. Securam etiam prædicabat pacem renuntiatione Philippi Regis monarchiæ gallicæ, & Gallorum Philippum Hispanicæ, quæ nullum locum regnorum conjunctioni relinquebat. Leviter attingit Regina, quæ ceteros spectabant fœderatos; Attamen quasi ex Regis Galliæ bonitate ipsis etiam obventuram aliquam utilitatem pollicebatur. Ipse Ludovicus uni articulorum, quos cum Regina pepigerat, ut videretur fecisse satis, filio Jacobi Regis, quem hactenus magnæ Britanniæ Regem coluerat, in Lotharingiam ablegavit. Pacem Parlamento Anna proponit.

Carolus Cæsar cum Augusta sua Posonium 18. Junii ascendit, ubi comitiis jam diu ibidem habitis adfuturus, & Regni Hungarici coronam consueto majestatis splendore accepturus. Carolus coronatur Rex Hungariæ.

Tertia Maji Tiberis fl. in agrum exundavit Romanum, & inter præcipites vortices suos in urbe, & extra urbem Romam domos innumeras abripuit; quod idem per Romandiolam ingenti fecit detrimento: oritur enim in Appenninis montibus ad oppidum Montem Corvatum, pertransiens Romandiolam effunditur in mare Florentinum. Decima tertiâ ejusdem Moscuæ urbis tertia pars incendio conflagravit, & viginti fermè domorum & ædificiorum millia igne sunt consumpta. 19. Maji in castro S. Germani prope Parisios decessit annorum novemdecim Ludovica Tiberis exundatio. Moscuæ incendium.

dovica Maria, Jacobi II. Regis Angliæ filia, quæ ipsi post exauctorationem in Gallia nata fuerat. Eodem mense Madriti Regina, Philippi uxor secundum filium enititur; & quinto ab hinc die apoplexiâ tactus moritur Vindocinensis Dux, exercitui hispanico præfectus, & in sepulchrum infertur priorum Hispaniæ Regum, velut intimo sanguinis nexu Philippo consanguineus.

Mortes variorũ.

583. Violato per Annam Reginam tam glorioso hactenus fœdere, gallicâ auri sicâ præciso, Eugenius Querceti obsidionem meditaturus, duplices fossiles lineas ad alteram Scaldis partem, supra oppidum Denain, sepimentis probè munitum, & alia antiquâ adhuc, à Gallis antehac effossâ lineâ tunc renovatâ roboratum, perfici jubet, ad securandam communicationem cum oppido Marchiennes, ad Scarpam fl. Duacum inter & S. Amandi fanum sito, in quo ingens armamentarium bellici apparatûs, & rerum omnium ad obsidionem necessariarum confœderati habebant, ideoque prædictas lineas variis aggeribus, vallis & redoutis benè muniebant, & Albemarlius justis copiis defendebat. Ad hæc Eugenius lustrato 6. Junii suo milite numerabat exercitum (præter Husarorum seu Hungarorum reservam) 234. qua peditũ quà equitum agminũ, prope Floriacum, comitatûs Narmurcensis, castra metatus: Ormontus verò cum exquisito suo 243. agminum exercitu ad oppida Solemnes & Crespin considebat; & octavo die Junii Eugenius missis sub Hompeschio 50. agminibus Quercetum 10. peditum, & 3. dimacharum agminibus sub præfecto Labadie confirmatum cir-

Marchiennes Armamentarium.

Eugenius Quercetum obsidet.

circumcingit, Generalis Fageli, experti militis, curâ & directione impugnandum. Oppidani vero fortiter se defendentes suburbium ipsi flammis subjiciunt. Per castra interim pervulgatur, mandasse Ormontium sui exercitûs militi sex dierum annonam distribui, separationemque à Fœderatis meditari, dum nullas etiam sui exercitûs copias, anglicis stipendiis militantes, ad obsidionem Querceti dimitteret, eisdemque potius separationem persuaderet; Eugenius è contra omnibus auxiliarium copiarum Generalibus anglica stipendia merentibus separationem dissuadebat, plenamque stipendiorum à Fœderatis solutionem stipulabatur, quam Angli denegarent. Jamque Cameraci, & in castris gallicis bimestre cum Gallis armistitium modò pervulgabatur; quod Ormontus 25. Junii Eugenio & fœderatis proponebat se jussu Reginæ intrà triduum in exercitu suo publicaturum, Gallumque in promissorum securitatem Anglis cessurum Dunquerckam, jamjam 10. Anglorum agminibus occupandam & possidendam; ideoque armistitium istud à cæteris Fœderatis admitti petebat: si non, suas intra triduum copias retracturum; qui quod suæ illud non esset potestatis, responderent, Ormontius proposito auxiliarium copiarum Generalibus eodem armistitio, jubet vasa ad abitum colligere; illis verò retractantibus, & juxta Principalium suorum Principum mandatum Eugenio adhærentibus, minas Duci præcipuè Würtenbergensi Danorum Generali intentat: quibus contemptis, rejectoque insuper in Ultrajectino conventu per episcopum Bristo-

Ormontius separationē suadet & urget.

Bristolensem proposito armistitio, omnes belli-duces Hasso-Casselensis, Anhaltino Dessaviensis, omnes Hollandiæ provinciæ &c. in magno militari consilio non separationem, sed conjunctionem cum Eugenio & Fœderatis unanimiter urgebant, ideoque Ormuntius Dunquerckæ possessionem 7. Julii capiendam in longius differt tempus, aliam expectans à Regina instructionem, qui 18. Julii Admiralis Laikius classe 33. navium Dunquercam adveniens, in urbem cum Anglicano milite admittitur, & cum 4000. Britannorum præsidio Generalis Hill urbis præfectus constituitur.

Dunquerka Anglis traditur.

584. Magna certè fuerit Gallorum necessitas, quæ illos ad tantæ robustæque urbis cessionem adegerit, & Anglorum à Fœderatis emerit secessionem. Anglicis igitur copiis à fœdero divulsis, & 28. Junii discessis, Querceti oppugnatio eo magis est maturata, primaque Julii generali assulto Carolus Hasso-Philipstalensis oppidanos ab exterioris muri fossa, opertaque via fortiter rejecit; jamque altera parabatur urbis impressio, cui præfectus impar resistendo 4. Julii spontaneam offert urbis & præsidii deditionem, Bredam deductis, quorum 2662. sani erant, & 528. ægri, capta præterea 30. vexilla, & 3. signa equestria, & 70. pagorum districtus cum libera Hanoniæ & Brabantiæ communicatione, & ulteriore in Galliam excursione, qua Eugenius sub Querceti oppugnatione General-Maj. Grovensteinium 10. Junii emittit in Campaniam & Lotharingiam cum mille quadringentis equitibus, qui sine ullo impedimento Sel-

Querceti deditio.

Grobensteinii excursio

Sellam fl. Mussiponti transiens, & à Metensi præfecto frustra contributiones exigens, in ejusdem urbis aspectu 50. pagos diripit, & incendit; dein superatis Saar & Mosella magnis cum spoliis, variis vadibus, binis contributionum millionibus, & non exiguo Galliæ tremore feliciter ad castra revertitur, quamvis à Villarsio emissis 40. equitum agminibus illum insecutus, sed ob ejus expeditam celeritatem non assecutus.

Eugenius capto Querceto Landreci meditatur obsidionem, plenum liberumque in Galliam aditum obtenturus, castra haud procul Landreco metatus, externas omnes secum legiones attraxit, Ducemque Anhaltinum cum 70. agminibus ad Landreci obsidionem dimisit: cumque Ormontius bimestre in suo anglicano exercitu publicasset armistitium, militesque sibi devincendo pecunias inter illos emitteret, obmurmurantes tamen supra mille profugi, Generalesque gravibus cum Ormontio verbis vellicati & cavillati, cum pluribus turmis clam, non otiando sed pugnando se advenisse dictitantes, Eugenii castra sunt secuti, centum armatorum millibus valida: ille autem, Ormontius, suo milite Gandavum & Brugas, non sine exiguo Batavorum terrore occupat. Inter hæc Albemarlus 9. Julii 400. equites, & ter mille pedites versus Valentianas frumentatum emittens ab his hostiliter aggressus, generose & feliciter repellit, mox infeliciter repulsus & internecive cæsus: Villarsius namque 19. Junii cum exercitu supra & infra Cameracum Scaldim transiens pugnam cum fœderatis primum initurus, postmodùm etiam ob-

Eugenius Anglicas copias attrahit.

Ormontius Gandavum & Brugas occupat.

obsessi Landreci solutionem variis hinc inde motibus suis simulabat, ut Eugenium falleret; re ipsa vero Albemarlum opprimere, & Marchiennes occupare intendebat, ideoque omnes Sellam & Scaldim transeundi aditus sollicite intercludebat, ne moliminis sui pateret intentio, mittitque Comitem Loignium cum 30. agminibus quasi ad Landrecum circumvallationis lineam perrumpturum, Villarsius vero 23. Julii cum toto exercitu & pontibus tota nocte tantâ celeritate subsecutus, illucescente die Neufvillam inter duo flumina Sellam & Scaldim, ubi Albemarlus horum omnium inscius prope Denainam considebat, pervenit, quamvis hic multos undique exploratores hostiles motus observantes emiserit, qui vel intercepti, vel à frequentibus turmis emissitiis fuerant impediti. Albemarlus hostem inter 7. & 8. matutinam advenientem cernens, Eugenium advocat, qui cum aliquot Generalibus advolans ex eminente sepimenti aggere copias quantum licebat disponit & dirigit; sed hostis multitudine & furore suo sepimenta perrumpens & diruens, Albemarlum opprimit, & cum 2080. capit, antequam Eugenius suis è castris & exercitu subsidium posset adducere, & 14. agmina Scaldim usque adducta pontis defectu (qui necdum perfectus præcipua est hujus cladis causa) nequiebant transire: submersi sunt Comes de Donna, & Comes Nassavius Woudenburg, multum deplorati; 4080. stragi superstites ad castra redierunt. Variæ hinc hominum prodierunt opiniones, vulgus, imo & Ordinum Status Albemarlum

Villarsius Albemarlũ internecivè cædit.

lum proditionis reum traducebant, qui sub fide Parisiis dimissus suam Hagæ Comitis defendit innocentiam, & crimen omnino purgavit, Eugeniusque literis 1. Septembris ad Pensionarium datis, illius generositatem, & militarem in hoc actu scientiam deprædicavit, sed maturiori aliquorum fugæ culpam imputavit: quanquam Eugenius ipse traductionis opinionem Gallorum fortè invidiâ apud quosdam non effugit. Iniquissima profectò hæc bellorum est conditio, prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur, dicit *Tacitus in vita Agric.*

585. Hac Villarsius usus victoriâ plura passim oppida Mortagne, Fanum S. Amandi &c. cum præsidiariis facile capit; Marchiennes verò ad Scarpam inaccessibilem tribunus Berckhofer cum 6. præsidiariorum agminibus fortiter adeo pluribus defendit diebus, oppidum alias exigui roboris, ut Villarsius formali illud tormentorum & mortariorum impressione sibi subjicere debuerit, præfectoque infame minatus fuerit suspendium deditionem longius deferenti; Berckhoferus hæc flocci faciens generosius adhuc ad 30. usque Julii propugnat, quo spe subsidii destitutus se cum præsidio Gallorum arbitrio submittit, cesseruntque Gallis ibidem ingens farinæ & Avenæ copia, 150. naves annonariæ, 90. tormenta bellica, auxiliarium copiarum bellicum ærarium, multa pyrobolorum & sphærarũ millia, & novem pulveris pyrei navigia Landreci oppugnationi destinata. Eugenius pane deficiente Landreci obsidionem sol-

Villarsius Marchiennes & plura occupat loca.

Landreci obsidio solvitur.

solvens, transiensque Duacum & Montes Hannoniæ Tornaci Scaldim ad commodiorem annonæ suppeditationem trajicit. Duacum à Gallis modò obsessum liberaturus, vel prælio decertaturus, quod Ormontii suggestione infirmo instructum præsidio; sed fortuito Hompeschii præfecti studio aliquot centuriis erat auctum; ast quia gallicus observationis exercitus inaccessibilis, & Fœderatorum multò erat diminutus, Batavorum deputati non permiserunt, ne tota exponeretur periculo Flandria & Hannonia, sed ad pacem sensim, acquisitis contenti, inclinabant, post 25. igitur dierum desperatam propugnationem cum Gallorum 6., millium strage Hompeschius vincentinum discretioni 9. Septembris se submittit. Duacum paulò pòst Quercetum cum omni fœderatorum re tormentaria, & aliquot millionum detrimento, ac demum ipsum Bouchainum 21. Octob. deditione est subsecutum; gloriatus quidem Villarsius se adhuc Bethunam & Meninum velle aggredi; sed inclinante ad hymem anno, & invalescentibus in debilitato exercitu morbis, quibus 18000. erant afflicti, hybernalia illis coactus est assignare.

Duacum capiunt Galli & Quercetum.

Interea præfectus Ostendanus Carris audiens debile & paucum fortalitii Knock præsidium, 4. Octobris emissarium de Ruë cum 3. centurionibus, & 186. bombardariis illuc dimittit, qui variis clam diverticulis circa vesperũ eo deveniens, in tribus inter quatuor versatiles pontes Casernis seu tuguriis occultè latens, summo mane ad portæ aperturam viarum exploratoris ope duos proximos fortalitio pontes tumultuarie invadit,

Knock capitur.

vadit, & cæso Stationario portam occupat; quod idem in binis aliis portis feliciter succedens totum duorum morte, & uno solùm vulnerato obtinet fortalitium: capto cum præsidiariis præfecto & Ipram conducto, auctum est præsidium, & ad vigorosam defensionem omnia subito sunt disposita, facile quippe prævidebatur Gallos tantæ fortitudinis & momenti fortalitium mox recuperaturos, uti eodem adhuc die præfectus oppidi Espeon duo armatorum millia illuc destinavit, qui pro loci cessione emissario de Ruë obtulit decem thalerorum millia, & annuam 5000. lib. pensionem & præfecturam legionis Dimachæ; quæ ille repudians noluit esse proditor; sed Generales Ordinum Status illum loci præfecturâ, & 3000. florenorum præmio, uti & socios aliis mactarunt muneribus. Ceterum fortalitium Knock ad ostium Iper fl. ubi Iser influit à Gallis extructum, propter solum paludosum fermè inaccessibile, & Gallorum communicationem cum Yvone Neoporto Dunquerco & Furnes intersepiens, non exiguo apparatu bellico, & commeatu erat dives. Tum fœderatorum exercitus in hyberna distributus, & Rex Borussiæ 7. Septembris per Principem Anhaltino-Dessaviensem tribus equitum legionibus mediâ nocte fortalitium, & Comitatum Meurs, Hollandis usque ad ventilatæ causæ cum Principe Nassavio-Frisiæ finem in sequestrum traditum, tumultuariè occupat, quod multas Hagæ Comitis excitavis disceptationes; quo etiam 2. Octobris pervenit Eugenius, ubi biduo post Albemarlii causa Denainæ stragis cum innocentiæ de-

Brandeburg capit Meurs.

dextrè immittunt, ut omnia brevi in cineres redigerentur; sicque eodem die impressione feliciter peractâ Duacum reversi, remoram Gallis injecisse putant pabuli equorum defectu præmaturè in campum prodeundi. Mirum hoc admodum quod in tanta 120000. portionum incensarum copia nullum aliud ubi detrimentum accreverit, quo dispersis circumvolantibusque undique flammarum scintillis facillimè granarium, aut pyrei pulveris armamentarium cum irreparabili urbis detrimento corripi & incendi potuissent. Variis deinde utrimque excursionibus, direptionibus & velitationibus actum est aliquamdiu, ad sequentem tamen expeditionem maturandam uterque indefesse se præparabat exercitus; Fœderati inter Scarpam & Dulim fl. supra Duacum confidentes trans Sensetum fl. liberam sibi versus Atrebatum & Cameracum viam aperire meditantes, 30. armatorum millia ex diversis colligunt præsidiis, quibus omnia sibi facile loca subjicere confidebant; sed totâ errarunt viâ, Mareschallus namque Montesquionus 144. armatorum agminibus triangulari fossili lineâ juxta Sensetum & Scaldim prope Bouchainum usque extructâ cuncta probe munierat loca, ut General. Yvojus ne quidem paludes Bacca Vannes transiturus penetrare posset; omnes prætereà ubique aditus vallis & sepimentis firmiter roborant, & apertis cataractis agros inundant Atrebato & Cortraco metuentes.

581. 25. Aprilis Eugenius venit in Belgium Tornacum, Anchini exercitum formaturus; quo etiam Dux Ormuntius copiarum Anglicanarum loco

loco Ducis Marleborugi in præfectura successor, 6. Maji appulit, quasi bellum tractaturus ex promissis, quæ Londini & Hagæ Comitis dederat; habitis namque variis cum Batavorum ministris Tornaci conferentiis, ipsum Eugenium pluresque Fœderatorum belliduces & ministros in hospitio Comitis Albemarle accedens, varia instantis expeditionis consilia & operationes ibidem agitarunt, unanimiter omnes in illa consentientes. Congregatis igitur Anchini & Levvardæ undequaque copiis, habitoque 22. & 23. Maji coram Eugenio & Ormontio armilustrio, in duos copiæ divisæ sunt exercitus, primum sub Eugenio formabant Cæsareo-Hispano-Batavo-Palatino-Hasso-Wurtenbergo-Monasterienses turmæ, simul 237. agmina, alterum sub Ormuntio conficiebant Anglo-Dano-Borusso-Saxo-Hanoverano-Holsato-Anspach Wolffenbütelenses, simul 203. quà peditum, quà equitum agmina. Gloriosus certè exercitus (quo Belgium raro vidit elegantiorem & copiosiorem) tam gloriose hujus anni expeditionem orditurus, quàm generose & laudabiliter alias priores finierat, nisi insperata fœderis discessio tam salutaria dissipasset temerassetque martia consilia. 26. Maji tamen ambo simul exercitus in quatuor quilibet columnis supra Bouchainum in alteram Scaldis partem transit, relicto in hac inter Denainum & Souches cum 43. tum equitum, tum peditum agminibus Albemarlo ad conservandam fœderatis cum Marchienno & Duaco, & Gallis præscindendam cum Valentiana communicationem; quæ sua

Eugenii exercitus qualis.

Et Ormontii.

castra Albemarlus fossili subito linea, & quidem duplici circumcingit. Nec impiger Villarsius suo cum exercitu gallico juxta Scaldim inter Cameracum & Crevecour castra metatus, militem Principis Coloniensis, aliumque decem & aliquot circiter agminum expectans; longe namque ob multarum adhuc urbium copiosa præsidia 100. circiter agminum impar erat fœderatis, qui pertransitâ supra Crevecour Scaldis scaturigine decretoriâ pugnâ & certamine moliebantur expeditionem exordii, quâ juxta omnium opinionem feliciter gesta, devictisque duabus solùm urbibus Atrebato & Cameraco certò hac expeditione subjugandis apertum sibi in Galliam aditum Fœderati patefecissent, & honestam securamq; pacem toti per Gallos tot bellis miserè afflictæ Europæ contulissent; quâ fortunâ freti, alacri seduloq; omnia animo ad certamen erant præparata, milesq; ardenter anhelabat: cùm ecce Ormontus Eugenio significat novo se speciali Reginæ mandato prohiberi Anglicum militem ad ullam tam certaminis quàm obsidionis adhibere operationem, sed defensive solùm jussus agere. Omnes eò magis admirabundi, quo Ormontus paulò ante Hagæ Comitis, & in magno Tornaci militari consilio, & in congressu ad S. Amandum apud Albemarlum fidelem certamque promiserat assistentiam; quapropter Eugenius omni Ormontium remonstratione ab hac sua opinione conatus deducere optatissimam, & jam dudum expectatam opportunissimam proponebat occasionem, felicissimum sine ullo dubio successum promittebat, adducebat summum

Ormontus non vult pugnare

sei-

reipublicæ commodum & interesse, & immortalem Britannicæ nationis gloriam, nunquam intermorituram. Sed cum frustra essent omnia, expeditis subitò Viennam & Hagam Comitis cursoribus, & quodam propræfecto ad Angliæ Reginam, cum literis ejusdem sui mandati petit revocationem, cum indubitata completæ victoriæ, & secuturæ honestæ certæque pacis appromissione. Britannicum ministerium licet totum jam à Gallis esset præoccupatum, corruptum & infatuatum, magnam tamen tam in superioris quam inferioris domûs parlamento ea res excitavit discordiam, & rixas, etiam cum duelli ob illatam infamiam provocatione, à Regina tamen inhibita; pluriumque sententia Reginæ mandatum pro indubitata pacis obtentione revocandum urgebat; sed prævalens Torris factio eam omnino rejiciebat; & cum in libello supplici mala hujus mandati consequentia Reginæ 8. Junii demonstraretur, ejus nomine respondit Oxfordius: Reginam plenum habere jus pacis & belli gerendi, suisque mandandi Generalibus; ideoque videri bellum à confœderatis tanto continuari ardore; ut plures Britannico auro & sanguine tam liberaliter hactenus in eos effuso urbes & provincias sibi compararent, quo Angliæ parum gloriæ, & nihil fermè commodi proveniret. Quo eodem tempore idem Reginæ mandatum Bristolensis episcopus Batavorum deputatis Ultrajecti aperiens, Statibusque improperans, indignantis Reginæ mentem exponit, quod illi cum ea in pacem consentire abnuerent.

Anna Reg. urget pacẽ

582. Frustra Hollandi longâ epistolâ Reginam deprecari conati sunt, ut in fœdere tot jam annis felici, & aliquibus adhuc victoriis securam parituro omnibus quietem persisteret. Regina decretam sibi pacem, ut voluit, excusavit, nequicquam frendentibus in parlamento proceribus bene multis, quòd aliquorum invidia & corruptione bellum hactenus feliciter gestum nihil melius pareret, quàm illam eandem Statûs publici faciem, quæ arma capiendi prima fuerat fœderatis occasio. Sinzendorffius acceptis hac de re ab Eugenio literis Ultrajecto veniens Hagam Comitis, post varias inter fœderatos habitas consultationes, non obstante tam insperatâ rerum mutatione, unanimiter conclusa est à reliquis Confœderatis belli continuatio, & hujus expeditio, ad cujus operationes ex Batavis extraordinarie deputati ærarii præfectus Hoppius, & à Welderen ad castra se contulerunt. Quid hic dicam? nullum bellum fluctuatione animi pejus. *Petrarcha remed.* 75. Post triennium vulgò quis dicitur esse totus novus tam in moribus quam in vita, juxta *Romanum consil.* 236. allegans multa jura. Optimè Agesilaus: Ego, inquiebat, meipsum assuefacio, ut in nulla fortunæ mutatione admittam mutationem: Nec piget haud unquam stultè elegisse videbor, permanet in voto mens mea firma suo. *Ovid. epist.* 15. Hoc regium est; Princeps enim potissimùm debet habere unum calamum, & unam linguam, & esse immobilis sicut lapis angularis, & sicut polus in cœlo; ita ut in eum quadret: Quod scripsi,

Decretū tamen est bellū à Fœderatis.

psi, ait *Baldus in conf.466. incip. Rex Romanor. col. 5. vol. 1.*

Pergit nihilominus Regina parlamento suo 17. Junii pacem, & pacis articulos annuntiare, velut suis præcipuè populis utiles, & quibus eorum commercio multa commoda accederent. Securam etiam prædicabat pacem renuntiatione Philippi Regis monarchiæ gallicæ, & Gallorum Philippum Hispanicæ, quæ nullum locum regnorum conjunctioni relinquebat. Leviter attingit Regina, quæ ceteros spectabant fœderatos; Attamen quasi ex Regis Galliæ bonitate ipsis etiam obventuram aliquam utilitatem pollicebatur. Ipse Ludovicus uni articulorum, quos cum Regina pepigerat, ut videretur fecisse satis, filio Jacobi Regis, quem hactenus magnæ Britanniæ Regem coluerat, in Lotharingiam ablegavit.

Pacem Parlamento Anna proponit.

Carolus Cæsar cum Augusta sua Posonium 18. Junii ascendit, ubi comitiis jam diu ibidem habitis adfuturus, & Regni Hungarici coronam consueto majestatis splendore accepturus.

Carolus coronatur Rex Hungariæ.

Tertia Maji Tiberis fl. in agrum exundavit Romanum, & inter præcipites vortices suos in urbe, & extra urbem Romam domos innumeras abripuit; quod idem per Romandiolam ingenti fecit detrimento: oritur enim in Appenninis montibus ad oppidum Montem Corvatum, pertransiens Romandiolam effunditur in mare Florentinum. Decima tertiâ ejusdem Moscuæ urbis tertia pars incendio conflagravit, & viginti fermè domorum & ædificiorum millia igne sunt consumpta. 19. Maji in castro S. Germani prope Parisios decessit annorum novemdecim Ludovica

Tiberis exundatio.

Moscuæ incendium.

dovica Maria, Jacobi II. Regis Angliæ filia, quæ ipsi post exauctorationem in Gallia nata fuerat. Eodem mense Madriti Regina, Philippi uxor secundum filium enititur; & quinto ab hinc die apoplexiâ tactus moritur Vindocinensis Dux, exercitui hispanico præfectus, & in sepulchrum infertur priorum Hispaniæ Regum, velut intimo sanguinis nexu Philippo consanguineus.

Mortes variorū.

583. Violato per Annam Reginam tam glorioso hactenus fœdere, gallicâ auri sicâ præciso, Eugenius Querceti obsidionem meditaturus, duplices fossiles lineas ad alteram Scaldis partem, supra oppidum Denain, sepimentis probè munitum, & alia antiquâ adhuc, à Gallis antehac effossâ lineâ tunc renovatâ roboratum, perfici jubet, ad securandam communicationem cum oppido Marchiennes, ad Scarpam fl. Duacum inter & S. Amandi fanum sito, in quo ingens armamentarium bellici apparatûs, & rerum omnium ad obsidionem necessariarum confœderati habebant, ideoque prædictas lineas variis aggeribus, vallis & redoutis benè muniebant, & Albemarlius justis copiis defendebat. Ad hæc Eugenius lustrato 6. Junii suo milite numerabat exercitum (præter Husarorum seu Hungarorum reservam) 234. qua peditū quà equitum agminū, prope Floriacum, comitatûs Narmurcensis, castra metatus: Ormontus verò cum exquisito suo 243. agminum exercitu ad oppida Solemnes & Crespin considebat; & octavo die Junii Eugenius missis sub Hompeschio 50. agminibus Quercetum 10. peditum, & 3. dimacharum agminibus sub præfecto Labadie confirmatum cir-

Marchiennes Armamentarium.

Eugenius Quercetum obsidet.

circumcingit, Generalis Fageli, experti militis, curâ & directione impugnandum. Oppidani vero fortiter se defendentes suburbium ipsi flammis subjiciunt. Per castra interim pervulgatur, mandasse Ormontium sui exercitûs militi sex dierum annonam distribui, separationemque à Fœderatis meditari, dum nullas etiam sui exercitûs copias, anglicis stipendiis militantes, ad obsidionem Querceti dimitteret, eisdemque potius separationem persuaderet; Eugenius è contra omnibus auxiliarium copiarum Generalibus anglica stipendia merentibus separationem dissuadebat, plenamque stipendiorum à Fœderatis solutionem stipulabatur, quam Angli denegarent. Jamque Cameraci, & in castris gallicis bimestre cum Gallis armistitium modò pervulgabatur; quod Ormontus 25. Junii Eugenio & fœderatis proponebat se jussu Reginæ intrà triduum in exercitu suo publicaturum, Gallumque in promissorum securitatem Anglis cessurum Dunquerckam, jamjam 10. Anglorum agminibus occupandam & possidendam; ideoque armistitium istud à cæteris Fœderatis admitti petebat: si non, suas intra triduum copias retracturum; qui quod suæ illud non esset potestatis, responderent, Ormontius proposito auxiliarium copiarum Generalibus eodem armistitio, jubet vasa ad abitum colligere; illis verò retractantibus, & juxta Principalium suorum Principum mandatum Eugenio adhærentibus, minas Duci præcipuè Würtenbergensi Danorum Generali intentat: quibus contemptis, rejectoque insuper in Ultrajectino conventu per episcopum

Ormontius separationē suadet & urget.

Bristo-

Bristolensem proposito armistitio, omnes belliduces Hasso-Casselensis, Anhaltino Dessaviensis, omnes Hollandiæ provinciæ &c. in magno militari consilio non separationem, sed conjunctionem cum Eugenio & Fœderatis unanimiter urgebant, ideoque Ormuntius Dunquerckæ possessionem 7. Julii capiendam in longius differt tempus, aliam expectans à Regina instructionem, qua 18. Julii Admiralis Laikius classe 33. navium Dunquercam adveniens, in urbem cum Anglicano milite admittitur, & cum 4000. Britannorum præsidio Generalis Hill urbis præfectus constituitur.

Dunquerka Anglis traditur.

584. Magna certè fuerit Gallorum necessitas, quæ illos ad tantæ robustæque urbis cessionem adegerit, & Anglorum à Fœderatis emerit secessionem. Anglicis igitur copiis à fœdero divulsis, & 28. Junii discessis, Querceti oppugnatio eo magis est maturata, primaque Julii generali assulto Carolus Hasso-Philipstalensis oppidanos ab exterioris muri fossa, opertaque via fortiter rejecit; jamque altera parabatur urbis impressio, cui præfectus impar resistendo 4. Julii spontaneam offert urbis & præsidii deditionem, Bredam deductis, quorum 2662. sani erant, & 528. ægri, capta præterea 30. vexilla, & 3. signa equestria, & 70. pagorum districtus cum libera Hanoniæ & Brabantiæ communicatione, & ulteriore in Galliam excursione, qua Eugenius sub Querceti oppugnatione General-Maj. Grovensteinium 10. Junii emittit in Campaniam & Lotharingiam cum mille quadringentis equitibus, qui sine ullo impedimento

Querceti deditio.

Grobensteinii excursio

Sel-

Sellam fl. Mussiponti transiens, & à Metensi præfecto frustra contributiones exigens, in ejusdem urbis aspectu 50. pagos diripit, & incendit; dein superatis Saar & Mosella magnis cum spoliis, variis vadibus, binis contributionum millionibus, & non exiguo Galliæ tremore feliciter ad castra revertitur, quamvis à Villarsio emissis 40. equitum agminibus illum insecutus, sed ob ejus expeditam celeritatem non assecutus.

Eugenius capto Querceto Landreci meditatur obsidionem, plenum liberumque in Galliam aditum obtenturus, castra haud procul Landreco metatus, externas omnes secum legiones attraxit, Ducemque Anhaltinum cum 70. agminibus ad Landreci obsidionem dimisit: cumque Ormontius bimestre in suo anglicano exercitu publicasset armistitium, militesque sibi devincendo pecunias inter illos emitteret, obmurmurantes tamen supra mille profugi, Generalesque gravibus cum Ormontio verbis vellicati & cavillati, cum pluribus turmis clam, non otiando sed pugnando se advenisse dictitantes, Eugenii castra sunt secuti, centum armatorum millibus valida: ille autem, Ormontius, suo milite Gandavum & Brugas, non sine exiguo Batavorum terrore occupat. Inter hæc Albemarlus 9. Julii 400. equites, & ter mille pedites versus Valentianas frumentatum emittens ab his hostiliter aggressus, generose & feliciter repellit, mox infeliciter repulsus & internecive cæsus: Villarsius namque 19. Junii cum exercitu supra & infra Cameracum Scaldim transiens pugnam cum fœderatis primum initurus, postmodùm etiam ob-

Eugenius Anglicas copias attrahit.

Ormontius Gandavum & Brugas occupat.

obsessi Landreci solutionem variis hinc inde motibus suis simulabat, ut Eugenium falleret; re ipsa vero Albemarlum opprimere, & Marchiennes occupare intendebat, ideoque omnes Sellam & Scaldim transeundi aditus sollicite intercludebat, ne moliminis sui pateret intentio, mittitque Comitem Loignium cum 30. agminibus quasi ad Landrecum circumvallationis lineam perrumpturum, Villarsius vero 23. Julii cum toto exercitu & pontibus tota nocte tantâ celeritate subsecutus, illucescente die Neufvillam inter duo flumina Sellam & Scaldim, ubi Albemarlus horum omnium inscius prope Denainam considebat, pervenit, quamvis hic multos undique exploratores hostiles motus observantes emiserit, qui vel intercepti, vel à frequentibus turmis emissitiis fuerant impediti. Albemarlus hostem inter 7. & 8. matutinam advenientem cernens, Eugenium advocat, qui cum aliquot Generalibus advolans ex eminente sepimenti aggere copias quantum licebat disponit & dirigit; sed hostis multitudine & furore suo sepimenta perrumpens & diruens, Albemarlum opprimit, & cum 2080. capit, antequam Eugenius suis è castris & exercitu subsidium posset adducere, & 14. agmina Scaldim usque adducta pontis defectu (qui necdum perfectus præcipua est hujus cladis causa) nequiebant transire: submersi sunt Comes de Donna, & Comes Nassavius Woudenburg, multum deplorati; 4080. stragi superstites ad castra redierunt. Variæ hinc hominum prodierunt opiniones, vulgus, imo & Ordinum Status Albemarlum

Villarsius Albemarlū interne-civè cædit.

lam proditionis reum traducebant, qui sub fide Parisiis dimissus suam Hagæ Comitis defendit innocentiam, & crimen omnino purgavit, Eugeniusque literis 1. Septembris ad Pensionarium datis, illius generositatem, & militarem in hoc actu scientiam deprædicavit, sed maturiori aliquorum fugæ culpam imputavit: quanquam Eugenius ipse traductionis opinionem Gallorum fortè invidiâ apud quosdam non effugit. Iniquissima profectò hæc bellorum est conditio, prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur, dicit *Tacitus in vita Agric.*

585. Hac Villarsius usus victoriâ plura passim oppida Mortagne, Fanum S. Amandi &c. cum præsidiariis facile capit; Marchiennes verò ad Scarpam inaccessibilem tribunus Berckhofer cum 6. præsidiariorum agminibus fortiter adeo pluribus defendit diebus, oppidum alias exigui roboris, ut Villarsius formali illud tormentorum & mortariorum impressione sibi subjicere debuerit, præfectoque infame minatus fuerit suspendium deditionem longius deferenti; Berckhoferus hæc flocci faciens generosius adhuc ad 30. usque Julii propugnat, quo spe subsidii destitutus se cum præsidio Gallorum arbitrio submittit, cesseruntque Gallis ibidem ingens farinæ & Avenæ copia, 150. naves annonariæ, 90. tormenta bellica, auxiliarium copiarum bellicum ærarium, multa pyrobolorum & sphærarũ millia, & novem pulveris pyrei navigia Landreci oppugnationi destinata. Eugenius pane deficiente Landreci obsidionem sol-

Villarsius Marchiennes & plura occupat loca.

Landreci obsidio solvitur.

solvens, transiensque Duacum & Montes Hannoniæ Tornaci Scaldim ad commodiorem annonæ suppeditationem trajicit. Duacum à Gallis modò obsessum liberaturus, vel prælio decertaturus, quod Ormontii suggestione infirmo instructum præsidio; sed fortuito Hompeschii præfecti studio aliquot centuriis erat auctum; ast quia gallicus observationis exercitus inaccessibilis, & Fœderatorum multò erat diminutus, Batavorum deputati non permiserunt, ne tota exponeretur periculo Flandria & Hannonia, sed ad pacem sensim, acquisitis contenti, inclinabant, post 25. igitur dierum desperatam propugnationem cum Gallorum 6. millium strage Hompeschius vincentinum discretioni 9. Septembris se submittit. Duacum paulò pòst Quercetum cum omni fœderatorum re tormentaria, & aliquot millionum detrimento, ac demum ipsum Bouchainum 21. Octob. deditione est subsecutum; gloriatus quidem Villarsius se adhuc Bethunam & Meninum velle aggredi; sed inclinante ad hymem anno, & invalescentibus in debilitato exercitu morbis, quibus 18000. erant afflicti, hybernalia illis coactus est assignare.

Duacum capiunt Galli & Quercetum.

Interea præfectus Ostendanus Carris audiens debile & paucum fortalitii Knock præsidium, 4. Octobris emissarium de Ruë cum 3. centurionibus, & 186. bombardariis illuc dimittit, qui variis clam diverticulis circa vesperū eo deveniens, in tribus inter quatuor versatiles pontes Casernis seu tuguriis occultè latens, summo mane ad portæ aperturam viarum exploratoris ope duos proximos fortalitio pontes tumultuarie invadit,

Knock capitur.

vadit, & cæso Stationario portam occupat; quod idem in binis aliis portis feliciter succedens totum duorum morte, & uno solùm vulnerato obtinet fortalitium: capto cum præsidiariis præfecto & Ipram conducto, auctum est præsidium, & ad vigorosam defensionem omnia subito sunt disposita, facile quippe prævidebatur Gallos tantæ fortitudinis & momenti fortalitium mox recuperaturos, uti eodem adhuc die præfectus oppidi Espeon duo armatorum millia illuc destinavit, qui pro loci cessione emissario de Ruë obtulit decem thalerorum millia, & annuam 5000. lib. pensionem & præfecturam legionis Dimachæ; quæ ille repudians noluit esse proditor; sed Generales Ordinum Status illum loci præfecturâ, & 3000. florenorum præmio, uti & socios aliis mactarunt muneribus. Ceterum fortalitium Knock ad ostium Iper fl. ubi Iser influit à Gallis extructum, propter solum paludosum fermè inaccessibile, & Gallorum communicationem cum Yvone Neoporto Dunquerco & Furnes intersepiens, non exiguo apparatu bellico, & commeatu erat dives. Tum fœderatorum exercitus in hyberna distributus, & Rex Borussiæ 7. Septembris per Principem Anhaltino-Dessaviensem tribus equitum legionibus mediâ nocte fortalitium, & Comitatum Meurs, Hollandis usque ad ventilatæ causæ cum Principe Nassavio-Frisiæ finem in sequestrum traditum, tumultuariè occupat, quod multas Hagæ Comitis excitavis disceptationes; quo etiam 2. Octobris pervenit Eugenius, ubi biduo post Albemarlii causa Denainæ stragis cum innocentiæ de-

Brandeb. burg capit Meurs.

declaratione est expedita; & habitis variis cum Batavis conferentiis illis Eugenius sequentis expeditionis projectum, nervique bellici fundum commodissimum demonstravit, à ceteris Batavorum Generalibus Albemarlo, Hompeschio Dopffio & iisdem etiam Statibus in multis approbatum, & quamvis Batavi ad pacem magis quàm bellum inclinarent; Eugenii tamen demonstrationibus victi, ad sequentis anni expeditionem se præparabant, præsertim quia Gallorum exercitus adeo miserè esset debilitatus, ut vix per hyemem refici aut reintegrari posset, adeoque æquiores pacis conditiones posse extorqueri.

Danus Stadam occupat

586. Dissuadentibus nequicquam Anglis & Batavis Danorum Rex Fridericus in Holsatiam exercitum immittit hac ratione ductus, quòd Rex Sueciæ Carolus nullum bellandi armistitium pro Germanicis provinciis, quamvis illi oblatum, acceptare voluisset, Stada Bremensis ducatus oppidum Anglico commercio pannico celebre, & anno 1676. Sueco ablatum cessit confœderatis; tractatu tamen Neomagensi Suecis cum Bremerverde & Buxtehude restitutum, Danis nunc obsidentibus 6. die Augusti se submittit. Araviæ in Helvetia pax inter pagos catholicos, & reformatos Bernensem & Tigurinum sancitur, recusante illam Abbate San-Gallensi, à reformatis violenter oppresso, qui tamen prima controversiæ & belli causa fuerat, in ea comprehendi, quòd agnitus à Cæsare Imperii Rom. princeps ad Cæsarem appellando potiores pacis conditiones speraret.

Helveti in pacē conveniunt.

Con-

Congressus Ultrajectini otiosus tractatus nihil interim efficiebat, Gallis post Denainam victoriam arcum altius, pacis leges non admittendo, sed præscribendo intendentibus hoc prodiit epigramma:

Compono, impono, colludo, illudo, quid inde
Conclusum, illusum, compositum, impositum.
Finis principio similis, sic ordo fugatur.
Nos dedimus, dabimus, nolumus & volumus.
Conventus noster ventus, conclusio casus;
Ut fuit accessus, sicque recessus erit.

Quam orta inter famulos legati gallici Menageri, & legati Hollandi Comitis de Rechteren rixa & irrisio admodum turbavit. Hoc, de Rechteren, fortuito casu in rheda sua ædes legati gallici transeunte, unus ex gallicis famulis aliquot sannis, & irrisoriâ gesticulatione insultavit famulo Hollando, qui post rhedam domini sui stabat, occasione capti per Gallos Denaini & Marchiennis, quorum expugnatio eodem die Ultrajecti rescita fuerat. Com. Rechteren delata ad eum à famulo suo alterius irrisione, misit suum legationis secretarium Rumpf ad Menagerum, qui de prætensa per hanc injuria peteret satisfactionem. Sic multis minatur, qui uni facit injuriam, ut ait *Seneca in proverb.* Menagerus futilia respuens, & famuli ejus irrisiones negantes, demum tamen famulorum invicem vult institui confrontationem; quam cùm nec præstaret, nec de facto conveniret, nec petitam daret satisfactionem, res inter famulos tractata est; nam cum ambo legati casu convenirent, & hac de re differerent, famulus Hollandus gallicum uno & altero

Ultrajectensis congressus suspenditur.

Injuriarum rixa, inter famulos

altero pugno cædens vindicavit injuriam, quam sibi illatam querebatur, viden, ait Rechteren, quid illatam sequatur sine satisfactione injuriam? taliũ in ejusmodi casu famulorum ero præmiator &c. Orator Gallicus grandem Regi & sibi vim factam juri non solùm gentium & securitati publicæ prætendit; sed ipse cum suis collegis jussu Regis ab omni per annum congressu abstinuit, voluitque Com. Rechteren legationis charactere privari, & Generales Ordinum Status, quorum ille gerebat personam, ad satisfactionem compulit; quam etiam metu Gallorum & Anglorum se turpiter deserentium, Gallisque adhærentium, & amore denique pacis, ad quam inclinabant, mediante Anglici legati declaratione præstare debuerunt, Regem deprecantes, effecturique ne Comes posthac in prosequendis tractationibus adhiberetur. Bene *Epictetus ap. Arinm in Ench. cap.* 8. Perturbant non tam res ipsæ, quam rerum opiniones: unde *Socrates*: Utres spiritus distendit, Stultos opinio. Arrogans omnium est accusator præterquam sui more Caligulæ, inquit *Seneca de const. cap.* 18. Qui omnia contumelias putabat, & sicut ferendarum impatiens, ita faciendarum cupidissimus. Comes de Rechteren vir ad magna natus, & magnæ auctoritatis, pluribus intra 11. annos legationibus laudabiliter pro Ordinum statibus functus, maluit legationis characterem cum satisfactionis cessione abdicare, quàm pacis impedire tractatum; cùm tamen prior ipsemet Comes de Rheda præsens à Gallo læsus injuriâ, & Menageri absentis solùm famulus. Nulli autem injuriam

riam facit, qui jure suo utitur *L. Proculus.* 26. *princ. ff. de dam. inf. Cap. Cum ecclesia.* 31. *x. de elect.* Et alapam cuipiam impingens ex pacto, non tenetur injuriarum *Bart. in L.* 1. §. *usque adeo. n.* 2. *v. quandoque de injur.* Si modò fiat in continenti, aliàs secus. *argum. L. in delict.* 4. §. *si extraneus. ff. de noxal. act.* Expedit hic moralem adjicere doctrinam antiquissimi simul & doctissimi *Tertulliani lib. de patient. cap.* 8. Idcirco quis te lædit, ut doleas, quia fructus lædentis in dolore læsi est: ergo cùm fructum ejus everteris non dolendo, ipse doleat necesse est, amissione fructûs sui; tunc tu non modò illæsus ibis, sed insuper & adversarii tui frustratione oblectatus, & dolore non offensus.

587. Anna Britanniæ Regina officiosâ legatione prævenit Regem Ludovicum demereri misso Bullingbrockio Vice Comite & secretario Statûs sui, qui 17. Augusti Luteriam cum legati extraordinarii titulo pervenit. Hic à Rege, aulæ ministris, & populis liberalissime exceptus, omni honorum genere est cumulatus. Filium Regis Jacobi II. dicitur privato salutasse colloquio, quo inductum est animis, res in Anglia Reginæ assensu præparari, ut Jacobus III. in eam reciperetur. Quod ut secretioribus procederet cautelis, hic Regis Angliæ nomen, quo vocari in Anglia solebat, deseruit. Productum deinde est ad alios quatuor menses inter Angliam & Galliam armistitium; cui tractando legationis obtendebatur prætextus, & reciproca honoris & fidei contestatione Rex Ludovicus Du- Legatus Anglicus Bullingbrockius Parisiis excipitur.

cem Aumontium jussit Londinum cum legati extraordinarii titulo se conferre.

Henrica Guelferbitana fit catholica.

Undecimâ Septembris advenit Ruremundam in Geldria Henrica Christina Guelferbitani Ducis filia, amita Augustæ Caroli Cæsaris conjugis, & Gandersheimii monasterii, à Lutheranis nunc possessi Abbatissa; quod monasterium anno 843. à Duce Ludolpho Guelferbitano pro Romanæ Ecclesiæ monialibus est extructum, & Haimodis ejus filia prima fuit Abbatissa, ibidemque Ludolphus & uxor ejus Oda sepulti. Ubi exemplo patris Antonii Ulrici, & neptis Elisabethæ Imperatricis, qui fidei Romanæ accesserant, eidem nomen dedit. Post hanc fidei professionem in uno ejusdem urbis catholicæ claustro monialium sibi delegit mansionem princeps fœmina, & in eo privatim cœptat vivere, ad sericum aut purpuram non reditura, nisi ubi induerit immortalitatem & vestem gloriæ, duas imitata Sulzbacenses Ducissas Amaliam & N. Coloniæ in Ordine Discalceatarum professas, humiliter Deo, & saluti suæ servientes.

Pestis animalium.

Per totam fermè Italiam cornigeri pecoris grassari cœpit contagium, serpente malo ab una in aliam provinciam, & sequentibus annis per superiorem & inferiorem Germaniam, cum ingenti urbium & regionum detrimento, quæ nedum carnium esu, quin & colendæ telluri aptis animalibus caruerunt. Ideoque notabilis lex erat Athenienfium teste *Æliano lib. 5. var. hist.* bovem aratorem, qui jugum trahit, vel in aratro, aut plaustro, ne mactes; quoniam etiam ille agricola est, & humano generi laborum socius.

Duo-

Duodecimâ ejusdem Septembr. obiit Parisiis annorum 88. N. Casinus, mathesis & astronomiæ peritissimus, quem Rex Ludovicus ex Italia pretio conduxerat, ut astronomicis observationibus, quæ in theatro à se erecto publicè fiebant, præesset. Idem Rex Galliæ Ludov. uni ex suis rei maritimæ præfectis, & soli jus commercii attribuit in Americæ septentrionalis, toto illo terrarum tractu, qui à Mexicana regione ad Carolinam protenditur; quamvis in tanto spatio multæ continenantur provinciæ, quæ à Gallis nec detectæ, nec possessæ sunt, & ad quas proinde omnibus jure gentium aditus patebat. O ambitio! Phavorinus apud *Stob. serm.* 2. ait: sibi ambitiosos videri partim ridiculos, partim odiosos, partim miserabiles; ridiculos, ut qui per audaciam ad majora aspirant; odiosos, qui ea consequuntur; miserabiles verò, qui spe frustrantur.

Casini mors.

Americæ commerciũ.

588. Vigesimâ septima Septembr. Suecorum classem, copias & militarem apparatum in Rugiam Insulam haud procul Stralsunda, urbe Hanseatica deportantem Dani aggrediuntur; sed solas quadraginta onerarias obtinent, quæ jam expositis in Insulam copiis & bellico apparatu vacuæ in portus suos erant rediturae. Interea Augustus, & Stanislaus Poloniæ Reges gentis comitia indixerant, adulante unicuique spe, se regnum universum ad se trahendi; sed à consiliis deterretur Augustus, Suecorum felici progressu, qui è Rugia Insula, & vicina Stralsunda, quam Moschi (quorum Dux ad thermas Carolinas in Bohemiam proficiscens Berolini Regem

Dani Suecorum capiunt naves.

Sueci invadunt Holsatiã

Prussiæ salutarat) Poloni & Dani frustraneâ prius obsidione fatigarant, & tunc vallo, & copiis latè circumpositis cingebant, egressi per vallum perruptum Sueci, & fugatas Fœderatorum copias in Ducatum Megapolitanum & Holsatiam pervenire festinabant. Experrecti ad hunc Megapolitani Ducatûs ingressum Rex Prussiæ & Brunschvvicensis Elector, ne ulterius in Germaniam bellum serperet, se mediatores offerunt, obtinentque à Suecis quindecim dierum armistitium. Sed hoc ad pacem conferendam inutili, Moschus, ac Reges Poloniæ & Daniæ habito inter se consilio de sociandis exercitibus conveniunt; quod ne fieret, Comes Steinbockius Suecorum archistrategus Danos adhuc solos tumultuariè insilit, & ad Gadebuschium in Megapolitano Ducatu dissipat, nequicquam accurrente in auxilium Saxonico equitatu; unde omnis Danorum bellicus apparatus Suecis cessit in prædam. Habent Sueci Struthionis stomachum plurimum ferri digerentes.

Cædunt Danos.

Primogenitum filium Regi Portugalliæ Joanni V. parit consors Regina Maria Anna Austriaca, qui inter festivos aulæ plausus Brasiliensis Principis titulo 13. Octobris salutatur. Septimâ deinde Novembris Lusitani cum Gallis & Hispanis ad quatuor menses statuunt armistitium, quod postea dilatâ pacis conclusione pluries, & usque ad sequentis anni finem est protractum.

Lusitani primogenitus.

Armistitium cum Hispanis.

Ipso Calendarum Novembrium die Emanueli Duci Bavariæ Belgii Catholici cessio extraditur, quale Philippus Rex putabat ad se spectare, mittiturque Dux in ejus partis possessionem, quam

Bavaro Belgium ceditur.

quam Rex actu possidebat, scilicet urbium Luxemburgi & Namurci; & Ducatus quidem Luxemburgus numerat urbes 23. & oppida, seu pagos 1168. Comitatus autem Namurcensis urbes 4. & pagos 132. continet. Cessio hæc ab hujus anni initio, secunda scilicet Januarii die facta dicebatur, quamvis Duci hucusque ignota, & de provinciis statuebatur, quæ utriusque aulæ hispanicæ & gallicæ assensu oblatæ pacis articulis Cæsari cedebant.

Legatus Angliæ adest cessioni Philippi coronæ gallicæ.

Quinta Novembris Lexinstonius titulo legati Britannici pervenit Madritum, Reginæ nomine futurus præsens solenni renuntiationi, qua Rex Philippus omni juri, quod ei, & posteris suis omnibus pertinere poterat in coronam gallicam, cedebat. Gentis Hispanorum universæ comitiis, quæ tunc Madritum ad hoc evocata sedebant, consensu & approbatione res fiebat; uti pariter Principum Borbonicæ Domus cessio regnis Hispanicis hac eadem etiam occasione ostensa est. Eâdem quoque solemnitate transcripta est Anglis per Regem Philippum Gibraltariæ arcis & urbis proprietas, quæ in eorum modò erat possessione. Tum etiam ejus Legatus, qui apud Regem Philippum residebat, & Regis Angliæ titulo & nomine Madriti colebatur, nomini cessit & ministerio, detraxitque è domi foribus exposita regnorum Britanniæ insignia, ut Philippus ostenderet, se Annam pro vera, unica, & legitima eorum regnorum habere Reginam. Interim Anglia solvit 8. Decembris Dux Marleborugus, obtentâ à Regina abeundi licentiâ, prætextu status visitandi, quos illi Cæ-

Philippus agnoscit Annam Reginã.

Marleborugus Angliã deserit.

Cæsar in Germania benignè assignaverat, omnis enim ejus familia aulâ Anglicanâ est eliminata. Ne autem machinatæ præ foribus paci aliquam consiliis suis remoram injiceret, veritus est per Hollandiam transire, multò minùs ausus Cæsaris amplecti in Germania militiam. Brevis est magni fortuna favoris. *Sil. Ital.* Experta namque est ignem in Scævola, ingratitudinem in Scipione, gladium in Cæsare, paupertatem in Fabricio & Belisario, exilium in Rutilo, tormenta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone, exauctorationem in Marleborugo.

Turca Moscho bellum indicit.

589. Novo bellandi œstro Sultanus Turcicus bellum Moschis 11. Novembris iterum indicit, hac totâ inductus ratione, quòd audiret in Polonia Moschos aliquos persistere, contra exactam ultimæ pacis transactionem.

Quamvis Ultrajectensis congressus rixosâ famulorum istorum injuriâ fuerit interruptus, legatus tamen Britannicus laborabat interim pro pace ineunda indefessè, sperabantque Galli aliquod saltem armorum interstitium secuturæ pacis prodromum; quod omni tamen conatu Eugenius & Sintzendorffius rejiciebant, & impediebant. Batavi quidem non omninò rejiciebant; malebant tamen sinceram, & Germaniæ proficuam pacem, ejusdemque quietem; hinc pacis projectum seu conditiones à se conceptas Strafortio in Angliam transfretanti committunt & commendant. Hic 6. Decembris ex Auglia Hagam Comitis redux Pensionario Hensio, cæterisque Batavorum plenipotentiariis sequentes pacis à Regina proponit conditiones: 1mò Bavaro

warò tradantur Namurcum, Luxemburgum & Carolo regium sub Batavico præsidio; quæ Cæsari extradantur, si sua Bavaro restituatur Bavaria. 2dò Eidem Bavaro dabitur Sardinia, & Sabaudo Sicilia. 3tiò Huic omnia hoc bello à Gallis ablata cum valle Pragelas, Fenestrelles & Exilles restituantur & possideantur. 4tò Item Elector Coloniensis plenarie reponatur. 5tò Rex Galliæ agnoscet Fridericum Regem Borussiæ, eidemque pro Ducatu Arausicano 700000. fl. extradet, aut in provinciis æquivalens, manebitque in quieta possessione Neo-Castri & Valingini. 6tò Neapolis, Mediolanum, & quidquid possidet in Italia & Landavia, Cæsari remanebunt. 7mò Imperii Rom. antemurale erit rhenus; Argentoratum vero Gallus retinebit, sed omnes ad rhenum fortificationes demoliantur. 8vò Lusitanus Badajox seu Pacem Augustam cum aliis obtentis urbibus possidebit. 9nò Cæsari bellum in Hispanos continuanti servabitur neutralitas; Catalonia vero Gallo-Hispanis attribuatur, modò generalem obtineat amnestiam. X. Philippus est & erit Rex Hispaniæ, cujus lineæ deficienti succedat Sabaudus. XI. Inter Anglos & Batavos fœdus off- & defensivum ratione Belgii antemuralis, & successionis lineæ protestanticæ concludetur. XII. Montes Hannoniæ, & fanum S. Chiliani continebuntur intra antemurale, Insula vero seu Lille excludatur. His èconrra Batavi replicabant & prætendebant Condatum, aut ejus demolitionem, in fortalitio S. Mariæ, & Luxemburgo, quamdiu sub Bavaro esset, bataviсum præsidium proviſio-

Pacis conditiones ab Anglis propositæ.

Aliæ à Batavis.

sionaliter imponere; Arausionem cum omnibus dependentiis in suas extradi manus; aliquot millionum ab Hispanis satisfactionem, & Argentorati Imperio Rom. restitutionem, ac denique tractatus commercii inter Gallos & Batavos anno 1664. initi sine ulla exceptione confirmationem. His omnibus rejectis dum Galli quotidie postularent insolentiora, & capitale Europæ maneret damnum, subsistentibus nimirum in eadem familia Galliæ, Hispaniæ, Indiarumque regnis, quarum unione potentia omnium libertati excrescebat gravissima, martem paci præferre videbantur, & Eugenius Ultrajecto Viennam abiens benignè à Cæsare excipitur, quo etiam ex Italia Daunius, & alii aliunde Belliduces ad bellica conveniebant consilia.

Superioris Germaniæ expeditio per Würtenbergum frustratur.

590. In superiori ad rhenum Germania vix quidquam singularis moliminis est peractum, nisi quod hostiles uterque exercitus motus observaret; Cæsareo-Imperialis sub Archistratego Principe Würtenbergensi castra Etlingam inter & Philopopolim fixerat, inde Mückenheimium transtulerat, ubi Dux audiens exortas in Helvetia turbas inter Abbatem S. Galli & Toggenburgos indies augeri, eo aliquot sub Gener. Wend legiones destinat circa Constantiam, observaturas Gallos, eò prope Hunningam confluentes, & in aquis turbidis commodum suum piscaturos. Eorum autem 30. millium exercitus inter Coronopolim, & Lauterburgum in fossilibus lineis sub Harcourtio residebat, quem Wurtenbergensis Dux ibidem invasurus, audit duodecim gallicas legiones prope Kehl & Ludo-

dovicium munimentum cis rhenum repressalia meditari Grovensteiniæ in Galliam nuperæ excursionis (cujus suprà memini) hinc aliquot illuc amandat legiones, quæ nullam hujusmodi Gallorum excursionem reperiunt; ideoque prædictarum linearum invasionem meditatus, eas tormentis bellicis Landavia delatis impetendo simulabat eo etiam loci lineas perrumpere, dum in alio Princeps Alexander Wurtenbergensis eas clam insiliret. Sub medium autem noctis peditatus in via ob silvæ densitatem in confusionem actus & perterrefactus, hostem adesse existimans, in commilitones acriter explodit, & ipsum Alexandri pileum bis perterebrat: alii fugam capiunt, & pedibus timor addidit alas (*Virg.* 8. *Æneid.*) quos Alexander clamore & mucrone cohibere frustra tentabat; nec equitatus continere, aut circumagere poterat, imo abstulerat vires corporis ipse timor [*Ovid.* 6. *Fast.*] adeoque arma abjiciebant: Cæsareorum panicus timor.

Sic malus interpres rerum metus omne trahebat
Augurium pejore viâ, - ;

ut ait *Claudianus.* Hoc panico excitati Galli omnes obtrivissent Germanos, si eos tumultuariè invasissent, sed:

Sæpè cornuti non audent cornibus uti.

Alexander admodum indignatus congregato tandem milite, centumque eorum universim desideratis aut sauciatis; regressus ad oppidum Langenfeld, inde pergit Germersheimium, latebatque uterque in suis lineis exercitus ad certamen indispositus, velitationibus tamen quandoque intentus. Gallicus autem Generalis Quad col- Gener. Quad.

collectis aliquot ad Saaram & Mosellam millibus suspicabatur Trarbachum aut Coloniam invasurus; sed exactis contributionibus militem suum ad sua remisit, uti Germanis concessa quoque sunt hybernalia.

Annus 1713.

Cæsar aulam suam purgat histrionibus.

591. Hic annus miram toti Europæ contulit mutationem, & unius fragilis fœminæ inconstantia gloriosissimi fœderis dissolutionem toti Europæ noxiam, dicamne proditoriam? ut quidam scribunt, fuit tunc temporis tanta Domûs Austriacæ potentia, tanta opulentia, talis domestica, judiciaria, politica & totius ejus statûs œconomia, qualem in prædecessoribus vix inveneris; auspicatus enim hunc annum Carolus plurium ex aula dimissione, qui cantu seu musica, choreis, & similibus vanis oblectamentis voluptati publicæ auctorati ministri, non exiguam ærarii partem pinguibus absorbebant stipendiis, quod vix necessariis belli suscepti sumptibus sufficiebat. Quintam etiam partem voluit ab illis sibi resolvi earum pensionum, quas Josephus antecessor puro liberalitatis genio diversis fuerat impertitus. Peractâ etiam solemni Caroli Ungaricâ Presburgi coronatione tota pacificè quiescat, seque legitimo suo Regi submittat Ungaria, rebellionibus, conspirationibus, nefandis continuò bellis & gravissimis direptionibus, latrociniis, atque in hæreditarias provincias crudelibus irruptionibus hactenus tumultuosa, Batavorum nunc mediationis studio composita, atque nefandis Rebellium insidiis, & Gallorum in-

Pacatâ Ungaria urget belli continuationem.

instigationibus libera & secura, magno nunc ejus adjumento facilius posset hostium molimini occurrere, & bellum continuare, modò Anglorum & Batavorum non defuisset fœderis constantia, qui jam facta hispanicæ monarchiæ dismembratione contenti optatam inde Europæ quietem & securitatem futuram existimantes, ingentibus belli continuandi sumptibus sese exonerare meditabantur, quo Carolus Cæsar non contentus, jus suum contra Gallos omnibus viribus defensurus, militem in omnibus suis hæreditariis provinciis auctorare, nervum bellicum colligere, Generales Ordinum Status ad fœderis fortunati constantiam, & generosi belli continuationem propriæ manûs literis adhortari non desinit; ad quod se maturè ad eos missurum Rom. Imperii Achillem Eugenium, probatæ militaris scientiæ inclytum Principem, cujus hactenus respublica consiliis, generositate, & prudentia tam militari quam politica non exiguum nacta est emolumentum, multò majus consecutura, si despoticè suo marte, at liberis manibus rem agere posset; quamvis ejus Cæsar præsentiâ tam in politicis & œconomicis quàm martialibus vix posset carere, ob emergentia passim Imperii Rom. negotia, & periculosas conjuncturas? sapientissimorumque virorum in aula Cæsarea luctuosissima & perniciosa fata, quibus functi sunt Cardinalis Princeps Lambergus principalis Cæsaris in comitiis Ratisponensibus Commissarius, & ad tractatus Rysvvickenses legatus plenipotentiarius, deinde Casparus Florentius à Conspruck vir in statûs politia ad plenam usque ætatem versatissimus,

Commendat Eugenium.

Obitus Lambergi Consprug & Uratislau.

mus, demum Comes ab Wratislavio, vir ingentis capacitatis, & ad gravissima reipublicæ negotia expedienda natus, cujus mortem Carolus & Eugenius plurimum deplorabant.

Sollicitabant tunc temporis Viennensem aulam septentrionalia Imperii Rom. membra, Duces Mecklenburg - Svverin - & Strelensis, Imperiales etiam urbes Lubeca & Hamburgum gravissima sibi à Confœderatis septentrionalibus illata damna ad comitia deferentes, & subsidium protectionemque implorantes: ne verò hæc mala ulterius proserperent in Imperium, non exiguo fortè Gallorum ubique invigilantium emolumento, & reipublicæ Rom. decremento. Hinc Carolus Ducatus illos & civitates in Cæsaream assumpsit protectionem.

Controversia Toggenburgensis.

592. Nec minus eandem defatigarunt aulam turbæ Helveticæ inter Abbatem S. Galli, & Toggenburgenses ejus subditos, querelantes sua sibi privilegia & libertates à Prælato minui & auferri, quæ res in hoc versatur cardine: defuncto ultimo Comite de Toggenburg, dominium ejus comitatûs jure hæreditatis ad duos fratres de Raven, ejusdem Comitis nepotes devenit, qui non tanti illud æstimantes, vendiderunt dominium anno 1468. S. Galli Abbati 14500. florenis, qui primùm illis jus provinciale cum Suitensibus & Glaronensibus initum denegans causâ cecidit; tempore autem reformationis maxima Toggenburgensium pars relicta Catholica religione reformatam, seu Calvinianam amplexa Tuginorum ope & ære Abbatis in se jurisdictionem abjecerunt; postmodum

verò

verò se rursus Abbatis jurisdictioni sponte subjicientes plenam & quasi mancipalem exercuit in illos potestatem; inde orta anno 1701. controversia Toggenburgenses jus suum provinciale cum Suitensibus & Glaronensibus anno 1703. renovant, contra quod Abbas protestans ad communem Helvetiæ senatum appellat, dumque ad Bernensium & Tuginorum confugerent patrocinium Toggenburgenses, & res ad tres Cantones Catholicos & tres reformatos arbitros esset delata, hi tres Abbatis arces vi armatâ invadunt & capiunt, quod multorum annorum excitavit litigium, usque dum Abbas anno hoc 1713. Catholicos Toggenburgenses conveniens eorum septem Abbatis in se dominium & jurisdictionem fatentur & declarant. Conventus quidem Badensis rem amicè desiderabat componere; sed cùm Cantones Catholici Toggenburgensibus negotiis & controversiis se nollent implicare, Abbas animosior meditatur executionem, ad quam elidendam tam Toggenburgenses quam Bernenses & Tugini publico Manifesto cæteros Cantones à subsidio Abbati suppeditando irritò dehortantur, & Catholicis quinque Cantonibus Abbatis causam defendentibus ad arma proceditur, & Abbas agitur in fugam à Bernensibus, hinc à Legato Cæsareo conventus Arovii, quantò ardentius indicebatur, & urgebatur, tantò à Gallico impediebatur; aliquot tamen puncta conventa quidem sunt & subscripta, sed non servata; quin rursus ad arma ruunt, ita ut pluribus Cantonibus sibi invicem contrariis in publici belli flammam

exardere videretur, quod Galli pessimo suo afflatu non absque suo commodo magis inflammare contendebant. Decima quarta tamen Augusti pax utrimque insperata subsequuta, indiscussâ, & in aliud tempus ad universalem Badæ conventum dilatâ Toggenburgensi controversiâ, quam Abbas postmodùm ex fundamentis erutam aulæ Viennensi demonstravit, eodemque aula fundamento ipsam fulcivit, quod nem. Comitatus Toggenburgensis fuerit, sitque antiquum & indubitatum Imperii Rom. feudum, ut in suis etiam Abbas scriptis fatetur & probat, contranitentibus Bernensibus & Tuginis in comitiis Ratisponensibus, quæ causam Electori Palatino, Episcopo Herbipolensi, Principibus Würtenbergensi & Badensi, à Cæsare confirmatis, examinandam, & decidendam committunt; unde patet, quod licet hæc causa longius sit prorogata, Helveti tamen suas etiam causas & controversias cæsareo subjiciant judicio.

Helveti cæsareo se subjiciunt judicio.

Moschus offert Cæsari armilitem

In hac rerum bellorumque tempestate opportunè quidem Moschorum Dux Cæsari ad repellendum ejiciendumque Gallum triginta armatorum millia offert subsidio, modò Dux consors & membrum Rom. Imperii à Cæsare & cæteris Principibus & Statibus admitteretur, se proinde velle Livonicas à Sueco jure belli devictas provincias Imperii Rom. feudales agnoscere, & ut tales, tanquam Vasallus Imperii possidere. Hæc res & oblatio magni quidem videbatur emolumenti, sed majoris indaginis & consilii; quâ penitius deliberatâ & discussâ, Cæsar

ſar ejuſque prudentiſſimum miniſterium non expedire exiſtimabant potentiſſimũ hujuſmodi membrũ ob urgentiſſimas cauſas admittere, eò quòd præter alia invariabilis Imperii Rom. forma & unio ſic diu nequeat ſalva & integra conſervari, ſed brevi diſſolvenda foret; uti quoque Gallorum pro Alſatia eadem oblata promiſſio fuit rejecta.

593. Nonâ Januar. tota immiſſis per Suecos flammis Altena prope Hamburgum exarſit, incolarumque pars maxima, cui per ætatem aliorſum refugere non licuit, intenſo hyemis frigore & inedia eſt abſumpta. Sueci in Holſatiam delati ab ea urbe, nullis cincta muris, primum ducenta ſcutatorum millia popoſcerant, ut ei parcerent ab incendio, quam pecuniam cum cives nequirent numerare, traditi crudeliter ſunt flammis. Steinbockius Comes Suecorum ductor cùm poſt hoc factum Danos, Polonos & Moſchos ſibi imminere intelligeret, feſtinus ultra Eyderam fl. caſtra transfert, & viam rimatur, per quam ſe in Pomeraniam ſubduceret, quæ cùm ei amplius interpoſito hoſtium ſuorum exercitu non pateret, copias ſuas ſub mœnia Toningæ, amicæ urbis adducit. Hoc bellum ne interiorem ulterius ſerperet Germaniam, novum fœdus Cæſar, Rex Boruſſiæ & Domus Luneburgica agitant, quod novis conſiliis de pacando amicabiliter rerum ſtatu locum brevi cedit. Moſchorum interea Cæſar 12. Februar. Suecos pellit Fridericoſtadio, inſequiturque Comitem Steinbockium, qui copiis ſuis etiam ſub mœnibus Toningæ metuens, intra urbem eas admitti

Altenæ incendium & fames.

Et Holſatiæ.

Steinbockius pellitur.

precatur, & ab urbis præfecto jussionis prætextu obtinet, quâ Hosaltinus Dux majorennis Holmiæ declaratus eas intromitti imperabat. Hac admissione Rex Daniæ provocatus, totam occupat Holsatiæ provinciam, conjunctisque fœderatis circa urbem copiis, latâ urbem cingit obsidione. Moschus Hanoveram, Wolffenbuteliam & Berolinum circuit, ubi Regem Borussiæ iterum salutat, & viso raptim in Polonia Augusto Rege, pergit in Livoniam. Sub hæc 25. Februar. Berolini moritur Fridericus Rex Borussiæ, annorum 56. non pœnitendæ famæ Princeps, qui nempe plura felici exitu generosè molitus est, maximè quòd in familiam suam primus regium nomen & dignitatem invexerit illis statibus attributam, qui Imperii nomen non agnoscebant.

Danus occupat Holsatiam.

Mors Regis Prussiæ.

Anna Britanniæ Regina novâ Regem Ludovicum honestat legatione, ablegato in Galliam Sheresburi Duce, qui cum uxore sua Parisios grandi apparatu 13. Januar. pervenit, hærescentem pacem pompaticis officiis, contradicente licet Cæsare, promoturus, cujus res in Hispania multum nunc erant afflictæ, ut Starrenbergius Cæsareanorum ductor imminentes in Cataloniam Hispanos avertere nequiret, præsertim quia Angli à fœdere deficientes totam tractatibus suis Hispaniam eâ conditione Philippo attribuerant, ut Cæsaris miles ejusdemque uxor liberè & securè ex Hispania dimitterentur. Quod licet gravissimum Cæsari accideret, totam Hispaniam & tam fideles sibi Catalaunos ejus opem & patrocinium enixissimè deprecantes deserere; at tamen,

Cæsar Hispaniam dimittit.

tamen, quia ſine Anglia manutenere non poterat Hiſpaniam, ab Hollandia pacem ſuſpirante orbatus ſubſidio, & Luſitania admitteret armiſtitium, ab omnibus Carolus deſertus debuit juſtitia cedere neceſſitati, revocatusque 14. Mart. cum milite Starrenbergus, & Eliſabeth Imperatrix Catalaunis miſerè ſuorum amiſſionem privilegiorum deplorantibus, Auguſta & copiæ Cæſareæ Anglorum claſſe ſub Admirali Jennings in Italiam exportatæ 20. Mart. Genuam appellunt, unde Auguſta Mediolanum contendens, plures ibidem moratur hebdomadas. Auguſta venit in Italiam. In Italia pariter fortuna Cæſarem deſerebat, ut vix quidquam momenti Daunius Comes contra Gallos ibidem etiam velut obdormiſcentes efficeret; nec Sabaudi motus, & conſilia ambigua, & utrique parti blandientia penetraret; quem iteratis Cæſar literis à pace dehortatus particulari, vix poterat fidere; nam Comes Peterborugus Anglus, Marleborugi inimicus infenſiſſimus, Viennâ & inde (apud varias Principum aulas pacem ubique negotiatus) Venetiis & Mediolano Turinum profectus, omnibus Ducem modis & blanditiis à fœdere conatus abſtrahere, ampliſſimis aulam iſtam ejuſdemque miniſtros muneribus omnium admiratione honeſtavit: quare 14. Mart. Italiæ neutralitas & armorum interſtitium Sabaudo innuente eſt interdictum, vetitusque Cæſar vi in eum uti, niſi Gallos & Anglos hoſtes habere mallet. Italiæ neutralitas. Boruſſiæ igitur milites anglico militantes ſtipendio [quo ex indictione Peterborugi impoſterum erant privandi] ex Italia in Germaniam ſunt tranſlati. Hæc omnia unica

nica effecit mulier, quæ promiserat, & cœlum terramque moverat, ut Carolum Austriacum Iberico imponeret throno, nunc eadem fœdifraga cœlum terramque movet, ut illum throno dejiciat:

Carolus ab omnibus deseritur.

Mulier adusta nimio madefacta Lyæo. Ovid.
Mobilis Anna nimis, vernâque incertior aurâ?
Cur tua pollicito pondere verba carent? Ovid. Epist. 6.

Res mala, res turpis, dare nil, promittere multa.

Inter hæc tamen magna erat Caroli fortuna, quòd omnes hæreditariæ Cæsaris provinciæ & regna, aliorum sæpius instigationibus periculosè turbata, nunc pacificè quiescerent, nisi quòd in Hungariæ finibus pestis grassata, nunc etiam remitteret, ideoque ex collegii sanitatis consilio & approbatione interdictum commercium cum Sopronio, Isenburgo, Alba Julia, & Trentschino est sublatum, & negotiatio liberè & licitè indigenis permissa. Plures præterea legiones Hasso Darmstadiensis, Mecklenburgensis ab imperiali exercitu ad sua jam discesserant, idemque meditabantur duæ Anspachienses & una Holsatiensis legiones, multum imperialibus comitiis negotii suo abitu facessentes, quæ omnes hoc bello implicitos Principes, Batavosque simul ad belli continuationem, nervi bellici, militumque auctorationem exhortabantur & instigabant, dum interim novæ Ultrajecti pacis conditiones procuduntur sequentes:

Pax Ultrajectensis.

594. Imprimis Rex Ludovicus agnoscit omnes Imperii Rom. prærogativas & titulos, præsertim Hanoveranum Electoratum. 2. Pax Rys-

Ryſvvicenſis renovetur, & Imperii Galliæque limes erit Rhenus. 3. Vetus Briſacum & Kehl Cæſari, Regi novum Briſacum & Mortier utrimque manento. 4. Promittit Rex vi 30. articuli Ryſvvicenſis demoliri Hüningam, fortalitium de Isle, Ludovicium, Seligne, Homburgum, & Bitſch, & Domui Auſtriacæ reſtituere Landaviam in ſtatu moderno, Neapolim, Mediolanum juxta tractatus cum Sabaudiæ Duce 1703. concluſos, & in Italia omnia, quæ ad hanc provinciam non pertinent, & quatuor loca, Hiſpaniæ finitima, qualis eſt Portus Longone: cedit deinde Belgium juxta contractum cum Batavis habitum ſalvo in illud jure Bavaro tradito, reſervatáque provinciâ, unde Ducíſſæ Urſinæ ſolvantur annuè 30. imperialium millia. 5. Boruſſus omnia in ſuperiori Geldria cum toparchiis Keſſel & Krichenberg retinebit. 6. Archiepiſcopus Colonienſis, ejusdemque miniſtri prioribus ſuis gaudeant dignitatibus, reditibus, & prærogativis. 7. Arx Leodienſis, Hujum, Luxemburgum, Carloregium, & Namurcum Batavicum admittere poſſunt præſidium; munitiones verò Bonnenſes deſtruantur. 8. Bavarus eodem cum fratre Archiep. Colonienſi fruatur jure, in totum ſuum reſtituatur ducatum & provincias, præterquam in Palatinatum ſuperiorem, & in Electorali collegio ſeſſionis præcedentiam, quæ Electori Palatino, & Carolo Principi Neoburgico debetur, ad mortem uſque noni electoratûs dignitate gaudebunt. Iidem Bavaro Sardinia cum Regio titulo; ſimulque Luxemburgum, Carloregium & Namurcum

modo & tempore obtinebant, atque adeo extendebant, ut non solùm Neoportum, Furnum, fortalitium Knock, Ipram, Meninum, Insulas & Tornacum cum arcibus, Condatum, Valentianas, Malbodium, Caroloregium, Namurcum, Leodium cum fortalitis Perle, Philippe, Damm, Gandavi arcem & Dendermundam prætenderent; sed etiam jus & potestatem omnes belgicas urbes & fortalitia urgente necessitate præsidiis & robore pro suo arbitratu muniendi, & pro eorum conservatione millionem annuè ex optimis reditibus exigendi, imo politicam etiam sibi in eisdem arrogabant administrationem: quod Brabantiæ & Flandriæ Status omnino recusantes, malebant rejecto Batavorum & Anglorum imperio Cæsari tanquam legitimo suo Brabantiæ Duci homagium præstare, sicque ejus soli subjici imperio. Quare Batavis ex contractu auctoritatem Cæsaris rogantibus, hic Brabantinos ad Anglos-Batavos remittit, resque tandem Bruxellis 9. Junii taliterc umque est composita, donec post multas rixas anno 1716. hic antemuralis tractatus est absolutus, & Carolo homagium præstitum solemnissimè.

In Belgio Barrier sive Tractatum antemuralem Batavi exigunt.

595. Peterborugus interea legatus Anglicus Sabaudum Ducem ad armistitium cum Gallis multo verborum munerumque pondere perduxerat, 11. Martii publicatum; idem Borussiæ Regis legati Comes Dãnhovius, Comes Metternichius & Mareschallus Biebersteinius meditantes, iteratis Gallum conferentiis Ultrajecti convenerant; quo cum etiam non rarò Baro Dallwickus Hasso-Casselensis legatus eadem de re

Varii legati Ultrajecti paci subscribunt.

re tractaverat, ideoque Dux duas suas legiones ex Tornacensi præsidio domum revocaverat; aliis vero copiis suis apud fœderatos remanentibus pugnare contra Gallos prohibuerat: sicque solutâ turpiter confœderatione, ab omnibus Cæsar, præterquam Batavis, est derelictus: qui paulò pòst tamen eum etiam deserentes, paci subscripserunt, quam ipsi clam magis quàm galli ursisse dicuntur: undecimâ namque Aprilis in domo Comitis Strafortii episcopi Bristoliensis circa secundam & tertiam pomeridianam Angli cum Gallicis legatis convenientes pacis tabulas subscribunt, & ad prandium simul à Strafortio abducuntur: in hujus etiam domo circa 4. Sabaudi, circa octavam serotinam Lusitani, circa undecimam Borussi subscribunt, & horâ secundâ post mediam noctem continenti consensu Hollandi, idque tam secretò, ut nullus in urbe, nisi conscii eâ die quid factum esset rescivevit, quasi legatos puderet opus proditionis & tenebrarum in lucem proferre. Cæsarei ministri Comes Sintzendorffius, & Baro Kirchnerus, qui loco Conspruckii (non sine veneni suspicione sublati) Viennâ huc erat submissus, Ultrajecto 15. Aprilis post aliquos cum Hollandis tractatus circa Belgii procurationem, quod ipsorum & Anglorum copiis, seu præsidiis tenebatur, cursim Viennam discedunt, rei relationem Cæsari penitiùs facturi; atque sic legati Regis Philippi, Dux nempe Ossunensis, & marchio à Monte Leone urbem ingressi sunt, ut pacem quoque aliorum fœderatorum cum Rege suo pertractarent. Magnam rem puta, unum hominem

Hispani cum aliis pacem ineunt.

nem agere: in multitudine est varietas, & crebra tanquam tempestatum, sic sententiarum commutatio, ut ait *Cicero in orat. pro domo.* Illam tot Regum ac Principum auspicatam confœderationem una potissimùm inconstans dissolvit Anglia; quæ si continuata fuisset, magnum Cæsari Imperioque Rom. augmentum, & Galliæ immensum attulisset detrimentum: Iberica namque successio universam adeo exhauserat Galliam, ut impossibile illi diutius bellum continuare, sed vilem omnino inire pacem cogeretur; quia pauculis occupatis urbibus, brevi subigendis, intima Galliæ viscera fœderatis patebant; ideoque Rex primùm Batavos in suam sollicitabat Gertrudenbergæ societatem, quâ irritâ, in sua Tallardus felici captivitate illud omne restituit, quod in Hochstadiensi perdidit prælio; & quod Martis non potuit, Cypriis devicit armis, & acquisivit: Reginæ namque domicellam Masham Generalis Hill sororem tam arctis adeo amoris & munerum vinculis sibi constinxit, & per hanc Comitem quoque Oxfordium, regia potentem gratiâ intimâ sibi devinxerit amicitiâ, perque Sacheverelli præconis ex cathedra dictiones ex instinctu Oxfordii & Mashæ flexibilem in quamlibet partem Torris populum facile pacem suspirantem in Reginæ, pacem quoque ambientis, sententiam perduxerit. At quia Comes Godolphinus regni thesaurarius, Comes Sunderland supremus Statûs Secretarius, Dux Marleborugus Generalissimus, & Statûs domicella Marleboruga totius regni gubernatores tanto minus meditabantur pacem, quanto felicioribus bellorum expe-

Anglia pacis auctrix.

Tallardus aulâ Anglicâ invertit.

Marleburgica familia aulâ ejicitur & officiis.

peditionibus, & iteratis victoriarum triumphis immortalem suam, regnique gloriam propagare continuo moliebantur. Sed quid de hoc Aristotelis videtur judicio & sententiâ? *lib. de bona fort.* Ubi plurimus intellectus & ratio, ibi minima fortuna; & ubi plurima fortuna, ibi minimus intellectus & ratio. Verum nulla tam modesta est felicitas, quæ malignitatis dentes possit vitare ait *Valerius Max. lib.* 4. Tallardus dolosis suis astutiis Marleborugam Reginæ reddit offensam, & ob nimiam animi morumque arrogantiam aulæ invisam, in cujus locum & officium Masha substituitur, omnibusque modis & insidiarum cuniculis Marleborugica evertitur familia; magno etiam Regni thesaurario Godolphino supplantato supponitur Oxfordius, & Sunderlando Secretario St. Jean, hi cum Torris decano Comite Pauleto, regni moderabantur gubernacula, & pacem omni procurabant conamine, Marleborugusque Princeps, & tota ejus familia omnibus exuebantur officiis & dignitatibus, quidquid in contrarium Eugenius Orationibus & argumentis Reginæ demonstraret; sed deposito Marleborugo in Generalissimi dignitatem Comes Ormontius substitutus tantum hic obfuit fœderatis, quantum Gallis profuit, & prioribus tandem illos viribus restituit, ut videbitur infra; Cæsar enim ab omnibus turpiter desertus, impar erat eorum potentiæ. Lusitanos ad pacem coegit necessitas Anglorum orbatos subsidio, quos Hispanus ad incitas redegisset, & Cæsar navali eisdem classe succurrere non potuisset: Sabaudum iterata retraxit inconstan-

Cur principes pacem inierunt.

ſtantia ſuis ſemper omnia emolumentis metientem, & regiam Siciliæ coronam à Gallo & Anglis per Lexingtonum promiſſam & oblatam unicè ambientem. Rex Boruſſiæ ſuum repetebat militem ſeptentrionalibus neceſſario applicandum expeditionibus; cui etiam Rex Galliæ ducatum Arauſionenſem cedebat in perpetuum, ſatisfacturus prætereà hæredibus defuncti nuper Principis Naſſavii Friſiæ adminiſtratoris, pro controverſa ejusdem hæreditate, ſuperiorem illi Geldriam ex Hiſpanico patrimonio, ſuis in hoc bello armis ſubactam largiendo relinquens; qui etiam denique Comitatus Neocomenſis & Valangini tribuebat poſſeſſionem. Hic Rex quà Rex Boruſſiæ paci ſine ullo Imperii Rom. præjudicio conſenſit; qua autem Imperii Rom. Elector (uti expreſſis ad Comitia Ratiſponenſia literis proteſtatur) ob noxias admodùm Imperio Rom. conditiones omnino diſſenſit, & bellum omnibus ad Rhenum viribus continuandum ſuadebat; ad quod duplicem etiam portionem tanquam genuinum reipublicæ membrum paratus erat contribuere. Hollandiam ſeduxit tractatus commercii & antemuralis unicè jam dudum deſiderati, & ingentis emolumenti; & quòd potiſſima belli præſentis onera Anglis & Batavis incumberent; ſed hoc maximè pungebat Cæſarem, per Baronem Heems illis ſignificatum, quod pacem apud Cæſareos plenipotentiarios magis & frequentius quam ipſimet Galli urſerint, & joviales ideo Hagæ Comitis ignes magno tripudio 14. Junii extruxerint.

Batavi magis quam Galli urſerunt pacem.

596. Die 26. Aprilis ad pacatos cum Rege Galliæ

Galliæ ministros Ultrajecti resides impressa typis sub sigillo epistolari defertur filii Regis Jacobi III. seu ut vocant Prætendentis, protestatio, quâ hic quidquid contra prætensa à se in Coronam Britannicam jura actum, aut quocunque modo foret statutum, irritum volebat, quæ Peterborugus etiam non sine ardentis zeli studio in aula quoque Sabaudica, alibique defendebat & promovebat.

Prætendentis protestatio.

Die alterâ 27. Romæ præsente Clemente XI. in amplo Cardinalium & Prælatorum consessu in urbem pridem delatus quidam ablegatus ab Alexandrino Ægyptio Patriarcha, istius, & suorum Christianorum nomine schisma, & suæ sectæ errores abjurat, & solitis Romanæ Ecclesiæ Sacris reconciliatur. Dimittitur deinde post aliquos dies cum muneribus & pallio, (confecto ex lana agnorum, die S. Agnetis super altari oblatorum, & de post designato loco educatorum, in gratam memoriam ejus, qui quæsivit, invenit, & humeris suis imposuit ovem errantem, imponiturque pallium ante missionem sacris reliquiis S. Petri) quo secundum ritus Romanos ut archiepiscopus & Patriarcha in ecclesia uteretur, comitesque illi dati varii sacerdotes Romani, qui Ægyptios penitiùs Romanæ ecclesiæ sensa, & ritus edocerent. Ecclesia Orientalis, sive Græcorum conjuncta semper fuit ecclesiæ Romanæ, donec circa annum 869. impius Photius schismati dedit initium, qui post S. Ignatium ex sede Constantinopolitana ab Imperatore dejectum, in eam vi intrusus fuerat, & contra canones ordinatus. Cùm verò ab Adriano Rom.

Græci Alexandrini se Papæ subjiciunt.

Græcorum schisma.

Pon-

Pontifice (qui ejus causâ tempore Basilii Imp. Concilium Constantinopolitanum ordine 8. instituit) confirmationem obtinere non posset, ab illius se subduxit obedientia. Idem schisma ob similem causam redintegravit Michaël Constantinopolitanus circa annum 1058. qui etiam contra Canones ad eandem evectus sedem, dum à S. Leone Papa reprobaretur, cæpit in eum & Rom. Ecclesiam insurgere, donec post multas lites Græci suos errores in Concilio Florentino abjurarunt; sed non multò post græca iterum levitate ad vomitum redierunt. Ac tandem Deo superbam eorum impietatem vindicante, infelix Græcia, quæ noluit Christi in terris Vicario subesse, crudelissimum Turcarum jugum & tyrannidem subire coacta est anno 1453. Ideoque hic patriarcha ex Africa vivum adiit Romæ evangelium, quod Augustinus *contra epist. fund. cap. 6. to. 5.* vocat ecclesiam: Evangelio, inquiens, ego non crederem, nisi me catholicæ ecclesiæ commoveret authoritas.

Decimâ die Maji Moschus cum classe ducentarum octoginta navium in Suecicam provinciam Bothniam hostiliter appellit, & derelicto à Suecis Helsingfortio potitur; inde in provinciam castra ducens, Finlandiæ metropolim Aboam obsidet & capit, sparso undequaque scripto, quo protestatur se non venisse, ut Regem throno dejiceret, quod execrandum reputabat, ideoque Polonum à Suecis dejectum in throno reposuit; sed ut antiqua nobilitati privilegia & libertatem restitui procuraret. Turcæ interim 27. Maji bellum Moschis indixerant;

Moschus in Bothania aliquot loca capit.

cum iisdem in pacem denuo conveniunt 25. Junii, restituentibus Moschis, ut bellum redimerent, ea quæ ad Euxini ponti littora nupero bello acquisierant.

Suecus se dedere cogitur. Steinbockius Suecus deinde 17. Maji cum suis copiis Toningæ receptis, omni commeatu à Danis intercluso, se, & eas dedere cogitur jure belli captivas alibi deportandas. Invalescente itaque Dani Regis potentiâ totius Holsatiæ accessu, agitari inter vicinos principes incipit administratoris Holsatini in pristinum statum restitutio, & deponendum in manus alicujus sequestris, quidquid in Pomerania super armistitium hactenus Suecis respuentibus, bello acquireretur. Rex Russiæ depositi custodiam poscit & in parte obtinet.

Principes Imp. pacem aversantur bellum continuant. 597. Sintzendorffius interea Ultrajecto 1. Maji Viennam adveniens, statumque pacis Ultrajectensis penitiùs exponens, Cæsar tutiorem fructuosioremque pacem belli continuatione extorquendam decernit, periculosasque pacis conditiones toti Rom. Imperio noxias comitiis Ratisponensibus deliberandas proponit, quibus sibi imperatoris abnegatur titulus, Coloniensis & Bavarus electoratui plenariè restituuntur, Rhenus Germaniæ Galliæque limes in præsentissimam quatuor Electorum, aliorumque principum Germanorum ruinam constituitur; easdemque etiam Heilbrunnæ associato quatuor circulorum conventui exponit, qui omnes unanimiter illas nimiùm propudiosas rejicientes, omnem opem, bellicum nervum & apparatum, militem, remque tormentariam promptè promittunt, ideo-

ideoque omnia, ad rhenum expeditioni necessaria præparantur; Cæsareus ex Austria, Ungaria, Bohemia, & è Belgio sub Felsio miles, & ipse supremus Cæsaris Legatus Eugenius post bellicum Viennæ habitum generale consilium 18. Maji ad Rhenum properat, & ejusdem 24. lineas Muhlbergenses attingens, exiguum adhuc ibidem reperit exercitum, Felsio prius 21. Maji cum 20000. Costheimii Mœnum transeunte, quos ibidem Moguntinus Elector, & Dux Mindelheimensis Marleborugus spectarunt, qui Dux Reginæ suæ licentiâ ducatum suum visitaturus Eugenium Heidelbergæ offendens Francofurtum comitatus, post habita ibidem consilia inde Moguntiam revertitur; Eugenius autem visitatis & roboratis Mühlbergi lineis General. Vaubonnum cum 8. qua peditum qua equitum millibus ad silvam Hercyniam demittit, Gallis aditum in Germaniam occlusurus; & quia probabiliter ex eorum motibus suspicabantur per Vallium civitates magno provinciarum detrimento perrupturi, plures illuc cum Generale Pful destinatæ sunt legiones, & Cæsareus in Helvetia legatus Comes Trautmansdorffius Helvetos monuit, ut vigilantes Gallis transitum per Vallium civitates oppessularent, Alexanderque Würtenbergensis Princeps Landaviæ præfectus ex rumore gallici motûs urbem omni quo potuit robore, annonâ & apparatu communit; ipsemet Eugenius comitante Marleborugo Hercyniam visitans cuncta militariter ibidem disponit; & quia Gallorum viribus admodùm impar, majora à Cæsare petit subsidia, vix aliàs

Eugenius ad Rhenū properat.

Marleborugus in Germania.

Cæsareus exercitus impar Gallis.

quicquam contra Gallos effecturus; Cæsar quidem aliorum Principum copias ære suo comparavit, sed serò nimis illis adventantibus offensiva hujus anni expeditio in nihilum recidit. Villarsius autem Argentoratum adveniens collectum in Alsatia Colmariæ, Brisaci &c. militem ad Alba - Sebusianas lineas destinat, Metis & Argentorati incredibilem pyrobolorum, sphærarum, globorum incendiariorum apparatum ad obsidionem præparat, & initio Junii prope Kehl delectam manum in alteram rheni partem transmittit, ut vias Wildstadium inter & Offenburgum complanaret, idque solius fallaciæ causâ, nam solam Landaviæ obsidionem intendebat Villarius, cujus campestria impedimenta cum divite satis præda Landaviensis præfectus Alexander Würtenbergensis cæsis 600. eorum defensoribus aut stipatoribus intercepit. Mareschallus interim gallicus Bezonus collectũ ad Saaram & Mosellam militem Rheno approperans cum 8. armatorum millibus Käyserslauteren inferioris palatinatûs urbem capit, ac demum habito Homburgi 50000. armilustrio, omnia circa Spiram loca occupat, magnam passus annonæ caritatem, ideoque immaturas agrorum fruges demetens immensum provinciæ intulit detrimentum, Eugenio inter Manheimium & Germsheimium considente. Tandem 12. Junii Bezonus Landaviam formali cingit circumvallatione, extensoque deorsum rhenum exercitu Wormatiam 650. præsidiariis occupat: & quia pluribus Manheimii fortalitii excursionibus gravissimum patiebatur detrimentum, Villarsius magnis

Villarsius colligit ad rhenum exercitũ

Landavia obsidetur à Gallis.

magnis illud viribus aggressus, post cruentam decem dierum oppugnationem devincit, præsidio 460. cum tormentis bellicis ceteroque bellico apparatu 28. Junii in alteram Rheni partem navium beneficio aufugiente. Landaviâ expedita Ungarorum manus 21. excurrens, 60. gallicos equos, & 3. Officiales bellicos in prædam cessos Moguntiam conduxit, dum alterâ die noctu Bezonus hujus obsidionis director castrensia aperuit valla, & plurimis tormentis bellicis, ac 50. mortariis sine intermissione arietavit urbem, spe brevi subjugaturus. Tertiâ verò Julii Comes Porcia cum quatuor mille peditibus & 500. equitibus in Gallorum castra ab Alexandro emissus, aliquot horarum spatio ultra trium millium stragem, plures operas, aggeres & tormentarios obsessorum suggestus destruxit, & ultra 40. gallicos officiales in urbem conduxit, iteratisque excursionibus & explosionibus novos erigere suggestus & aggeres prohibuit. quamprimùm verò Galli vires refecerunt, patibularem mox aggressi munitionem armatâ capiunt manu, ut vix 70. evaserint præsidiarii; econtra 15. Julii Hungari insano rursus furore erumpentes 30. bellicos officiales in fossis castrensibus convivantes, & tamen fermè Navarream phalangem cum Principe Dalmone internecive delent. Et quia Villarsius Eugenii incursionem & urbis metuebat liberationem, lineas obsidionales in certis distantiis novis reductibus & vallis, recentique semper milite communivit, & 30. Julii urbis cataractas strage suorum 800. destruxit. Alexander præfectus insigni quam-

Excursio Wurtenbergensis cruenta.

vis generositate & admirabili fortitudine urbem propugnaverit, omnibus tamen propugnaculis externisque munimentis aut occupatis aut destructis, hostium multitudini non posset resistere, nec ob pulveris & militum inopiam ab Eugenio promissâ Principum & Circulorum ope præter spem destituto succurri non posset, 19. Augusti post duorum mensium obsidionem, & acerrimam propugnationem spontaneam, obtulit deditionem: signatis conditionis tabulis tria præsidiariorum millia, & duo millia quingenti infirmi Landavia Albam-Sebusianam excesserunt.

Deditio.

Eugenius interea temporis tria, Mühlbergi, Philippopoli & Manheimii castra formaverat, ut Gallos à Rheni transitu arceret, quod supra Manheimium prope Cæsaris-insulam tentaverant, sed à rustico proditi, insigni sunt cæde rejecti; ideoque militare Philippopoli Kostheimium usque sepimentum exstruxit, & destructos Philippopoli aggeres renovavit, inde se contulit 19. Julii Moguntiam ad conferentiam cum Electore Moguntino, Marleborugo, Hasso-Casselensi, ejusque Hæreditario Principe, & aliis Generalibus, concludentibus defensivè agendo Gallos reprimendos, & Rheni transitu prohibendos; quod quia defectu robustioris exercitûs admodùm difficile prævidebatur, Cæsarea Eugenius Avocatoria & mandata inhibitoria tubis & tympanis per castra sua publicari, & Coloniensis Bavarique Principum proscriptionem renovari curavit; Galli econtra in palatinatu & ubique palatina dejiciebant insignia & reponebant Bavarica, omnibusque & singulis magistra-

Cæsaris Avocatoria, & Electorũ proscriptio.

ribus & superioribus strictè mandantes, omnes & quoscunque census & reditus Bavaro persolvere, sicque illum quocunque modo & conamine Ducatui restituere hac suâ expeditione moliebantur, Eugenio quovis studio contranitente.

598. Post habitum Origiaci colloquium, quo Galliæ, Angliæ & Hollandiæ ministri circa pactæ pacis executionem consuluerunt, 30. Maji datur Hollandis Namurcum, & Gallis Bethuniæ & sancti Venantii oppida, postridie Anglis Neoportus, Gallis Heria, & Hollandis Furnæ. 4. Junii Gallis Insulæ, Hollandis Ypræ, & Caroloregium, postque aliquot dies etiam Luxemburgum assignantur. 13. Junii etiam Ultrajecti inter Anglos & Hispanos pax concluditur; cui eodem die assentitur Dux Sabaudiæ, à Philippo Rege regni Siciliæ, & regiæ majestatis titulo donatus; sed duris adeò pactis, & non leves in executione difficultates res passura videbatur; imo ipse Philippus ut regnum ipsi contulit, sic rursus vi & armis eidem sustulit; postmodùm verò Carolus Cæsar anno 1719. violentâ invasione ejectis utrisque sibi ex hispanica successione vendicavit, ejusque potentissimam urbem Messanam Italiæ nobilissimam per Comitem Mercium 18. Octobris deditione occupavit.

Traduntur sibi urbes Hollandi Angli & Galli.

Sabaudus fit Rex Siciliæ.

Magno rumore in Gallia excipitur historiæ Jesuitarum tomus unus noviter Romæ impressus, in quo Historiographus ea tangens, quæ in Gallia circa sæculi XVI. finem, & initium XVII. acciderant occasione Regis Henrici IV. à sicario occisi, probare videbatur occisoris intentionem.

Liber Jesuitæ in Gallia supprimitur.

nem, velut abominabilis doctrinæ crimen curia Parisiensis damnavit, quæ in Regicidarum favorem scripta quocunque modo fuissent; primoresque Jesuitarum patres, qui tunc Parisiis morabantur, publicâ detestatione ejurare coegit hujus opinionis exorbitantem licentiam, vetuitque librum vulgari.

Byzantii incendium.

15. Julii fortuito incendio conflagravêre Bizantii domorum quindecim millia, casu in hac urbe non infrequenti, ubi misella tuguria ligno & stramine confecta, tractatos incautius ignes facilè concipiunt.

Cæsar Finariū Genuensibus cedit.

Marchionatum Finarium ad fines Genuenses inter Savonam & Albengam situm, simulque arcem Finariensem Carolus Cæsar Genuensi reipublicæ vendit numeratâ duodecies centenorum millium Scutatorum pecuniâ; quod hispanæ antehac fuerat jurisdictionis, & Carolus jure successionis sibi attribuens in Genuenses transtulit.

Friburgum Villarsius obsidet.

599. Villarsius occupatâ, & omnibus provisa necessariis Landaviâ, novam urbis impressionem in militari 25. Augusti habito consilio decernit, cujus certior factus Eugenius, metuens Moguntiæ aut Friburgo, utrumque necessariis instruit, & ad hoc 60. pulveris nitrati currus destinat, Vaubonumque cum aliquot legionibus ad fossiles ibidem lineas demittit; Villarsius autem cum 470. phalangibus ad fortalitia Kehl & Ludovicium Rhenum 12. Septembris pertransiens Comitem du Bourg cum aliquot tum equitum, tum peditum legionibus Friburgum 17. Septemb. præmittit, ipse die

die altero cum toto illuc exercitu subsecutus, lineas depulsis facilè Cæsareis invadit & occupat, fugientibus cum 11. phalangibus Generale Wachtendungo Friburgum, & Vaubonno ad cavam foveam; intendens per hoc Villarsius Eugenium ex suis Philippopoli castris elicere, & inde abstrahere, quem Bezonus à tergo incurrere, & ab urbe præscindere jam præparabat; sed quia præstabat Friburgum potius quàm Philippopolim periculo exponere, Eugenius in castris ibidem remanens, Generales Bibram & Sickingum tot, quot potuit agminibus ad Vaubonnum prope Villingam loco non iniquo in ejus tutelam considentem dimittit; Villinga enim Rothvveil & Friburgum erant adhuc Sueviæ repagula, Gallorum irruptionem avertentia. Cum igitur Villarsius Eugenium neque vi aut armis castris ejicere, neque stratagemate posset elicere, Friburgum Brisgoviæ metropolim, ac Austriæ, Bavariæ, & Sueviæ, ut dixi, antemurale, 1. mensis Octobris 540. agminibus circumcingit, & tribus impressionibus ad portam Brisaciam, Suevicam prope arcem inferiorem, & superiorem ad Carthusiam invadit, & brevi tempore ad sudes vallares pervenit; è															contra urbis præfectus General. ab Harst incredibili, & ab ipsis hostibus laudatâ urbem propugnat generositate & fortitudine, ut propterea in Comitis dignitatem (non donū, sed præmium) à Cæsare sit evectus. Hic Harstius 3. Oct. vexillis volantibus excurrens totam legionem Roussilonam internecivè delet, & immensum infert detrimentum; nam sphæras punicas seu incendiarias non jacien-

Et Eugenium castris frustra elicit.

Quod Harstius fortiter defendens creatur Comes.

ciendo, sed per canales in fossas castrenses artificiose effundendo incredibilem inferebant stragem, ut hanc Friburgensem obsidionem Gallorum meritò ipsimet vocitarent ac deplorarent sepulchrum. 14. Octob. Villarsius 50. pyrobolorum vexillationibus, & pluribus aliis agminibus opertam aggressus viam, post trihorariam nonnisi, & satis cruentam illam obtinet velitationem, & ad exteriorem muri fossam vix pedem fixerant, mox 500. Galli cuniculo in aërem evibrati igne perimuntur, & 100. vicissim præsidiarii à commilitonibus præcisi à Gallis captivantur. 21. Octobr. rursus tentata adjunctis studiosis excursio, qui plura hostis valla diruere, laneos eorum saccos uncis & falcibus destruere & discindere, & apertis cataractis hostiles accessus aquis ultra 18. pedes inundare maximo eorum incommodo & damno nusquam intermiserunt. Arcium quidem impressio accidebat Gallis difficilior, quòd omnes petrosæ bellicis vix tormentis attingi vel arietari possent; sed dejectæ urbis & murorum tantæ erant ruinæ & intervalla, ut decretorium & generalem Villarsius præparaverit impressionis impetum, cui Harstius impar, communicato cum magistratu urbano consilio, cum duobus sanorum præsidiariorum millibus ad arces, relictis in urbe totidem infirmis & sauciis confugit, offerente interim magistratu & civibus ultroneam Villarsio urbis traditionem; qualem hic malè accipiens, literis præfecto significat, se velle infirmos & saucios fame conficere, nisi properè se & præsidium traderent captivos, deneganti omnium minatur

Urbs deditur.

inter-

internecionem; cui Harstius respondet, posse se urbis traditionem apud Cæsarem excusare & defendere, sperareque Villarsium infirmis propitium fore & misericordem, qui in urbe commodius quàm in arcibus possent curari; arces autem extradere non suæ esse potestatis, sed defensionis; cui Villarsius reponit, velle se illum & totum præsidium liberè cum omni militari honore dimittere, & infirmos sauciosque curare, modò ultroneam fecerit arcium deditionem, cui Harstius, sine Generalitatis consensu & mandato id non posse, ad quod tamen inquirendum triduanas armorum poscens & obtinens inducias, rei statum per Wachtendungum Eugenio apud Ducem Würtenburgensem in arce Ludwigsburg commoranti significat, dum interim Galli, ut pactum erat, omnia in proximam generalem impressionem sine ullo impedimento cum 60. muralibus tormentis & 28. mortarlis disponerent. Eugenius hunc eundem Friburgi statum Principi Lôvvensteinio primario Comitiorum Ratisponensium Commissario Cæsareo, ibidemque Principum Germanorum conventui per literas communicans, utrimque ob defectum lignorum, præsidiariorum & victualium &c. in deditionem condescenderunt, accedente imprimis inter hæc fortuitâ urbani armamentarii conflagratione, qua omnis ulterioris spes defensionis perierat. 17. Novembr. igitur allatis ab Eugenio pactis, urbem cum arcibus tradidit illubenter Harstius, & cum omni militari honore, sonantibus tubis & tympanis, explicatisque vexillis sexcentorum militum præsidium liberè dimis- Et arces

missum est ad castra Vaubonni prope Rottvveil & Villingam considentis. Eugenius verò in suis latebat lineis, quas exiguis suis vix poterat defendere copiis, multò minus Friburgensis obsidionis solutionem tentare, ubi si novercante fortunâ Imperialis exercitus stragem fuisset passus, tota absque dubio Suevia periisset cum Franconia, haud facilè restaurandæ. Quod si Imperium Rom. majoribus, ut debebat, copiis Cæsareum augmentasset exercitum, hujus anni expeditio unicam intentasset Argentorati occupationem, toties Romano Imperio adstipulati, tamque necessarii. Deploranda sanè Germanorum Principum socordia & æmulatio, qui sua promovere commoda, communis patriæ turpissimè neglectis, satagentes, otiosas voluêre copias, quarum accessu res facilis victorioséque evasisset.

Pestis in Austria, Germania.

600. Belli non rarò mortifera socia pestis, hoc anno per Austriam, Bohemiam & Germaniam grassata in sola Vienna 16314. sustulit personas, nec inde tamen fugit Carolus Cæsar, consuetis pietatis suæ exercitiis Ecclesias visitando &c. exemplariter incumbens, Divo Carolo Borromæo pestiferorum & nominis sui patrono, si salvus & incolumis servaretur, Ecclesiam vovit extruere, & fundare; quo etiam & aliorum votis tantus Monarcha sanus evasit. Hamburgi similiter & Pragæ plurimos hæc pestis consumpsit, & mense Augusto Ratisponam etiam invasit, ut Imperialia Comitia ad hujus mensis finem Augustam Vindelicorum sint translata: inde latius per Germaniam grassatam Agrippinenses

nenses metuentes, indictis extraordinariis precibus illam feliciter Deo propitio abigerunt; atque adeo hujus mali imminentis timore & spe pacis Galli bellicæ suæ expeditioni finem cogebantur imponere; Germani vero Augustæ Vindelicorum urgente admodùm Eugenio non minùs sédulò consultabant de augendo ad rhenum exercitu, & nervum bellicum ad 5. vel septem milliones cogendo.

25. Augusti detegitur immanis in Polonia ab intimo Regis Augusti Secretario Pauli conspiratio, cujus auctores statuerant Augustum Regem, ministros ejus germanos, & Saxonicas copias trucidare. Præcipuus autem hujus conspirationis & regicidii auctor Russiæ Palatinus Jablonovvskius, Regem ad convivium invitatum cum toto comitatu suo extinctis luminibus voluit occidere, & Stanislaum throno intrudere. Adeo & in thronum adrepunt miseriæ. Exitûs hujus conspirationis fiduciâ Turcæ in aciem exierant, animo in hoc confuso rerum statu Poloniam invadendo opprimere; sed scelere detecto, & complicibus aliquot cum absentium uxoribus detentis, Turcæ ab hostilitatibus abstinent; quin & renovato fœdere inter Moschum & Augustum, pax etiam, quam cum solis Moschis Turcæ pepigerant, cum Polonis tractari cœpta est, maléque Benderæ Carolus Rex Sueciæ exul à Turcis habitus est, forsan quòd hac proditione res ejus in Polonia promovendas sperassent. Jablonovvskius captus in Saxoniam est delatus, & uxores Palatini Kioviæ ac Generalis Smigielskii cum multis complicibus, & Sta-

Conspiratio in Polonia detegitur.

Stanislai ærario præfecto Czernochovvskio Dantisci interceptæ, Mariæburgum in Prussia sunt deductæ. Hanc ipsam conspirationem Jablonovvskius spe fortassis veniæ & condonationis Augusto ipsi cum omnibus scelesti moliminis circumstantiis ingenuè postea apetuit. Qua conspirationis occasione ingentem, ut dixi, Turcæ & Tartari exercitum expedierant, ut opinione omnium Caminecum certò invadendum formidarent. Quare Nuntius Apostolicus Card. Odeschalchus universo Poloniæ clero preces pro avertenda Turcarum tyrannide indixit, & Clemens Pontifex ad majorem Camineci roborationem quinquaginta imperialium millia liberaliter est elargitus.

Dux Sabaudiæ Rex Siciliæ coronatur.

Declaratus cedente juri suo Philippo Hispaniarum Rege, solenni ritu Turini Siciliæ Rex Victor Amadeus Sabaudiæ Dux, & ab Ablegatis binis Siculis Principibus de Villa Franca, & de la Rocca Fiocita, atque à suis populis regio nomine & cultu 21. Septembris salutatus, ipso Kalendarum die cum uxore & aula Niceam in provincia pervenit, postridie classem Architalassi Jeninghii Angli conscensurus, qui illum, aulam ipsius, & quinque millia militum Italorum Panormum 6. Idus Octobris transvehit, & à Vice-Rege Marchione de los Baltaces regio honore exceptus. Coronatur autem novus Rex ibidem cum uxore sua in provigilio Nativitatis Christi.

Stetinũ capitur.

Stetinum urbs hanseatica & Pomeraniæ metropolis ad fl. Oderam, ab eadem interje-

ctâ

ctâ Insulâ in duas inæquales dividitur partes, à Rege Sueciæ olim per vim occupatum, & vi pacis Monasteriensis anno 1648. illi cessum; anno autem 1677. longâ & cruentâ obsidione à Brandenburgo captum, temporis intervallo Suecis iterum restitutum, hoc demum anno 2. Octobris longâ confœderatorum obsidione fatigatum cogitur ad deditionem, & post aliquot consultationes à fœderatis Moschis & Danis Pomeraniam deserentibus, Regi Borussiæ traditur custodiendum. Quare Senatus Holmsensis audito, quòd etiam in Finlandia Mosci Suecicas profligassent copias, Status regni convocat, qui 6. Decembris Ulricam juniorem Regis sui sororem rebus gerendis præficiunt, quasi novis auspiciis fortunam hactenus hostilem propitiaturi.

Scoti favent Jacobo III. regi Angliæ.

In Gallia, & vicinis provinciis affectatorum ore spargitur, filium Regis Jacobi II. ad Anglicanam inclinare religionem, illiusque exercitium liberè in sua S. Germani aula suis sequacibus Anglis indulgere, quod à prudentioribus tamen vix creditum est. Veruntamen Scoti ab antiquo Stuartæ stirpis Principibus dediti, & quasi per vim & dolo ad successionem in Hanoverana familia agnoscendam tracti, adeo publica rerum præsentium improbatione tumultuantur, ut non longè ab integra secessione abfuerint.

601. Cæsar ab Anglis & Batavis desertus, solus belli molem sustinens, condictum quidem in comitiis Ratisponensibus quinque millionum nervum in belli continuationem

pro

Pax appetitur. pro extorquendis honestioribus pacis conditionibus ursit, pacem tamen bello potiorem non ita Cæsar & Rom. Imperium, quàm Gallus præoptabant, quam Elector primùm Moguntinus, tum etiam minister Palatinus Baro de Hundheim obstetricante manu Moguntiæ, Metis & Argentorati irrito utrobique labore hactenus tractaverat; Jesuitæ etiam occultis adhortationibus ad Ecclesiæ Catholicæ incolumitatem, Gallorum potentiâ tutius conservandam; nimiâ verò eorum ab heterodoxis oppressione labefactandam, suadebant; cujus se denique pacis mediatorem Clemens Pontifex offerebat; sed ob nimiam hactenus partialitatem non admissus, adeoque longius dilata, duriores, vilioresque semper Ludovicus Rex, armorum suorum potentiâ hactenus victoriosâ fretus, proponebat conditiones, quam Ultrajecti addixerat: nam uterque legatus eadem die 26. Novembris veniunt Rastadium singuli stipati unâ centuriâ peditum, & alterâ equitum; comitati verò Eugenius à Barone Falcksteinio, Comite Konigseckio, & legationis Secretario Bendenriedero, & Langerelo. Villarsius à Principe Rohano, Comite Broglio, Contado, Belle-Isle &c. putabanturque pacis conferentiæ intra biduum absolvendæ; sed 27. Novemb. inceptæ inter solos Eugenium cum Secretario Bendenriedero, & Villarsium cum de la Houssayo, omnibus aliis exclusis quotidie continuabantur, mutuisque disceptationibus & contradictionibus adeo prolongabantur, ut

Rastadiensis conventus.

post

post transactas irritò tres hebdomadas Eugenius inde fuisset recessurus, nisi Villarsius cursoris Parisios missi certò brevi reditum meliora adferentis appromisisset; contumaciter enim Rex urgebat veteris Brisaci destructionem, retentionem Landaviæ & fortalitii Ludovicii, duorum Electorum Coloniensis & Bavari non in integrum solummodò restitutionem; sed etiam indemnisationem, & damnorum omnium satisfactionem &c. non sine Austriacæ Majestatis dispendio, & in Rom. Imperio securitatis jactura, ut latius Eugenius literis Augustam Vindelicorum ad Sintzendorffium & Imperialem Conventum datis perscribit, incitatque ad futuram validioremque contra Gallos expeditionem. Et quia Imperiali Principum Conventui tam secretus pacis tractatus erat suspectus, & timebatur dispendiosus, ut adeo Imperii Rom. Legatus, Angli & Batavi omnino ab illo excluderentur, illum metum Eugenius aliis ad quatuor associatos superiotis Germaniæ Circulos 5. Januar. 1714. datis literis elidit, quod nimirum hic Rastadiensis tractatus solùm concernat Domum Austriacam & Bourbonicam, Cæsarem, Imperium Romanum, & Regem Galliæ, adeoque antemuralis ad rhenum tractatus, exactum pro Friburgo æquivalens, & plena Electorum in integrum restitutio maximè pacis retardant negotiationem, eò quòd inauditum, & nullum sit exemplum, quòd talis Elector, & Imperii Rom. membrum, tam turpiter in supremum Caput suum Cæsarem peccans, & læsæ ma-

Quæ puncta difficiliora.

Controversi pacis articuli.

majestatis reus tam plenariè, ut Rex exigit, sit restitutus, cui Rex Galliæ nunquam, ut plurima probant exempla, sine sanguine remisisset. Summa, pacis tractatus tanto tempore, tantis disceptationibus & molestiis hucusque agitati videbantur omnino frustranei, & Eugenius jam itineri accinctus abitum rursus parabat, ultimum adhuc tentaturus, aliud pacis projectum 25. articulorum componit, Parisios à Villarsio transmissum, Regis mentem & responsum desuper expectaturus, in quo maximè erant controversi articuli, 4. repetebat rem tormentariam in Kehl & Brisaco tempore obsidionis & deditionis acceptam, quam denegabat Villarsius, quòd in Rysvvicensi pace, hujus fundamento, nulla illius fiat mentio; & nisi pro Friburgo detur æquivalens. In 10. articulo repetit Eugenius Landaviam; & fortalitii Ludovicii demolitionem. In XI. exigit Villarsius territorium Germersheim cum omni circumferentia & dependentiis ab Eugenio omnino denegatum, uti in art. XII. Electorum restitutionem. In 13. præsidium Bonnense sit Cæsareo-Imperiale, & in XVIII. sit Cataloniæ privilegiorum libertas &c. Huic Rex aliud remisit pacis projectum duris adeo 38. conditionibus, quibus Eugenius nequaquam consentire voluit, nec potuit, datâque Villarsio ultimâ suâ resolutione abiit 2. Februar. Rastadio Etlingam lineas visitando, inde Stutgardiam & Ludovvigsburgum ad Principem Wurtenbergensem, ultimam aulæ gallicæ resolutionem per Marchionem de Condate conferendam ibidem

Eugenius abit Rastadio

dem expectaturus; qui nocte inter 27. & 28. Februar. Parisiis reversus, Eugenio significat paucula adhuc levia puncta restare resolvenda paucis facilè conferentiis componenda. Rex enim inire pacem necessariò cogebatur propter decrepidæ ætatis gravitatem, & post obitum totius regni ob immensa debita exhausti seditionem & tumultum inevitabiliter secuturum; Cæsar autem quòd exhausto viribus & nervo militari Imperio Rom. solus bellum continuare non posset; posset autem duorum Electorum restitutione Imperii Rom. potentiam confirmare, & in hispanica successione nihil sibi hac pace derogaret, hæc utriusque partis erant pacis ineundæ motiva. Continuatis igitur aliquot dierum conferentiis, 6. tandem Mart. per totam noctem ambo Legati laborantes die altera 7. Mart. summo mane inter 3. & quartam præcipuos & præliminares pacis articulos subscripserunt, & Ferdinandus Comes de Lamberg eos 12. Mart. Viennæ Cæsari præsentavit, quorum hæc est summa, accuratè descripta: Pax subscribitur.

602. Pax Christiana Rastadii 6. Mart. 1714. inter Carolum VI. Romanorum Imperatorem, Hispaniarum & Indiarum Regem &c. & Ludovicum XIV. Franciæ & Navarræ Regem, per specialiter deputatos Legatos plenipotentiarios Eugenium Sabaudiæ Principem, & Ludovicum Hectorem Ducem Villarsium conclusa sit universalis & perpetua: uti etiam utriusque partis generalis amnestia. Hujus pacis fundamentum sit pax Westphalica, Neomagensis, & Rysvvicensis, ex nunc statim exequendæ, nisi Ejus conditiones.

nunc in hac aliter esset conventum. Cæsari restituatur vetus Brisacum in moderno statu cum granariis, armamentariis & munimentis, cum omnibus dependentiis in dextera rheni sitis, relictis Regi Galliæ iis, quæ à finistra sunt. Reddatur etiam Cæsari Friburgum, arces & fortalitia omnia per sylvam Herciniam, & Brisgoviæ districtum, cum villis Lelen, Mertzhausen & Kirchzarth. Tradatur quoque Cæsari munimentum Kehl ad pontem Argentinensem cum omnibus juribus & dependentiis; munimentum verò la Pile, aliaque in, & ad rhenum extructa valla Regis sumptibus destruantur, nunquam reædificanda, liberaque sit rheni navigatio, absque novis teloniis, pedagiis, & antiquis non augendis. Prædictæ autem civitates & munimenta: Brisacum, Friburgum & Kehl reddantur Cæsari cum omni districtu, jurisdictione, appertinentiis & dependentiis, cum omnibus ibidem tempore occupationis inventis tormentis bellicis & apparatu militari, nihilque imposterum juris in eis Rex habebit, & intra mensis spatium ea evacuabit; nec quicquam pro sumptibus & impensis in munimenta aut alia ædificia tam publica quàm privata insumptis exigatur. Curabit Rex Galliæ suis impensis solo æquari munimenta è regione Hunningæ in dextera ripa & insula rheni extructa, similiter & pontem, fundum cum ædificiis Domui Badensi reddendo. Generaliter Rex suis expensis destrui faciet omnia cujuscunque fœderis fortalitia, munimenta, fossas, propugnacula, valla, pontes, sive eo fine in tractatu Rysvvicensi expressa, sive post illum

illum à Rege Christianissimo ad ripam, vel in rheno, aut alibi in Imperio, seu terris ad imperium quomodolibet spectantibus extructa destruentur, quæ reparari non debent. Evacuabit Rex castra Pitsch & Homburg destructis munimentis non reparandis, 30. aut 60. dierum spatio post ratificatas has tabulas fiat. Restitutio, evacuatio & demolitio civitatum & omnium locorum, quæ in hoc Rastadiensi, & Rysvvicensi tractatu (cujus omnes & singuli articuli pro insertis in hoc tractatu habentur, & proinde effectui tradentur, ac si eorum tenor de verbo ad verbum repetitus fuisset) continentur. Eodem pariter tempore reddentur omnia archiva & literarum documenta. Promittit Rex Ludovicus se restituturũ omnibus Imperii membris, Clientibus & Vasallis, ecclesiasticis & sæcularibus, nominatim Electori Trevirensi, Palatino, Ordinis Teutonici Magistro, atque inclyto Ordini, Episcopo Wormatiensi, Spirensi, Duci Mompelgardensi, Wirtenbergensi, utrique Badensi, & generaliter omnibus pace Rysvvicensi comprehensis, licet speciatim non expressis, quæcunque territoria, civitates, loca & bona, quæ præterito bello sive armis, sive confiscatione, aut alio quocunque modo, paci Rysvvicensi contrario occupaverit: spondet præterea omnes conditiones & clausulas pacis Rysvvicensis, quibus per præsentem tractatum derogatum non est, & præsertim Ducem Lotharingiæ concernentes, se quantocius bonâ fide executurum. Vicissim clausulæ restitutionis ad Card. Rohanum ratione Episcopatûs Argentinensis spectantes exe-

quantur. Rex quoque Ducem Brunsvvico Hanoveranum Imperii Rom. Electorem agnoscit, & agnoscet imposterum. Vicissim Cæsarea Majestas & Rom. Imperium consentiunt, ut Landavia urbs cum suis dependentiis, quæ in pagis Nussdorff, Danheim & Queicheim, eorumque bannis consistunt, Christianissimo maneat. Annuit Cæsar & Imperium, ut Josephus Clemens Archiepiscopus Coloniens. & Maximilianus Emanuel Bavarus generaliter & integrè restituantur in omnes ditiones, gradus honorum, prærogativas, regalia, bona, electoratus &c. reddantur utrisque archiva, documenta literaria, omnia suppellectilia, gemmæ, aliæque res pretiosæ, sicut & omnia tormenta & apparatus bellici, exceptis illis, quæ ad vicinos status aut urbes pertinent; pro deficientibus autem æquum pretium, aut quomodo aliter conveniatur. Restituatur Joseph Clemens in Archiepiscopatum Coloniens. Episc. Ratisponens. Leodiens. Hildesiens. & præpositur. Berchtelsgadens. cum omnibus juribus, prærogativis & bonis ad Ecclesias & Episcopatus spectantibus, salvis & illæsis Capitulorum & Statuum privilegiis &c, Bonnæ pacis tempore custodia civibus committatur, belli tempore integrum sit Cæsari & Imperio tantum quantum opus præsidium imponere. Præfati duo DD. Fratres Bavari renuntiare tenebuntur in perpetuum omnibus prætensionibus, satisfactionibus, & quorumlibet damnorum reparationibus, quas propter hoc ultimum bellum à Cæsare & Imperio petere vellent, quæ nullæ sunt, & semper manebunt,

vi-

vicissimque nullæ sunt & erunt omnes prætensiones & indemnitatis petitiones contra Domum Bavaricam & dictos Episcopatus motæ aut movendæ. Tenebuntur etiam Josephus & Maximilianus Cæsari præstare obedientiam, & in fidelitate perseverare; petere & accipere renovationem investiturarum Electoratuum, Principatuum, feudorū, &c. Omnes ministri & officiales utriusq; partis, & cujuslibet conditionis restituentur in possessionem omnium bonorum, officiorum & honorum cum plena amnestia, quibus antea fruebantur, idque fiat intra 30. dies. Belgium Hispanicum possidebit plenè & perpetuò Cæsar & Hæredes ejus, uti antehac Carolus II. possedit, salvâ conventione inita cum Batavis de repagulo, vulgò Barriere; Retinebit nihilominus Rex Borussiæ, ejusque hæredes & successores, quidquid actu possidet, urbem Geldriam, præfecturamque Balliviam, & Ballivium inferiorem Geldriensem cum omnibus pertinentiis & dependentiis, urbes, præfecturas & Dynastias, Strahlam, Wachtendoncam, Midelaram, Walbecam, Aretseniam, Affertteniam, & Weelam, Racym & minorem Kevelaram; tradetur eidem Regi præfectura Pagana, vulgò Ammania, Krichenbecana, ditio Kesselana &c. cum omnibus pertinentiis & dependentiis, exceptâ Herculanâ sive Erckelâ cum suis pertinentiis, & juribus, cum oneribus tamen & hypothecis, conservandaque religione Romano Catholica. Deinde præter provincias, urbes, loca & munimenta à Carolo II. possessa Ludovicus pro se, & suis Principibus cedit Domui Austriacæ, ejusque ha-

hæredibus plenè & perpetuò, omne jus super urbem Menenam cum munimentis & præfectura Verge; super urbem & arcem Tornacensem cum omni ditione, nullo super eam, ullasve dependentias, pertinentias annexas, & territoria jure reservato; consentitque R. Ludovicus, ut Status Generales dictas urbes, loca, territoria, dependentias & pertinentias Cæsari, ejusque hæredibus plenè & perpetuò statim, ea conventione, ut supra, reddant factis utrimque & commutatis ratihabitionibus, ut permaneat tamen penes R. Ludov. fanum S. Amandi cum suis dependentiis, & Mortania sine dependentiis, & novi munimenti aut cataractæ extructione. Præterea Rex Lud. in commodum Cæsaris ejusque hæredum cessionem pro se & successoribus suis Statibus Generalibus factam omnium jurium confirmat in & super Furnas & præfecturam Furnambach, cum octo parochiis & fortalitio Knock; super Loam, Dixmudam cum dependentiis, Ipras & castellaniam Iprensem cum Rossellaria & cæteris dependentiis, Popperinga, Wartena seu Vaneton, Comines, & Warvvick ex latere Lis versus Ipras sitis, ita ut Status Generales ea omnia loca Domui Austriacæ in perpetuum factâ repaguli Barriere conventione redhibeant, & navigatio Lisæ sine vectigali erit libera, factâque amnestiâ restaurentur inter Gallos & Belgas mutua commercia, negotiationes, amicitiæ &c. restituantur tam ecclesiastici quàm sæculares omnibus beneficiis, officiis, juribus, dignitatibus, bonis & reditibus &c. si quæ in civitatibus & locis Belgii Cæsari cessis Ludovicus

Rex

Rex ecclesiastica beneficia personis capacibus contulerit, maneant in possessione; manebitque Religio Romano - Catholica, & magistratus Catholicus in iis locis, quibus ante bellum fuit: Episcopi, Capitula, universusque Clerus conservabuntur in suis ecclesiis, juribus, immunitatibus, bonis, reditibus, beneficiis, commendis &c. & destitutis ea restituentur; fruebunturque suis privilegiis, prærogativis, juribus, exemptionibus &c. omnes communitates & incolæ omnium urbium & locorum, quæ Rex Ludovicus post pacem Rysvvicensem in Belgio possedit, & nunc cessit, fruantur etiam uti antehac suis privilegiis, prærogativis, juribus, exemptionibus. Adeoque Cæsar & Rex bonâ imposterum fide amici non poterunt ex quacunque causa pacem hanc interrumpere, & arma resumere; sed hic se obstringit, quòd Cæsarem relinquet in quieta possessione omnium statuum & locorum in Italia, Regni Neapolitani, Mediolani, Sardiniæ, portuum & locorum ad Hetruriæ litora sitorum, & per Reges Hispaniæ hucusque possessorum, nec sub quocunque prætextu turbare velit; Cæsar vicissim promittit Italiæ neutralitatem & quietem servare, juxta promissa in tractatu neutralitatis Trajecti ad Rhenum 14. Martii 1713. facta. Cæsarque Principibus Imp. & vasallis prætensionem in Italia legitimam habentibus, ut Duci Guastallæ, Mirandulæ, & Castilionensi promptam præstabit justitiam, sic tamen, ne hoc pacem & neutralitatem Italiæ labefactare queat &c. Acta hæc sunt Badæ Ergoviæ 7. Septembris 1714. à legatis Cæsareis Eugenio Sabaudo.

Petro Com. Goesio. Joe. Friderico Com. Seileren, atque Gallicis Hectore Villarsio. Francisco Car. Com. de Luc. & Dominico Com. S. Contest.

Notabilia hujus

Privatim hæc sunt acta idiomate gallico, sed latino universaliore publicata, ne diceretur, ut fieri solebat, hæc in victoris idiomate, imperio, & voluntate esse peracta. Ludovicus R. præterea nulla hactenus pacta aut tractatus pacis cum Cæsare sine Imperii Rom. legato præsente & consentiente inire voluit; hic tamen solus Eugenius nomine Cæsaris & Imperii simul omnia feliciter transigere permisit, pacis sibi, totique Galliæ sine dubio necessariæ avidissimus. Cujus primum nuntium missus ab Eugenio Comes Ferdinandus de Lamberg Cæsari 10. Martii ut dixi detulit; ejusque ratificationem Cæsar eodem quo Eugenius die 17. Martii Viennam advenit, & Ludovicus R. 20. Martii Rastadium transmisêre, ubi uterque legationis Secretarius Bendenrieter Cæs. & Hauteval Gall. 6. Aprilis eas sibi mutuò extradiderunt. *Vid. infra.* Hic, inquam, angelus pacis dum ad Cæsarem venit, præsens Imperatricis aulæ præfecta Comitissa Carassa, eidem congratulari, ob minùs fortè acceptam non ausa, eidem Cæsar respondit, in hoc rerum statu expedit hac nunc pace contentum esse, & acquiescere; Austriacæ namque Domui restituta sunt Brisacum & Friburgum, hoc bello deperdita, & quieta Belgii, aliarumque Hispanicæ monarchiæ provinciarum adepta possessio, & jus eam repetendi, aggrediendive non ademptum; Nec aulæ Cæsareæ displicuit

Causæ motivæ pacis.

cuit amborum Electorum Coloniensis & Bavari restitutio, utpote hujus Bavaricæ Domûs potentia Imperio Rom. necessaria. Quòd Landavia Gallis sit cessa, effecit infelix hujus anni expeditio, nimiâ sine dubio tarditate & socordia adhuc non absque maximo Imperii Rom. periculo & detrimento continuanda. Urgebant præterea hanc pacem turbæ septentrionales, inter Suecos, & confœderatos invicem acriter belligerantes: imminebatque Turcarum grandem armorum expeditionem adornantium metus, properante ad finem armistitio Carlovvitzio.

603. Interea temporis magnas rursus Parisiis turbas inter episcopos 23. Januarii excitavit Clementis Pont. constitutio, Quesnelli propositiones constanter damnantis, volebatque earum censuram prout jacebat, humili mutaque recipi reverentiâ; quod Noaillus cum pluribus adhuc, etiam schola Sorbonica recusabat. Sic Pontifex apostolicæ potestatis & auctoritatis æmulator Patri Generali Societatis Jesu mandavit quatuor dimittere Patres, qui in parlamento Parisiensi supremam, & absolutam Regis Galliæ in rebus temporalibus & politicis, absque ullius, prætterquam Dei, dependentia potestatem confirmarant, & subscripserant, quod P. Generalis submissè quidem obediens, inevitabilem tamen inde Regis in societatem (cujus ipse firma est columna) offensam consecuturam illud deprecatus est. Quemadmodum eandam ob causam Pontifex episcopo Bellovacensi, & Abbati Begen bullarum expeditionem denegavit. *Clementis constitutio.* *Ludovici arrogantia*

Anna Angliæ Regina cùm infirmâ valetudine *Anna Britanna*

infirmatur. ne non sine mortis periculo jam aliquoties laborasset, Parlamentum sex primariis Regni officialibus interregni tempore rempublicam administrandi attribuit auctoritatem, facultatemque Principi Sophiæ Hanoveranæ è suis alios addendi, quos ipsi nominarent ad officium; adeoque ferventibus Londini animis & studio partium in varia distractis circa Reginæ successionem, cujus mors imminens censebatur, Hanoveranus orator statutis in parlamento insistens, quæ Hanoveranam familiam ad Regnum vocarant, à Regina postulat vocari Electorem Londinum, cui ducis Cambrigensis titulum attribuerat parlamentum, ut veluti destinatus successor rebus gerendis initiaretur. Non ablata est petenti hujus spes vocationis; sed postridie jussus est aulâ abstinere, delectusque à Regina, qui Hanoveram legatus honoris specie esset abiturus, quasi Principem in Angliam adducturus.

Hanoveranus vocatur in Angliam.

Carolo Suecorum Rege adhuc in Turcia profugo, & stolidam suam luente temeritatem, obsessam jam diu Toningam, quam Rex Daniæ cogere ob agitatas armistitii tractationes differebat, in suam tandem 8. Januarii recipit deditionem, viso quòd Sueci armistitio non obaudirent. Dano-Saxones quoque ad cingendam commodiùs Pomeraniæ Stralsundam Insulam Rugiam, quadrante ab urbe dissitam ad hoc necessariam levi manu, amissis solummodò sex gregariis occuparunt.

Tôningam & Rugam Dani capiunt.

Non minor est virtus quàm quærere parta tueri. Discat præterea, ne quis alteri malum creet non provocatus: discant, qui invadunt aliena, se casuros

ſuros ſuis; nullamque jacturam eſſe graviorem quàm augmentum cupiditatis.

Rex Perſiæ ſalutat Ludovicū.

604. 19. Februarii Regis Perſiæ Sophi legatus Mehemet Riza-Beg Regem Galliæ Ludovicum XIV. ſalutavit, immenſo exceptus ſplendore, quo tota aula, & imprimis Rex ipſe indutus veſte 15. millionibus æſtimata mirabiliter ſplendebat, jubebatque legatum exquiſitiſſimis deliciis & honoribus venerari, ut fortaſſe oſtenderet in Europam etiam defluxiſſe Perſarum morem; hic ut *Pererius ait tom. 3. in Geneſ. diſp. 3. cap. 12.* Perſarum reges fæminam non admittebant, niſi per annum prius lotam, politam, exornatamque. *Plinius lib. 9. cap. 35.* ait viſam à ſe Lolliam Paulinam Caji Principis matronam ne ſolemni quidem cæremoniarum apparatu, ſed mediocrium duntaxat ſponſalium cœna ſmaragdis margaritiſque opertam, ad valorem quadringenties H. S. hoc eſt decies centena millia philippeorum geſtaſſe ſibi circumpoſita. O lex Oppida quàm dudum exulas! O præclaram pœnitentiæ clamidem! In Tacito Imperatore narrat Vopiſcus, quòd togis & tunicis iisdem ſit uſus, quibus privatus; & quod magis mireris in Imperatore, uxorem gemmis uti non eſt paſſus: magnum eſt, ſuſtuliſſe in uxore vanæ gloriæ inſtrumenta fimum tegentia: viderat non in unius imperatricis vertice ſaltus & inſulas ludentes; ab alterius auribus integrum calendarium imperatorium dependiſſe, & bina æternaque patrimonia in digitis etiam & pedibus provincias & regna integra inerraſſe; damnavit igitur in uxore hæc prodiga regnorum diſpen-

Luxus veſtium.

pendia, libidinumque incitamenta. Quare celebre Augusti Imp. dictum, vestitus insignis & mollis superbiæ vexillum est, nidusque luxuriæ; unde filia ejus Julia offenso patre vestitu licentiore, reassumpto modestiori habitu, prius (inquit) me mariti oculis ornaram, modò parentis, ut ait *Suetonius in August. cap. 73.* Audiamus quid mordax dicat *Guazzo de civil. convers.* Pretiose vestitis evenit quod upupæ, quæ licet semper sordibus involvatur; ad nuptias tamen aquilæ supra omnes honorabatur, eo quòd coronam in capite gestaret, & versicolores pennas. &c.

Mors Mariæ Aloys. R.

22. Februarii obiit Madriti Maria Aloysia Philippi Regis uxor, filia Victoris Amadei Sabaudiæ principis, annorum 26. summo illius aulæ luctu, quæ fæminam regiis dotibus præditam, & de regni quiete, quatuor masculis prolibus editis, benè merentem justo dolore prosecuta est. Per liberos plurimùm majestas regibus sarta tecta est; stant autem malè regna, quæ trunco sterili fulciuntur. 2. Martii fatis Romæ cessit Cardinalis Theodorus Bovillonius

Bovillonii Card.

sacri Cardinalium collegii decanus anno ætatis 72. multas per Galliam, Belgium, Germaniam &c. & in ipsa urbe Colonia Agrip. Regis Ludovici XIV. perpessus insidias & persecutiones patienter toleratas: Æmulatus Socratem cujus faciem vehementi quidem impetu cecidit, ille nihil commotus aliud non fecit, quàm quòd propriæ fonti inscripsit: *Talis fecit*, uti statuæ nomen auctoris inscribi consuevit. Bovillonius innocens omnium admiratione injuriis jactatus

&

& agitatus nil contra regem potuit, nisi quod fugæ suæ inscriberet: *Ludovicus facit.* Ego cum Thoma Moro hoc ei inscribo epitaphium:

Tristia qui pateris, perfer, sors tristia solvet,
Quòd si non faciat sors, tibi mors faciet.

De quo plura superius

Eodem mense Martio 27. obiit Guelferbiti Antonius Ulricus Guelferbitanus Dux, pater Ludovici Rodulphi, & avus Elisabethæ Christinæ, Caroli VI. Cæsaris conjugis, item & Carlotæ Sophiæ, quæ Principi Czariensi Moscoviæ nupsit, avus; qui sacris Romano-Catholicis jam ab aliquot annis abjecto Lutheranismo initiatus fuerat, dicens cum Apostolo ad *Colossenses* 1. 12. *Gratias agimus Deo & Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine; qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in Regnum filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum.* Hæc fides est Catholicorum à Christo possessio fundatissima, tot martyrum sanguine, & ingeniosissimorum Doctorum sententiâ signata, mille septingentorum & ultra annorum antiquitate firmata; quam neque crudelissima Paganorum sævitia, neque calumnia hæreticorum, neque languor schismaticorum, neque Judæorum cæcitas, neque portæ inferorum in hunc usque diem evertere & auferre potuerunt. Antonii filius Ludovicus Lutheranus de salute filiæ suæ Elisabethæ sollicitus, ab Helmstadiensi universitate quærit, an in Romano Catholica fide amplectenda salvari possit? respondit, quinimo potest. Omnes quidem salvari desiderant, sed non omnes

Mors Antonii Luneburg.

Ecclesia Rom. Catholica.

omnes voti compotes fiunt, defectu fortè columnæ igneæ, & nubis densæ in hoc vasto mundi deserto, ubi diversitas viarum diviare plures facit ab ea, quæ ducit ad terram fluentem lac & mel, puta veram Dei ecclesiam, à Dei filio Christo fundatam. Vide supra.

Mors Caroli Bituricensis.

Obiit Versaliæ 4. Maji Carolus Dux Bituricensis, tertius primi Delfini filius annorum 28. nullâ relictâ prole nisi ea, quam uxor gerebat in utero, quæ tempore suo edita in lucem, fuit sexûs fœminei, quæ vix dies aliquot supervixit.

Ferdinandi Florentini.

Mortuus etiam hisce diebus Princeps hæreditarius Florentinus, Ferdinandus III. filius Cosmi III. de Medices, annorum circiter 50. qui ex 25. annorum conjugio nullum, ob continuos fortasse morbos, ex conjuge Violanta Beatrice Bavara, Maximiliani Eman. Electoris sorore suscepit hæredem: estque adhuc etiam improlis frater ejus Joannes Gasto annorum 48. ut vix

Ex spes successionis Florentinæ.

ullam Medicea familia spem habeat successionis, non exiguam inter alios Principes disceptationis & litis sementem relinquens: cui senior Cosmus annorum 78. præventurus, Principem Electorem Palatinum Joannem Wilhelmum, filiæ suæ Annæ Mariæ de Medices etiam improliferæ conjugem, nobilitatis Florentinæ & populi consensu signatis tabulis hæredem & successorem constituit; qui tamen etiam paucis pôst annis

Sienæ præfecta Anna Florentina.

est defunctus, & Anna Maria Dusseldorpio Florentiam regressa à patre urbi Sienæ præfecta est gubernatrix: nam civitas hæc in media fere Tuscia montibus quasi circumvallata difficilis impugnationis, fuit olim libera latissimi do-

dominii Respublica, tandem anno 1554. in Mediceorum potestatem est deducta; quæ urbs hoc temporum statu, Mediceâ fortè successione deficiente, si in aliam Domum & familiam Etruriæ Ducatus transfertetur, supplici prece pristinam sibi libertatem ab hoc Cosmo Duce restitui petiit. Mira certè res! hoc moderno tempore tot Principum successiones à divino numine ita succidi. Florentia civitas Europæ præstantissima fuit primum Imperio Rom. subjecta, à quo inter Cæsaris & Pontificis Rom. discordias & bellorum tumultus separata, libertatem sibi vendicavit, multis obnoxia postmodum adversatibus & revolutionibus, quam demum Cosmus Medices subjiciens, anno 1433. quidem repulsus, sequenti tamen anno restitutus hucusque obtinuit. Hujus igitur Magni Ducatûs primum jecit fundamentum Cosmus Medices civis Florentinus, & mercator per Europam & Ægyptum celeberrimus & ditissimus, auctus deinde immensis Balthasaris Cossæ consanguinei sui anno 1464. defuncti divitiis, qui Medicei postea anno 1569. à Pio V. Pontifice Reges Etruriæ, creati sunt, contradicente Maximiliano II. Imperatore; abjecto igitur regis, Ducis donati sunt titulo, quem Carolus V. ipsis confirmavit.

Florentia urbs & Ducatus

Ejus initium. Cosmus Medices Dux Etruriæ.

Desiit quoque hoc anno 10. Julii vivere Hanoveræ Sophia, Friderici V. Electoris filia, & Hanoverani Electoris mater; illa, per quam Hanoveranis ad sceptra Britannica jus pervenisse dicunt, nascebatur enim ex Elisabetha Jacobi I. Regis Britanniæ filia, uxore Friderici Elect. attigeratque annum ætatis octogesimum tertium, in

Mors Sophiæ Hanover.

quo fervidi ingenii mulier in Angliam se brevì transituram sperabat, ut ibi regnaret. Quanquam non sine causa mulieres ab omni tam publico quàm privato arceantur imperio; unde scribit *Bodinus*, non apud Gallos tantùm lege Salicâ, sed communi Assyriorum, Persarum, Hebræorum, Ægyptiorum, Græcorum, Germanorum, Schytarum lege fœminas longe ab imperio repelli. Quamvis superioribus, & nunc hisce nostris temporibus Aragonios ad Petronellam, Castellanos ad Isabellam, Mantuanos ad Mathildem, Neapolitanos ad utramque Joannam, Norvvegos ad Margaritam, Anglos ad Elisabetam, & Annam, Suecos ad Christinam & Ulricam, Navarros & Lotharingos ad feminas imperii summam detulisse sit indubitatum. In quo & leges divinas, quæ feminas virorum imperio disertè subjiciunt; & ipsius naturæ jura, quæ maribus imperandi, judicandi, concionandi & belligerandi dedit potestatem, feminis ademit, violari queritur. Etsi verò unius aut alterius, quæ à nostra ætate propiùs absuerint, & imperium viriliter ac sapienter administraverint, exemplum possit produci; una tamen hirundo non facit ver. Quanquam *Plato de repub.* dicat, quòd femina ut vir ad omnia sit apta, nisi quòd imbecilior sit: & quoniam videbat Plato (ut refert *Lactantius lib. Inst. cap.* 22.) in ceteris animalibus officia marium fœminarumque non esse divisa, existimavit oportere etiam mulieres militare, & consiliis publicis interesse, & magistratus gerere, & imperia suscipere: itaque eisdem

Mulieres regnare ineptæ.

&

& arma & equos aſſignavit, conſequens eſt, lanam & telam maribus.

606. Oxfordius Anglus muliebris fortè imperii tædioſus, inexpectato animi propoſito regalis theſaurarii dignitatem, & præcipuam, quam gerebat rerum adminiſtrationem, in manus Reginæ Britannicæ 7. Auguſti abdicat, quæ poſt biduum tactu apoplexiæ correpta, poſt adhibita illi omnis generis remedia, tandem 12. ejusdem decedit, annorum ætatis 51. cum aliquot menſibus, non ſine gravi Ludovici XIV. Regis dolore, qui occultâ Anglorum, Gallorum, Hiſpanorum, & Sabaudiæ Ducis confœderatione magna adhuc meditabatur molimina evertendi, ut ſuſpicabatur, Batavorum rempublicam, & Jacobum III. Angliæ Principem Walles in thronum introducendi; id quod Hanoverana tamen ſucceſſio unanimiter recepta impedivit, & Jacobi traditori promiſſa ſunt centum millia lib. Sterlingorum. Annâ igitur mortuâ convenêre Statûs Conſiliarii, qui lectis Hanoverani Electoris literis, quibus decem & novem regni adminiſtros ad ſuum uſque adventum nominabat, eos advocarunt, ſimulque cum illis ipſum Hanoveranum Principem ſub Regis Georgii nomine Regem Britanniæ, Scotiæ & Irlandiæ publico Londini præcono proclamant, & per omnes trium regnorum provincias declarari mandant. Res vix non ubique pacatè & ſine tumultu peracta eſt; quamvis ingens copiarum numerus in Lotharingia, quaſi filii Regis Jacobi ære merens reperiretur, omnibusque eſſet perſuaſum Reginam, & præcipuos regni admini-

Oxfordius aulam deſerit Annæ Britannæ mors Jacobus excluditur.

Georgius Hanover. Rex proclamatur.

ſtros eidem faviſſe, & aliter decernere populorum metu coactos, qui Regem catholicum averſaturi videbantur. Rex ipſe Ludovicus, cujus conſiliis aula Britannica in hos favoris ſenſus erga Jacobum Principem devenerat, viſo hoc populorum conſenſu in Hanoverani acceptationem, promiſſiſque nuperâ pace Ultrajectinâ inhærens, eidem cedere videri voluit, ſuoque legato Ibervillio Londini publicis gratulationibus applaudere mandavit. Primâ Octobris Rex Londinum ingreſſus, & 31. ejuſdem regio ſplendore, & S. Eduardi quondam Regis coronâ inauguratus eſt cum conſuetis ceremoniis, calice, patena & bibliis. Contra quam Jacobus Cambrigenſis publico per regnum diſperſo ſcripto proteſtatus, legitimum ſucceſſionis jus ſibi reſervavit; ſed oleum & operam perdidit. Quidam interim novum inſtitui exigebant parlamentum, & iniquiri miſeram pacis Ultrajectenſis compoſitionem, per Comitem Straffortium, Epiſcopum Briſtolenſem, & Bullenbrochium initam, non ſine reprehenſione & pœna forſitan caſtigandos; hinc Bullenbrockius in tempore in Hollandiam, inde in Galliam ſe proripuit.

Et coronatur.

Jacobi proteſtatio.

607. Interea temporis regni Neapolitani Viennenſem ad aulam Deputati non antiqua ſolùm privilegia & libertates; ſed & nova etiam artium & opificum à Cæſare Carolo impetrarunt: præ ceteris autem hanc prærogativam, quòd omnes & ſingulæ impoſterum dignitates, & quæcunque officia tam eccleſiaſtica quàm civilia & politica nulli alii, quàm genere & natione Neapolitanis ſint conferenda. At Philippus Pul-

Carolus Neapolitanis confert privilegia.

Pulcher ordinavit neminem in Seneſchallum, Præpoſitum, judicem aut baillivum ordinari in loco, unde oriundus eſſet, ut refert *Caſſanens p. 11. conſid.* 22. eo quòd facilius inimicitiæ & odia oriantur, cùm civis in civem animadvertit. *L. fin. C. de crim. ſacril. L. 3. C. de diverſ. off. lib.* 12. Multumque communiter invidiæ, metus, calumniæ ac diſcriminis expectandum ad rempublicam accedenti ajebat Demoſthenes, ita ut ſi ex duobus alterum ſit eligendum, potiùs in exilium iturus eſſet, quàm ad ſuggeſtum aut tribunal. *Plutarch. in Apoph.* Et tamen quot ſunt, qui ad munia impetranda omnium aures fatigant, plurimorum gratiam ambiunt, atque etiam muneribus in ſe derivant, favorem & dignitatem velut in nundinis plus offerenti mercantes.

Officia quibus conferenda.

22. Maji dejectis ex pacis pactæ articulis urbis Dunkerquæ munimentis, & laborantibus ad portum obturandum Rex Ludovicus novum canalem ad Mardikum; qui cùm iiſdem uſibus, ut portus Dunkuerquæ futurus prævideretur, Anglos permaximè offendit, qui Gallorum ope eandem Dunkerquam anno 1658. Hiſpanis ereptam, & uſque ad annum 1661. jure belli poſſeſſam, Gallis eodem anno vendiderunt, qui urbem & portum Europæ fortiſſimum muniverunt; idem fortè in Mardiko tentantes, ideoque Angli iteratis ſuper hoc, ſed inutilibus & plerumque caſſis apud Regem querelis egerunt, ut à cœpto recederet; coactus eſt tandem abſtinere.

Dunkerquæ portus.

Madiki portus.

6. Junii Maria Auſtriaca peperit Joanni V.

Regi Portugalliæ filium Petrum Joannem, summo aulæ & regni gaudio, cujus baptismo loco Regis Galliæ Ludovici astitit Abbas Mornajus, regio exceptus ibidem splendore.

Maria Reg. Poloniæ vadit Galliam

Maria Aloysia marchionissa de Prequin Poloniæ Regina, & Joannis Sobieskii Regis uxor relictâ Poloniâ migrans in Italiam, transactis Romæ aliquot annis in Galliam patriam suam ire statuit, exitque urbe 16. Julii, tribus triremibus pontificiis Massiliam usque usura, quas illi Clemens Pontifex ministrabat, ut familiam, & res suas eo deportaret.

Ludovici filii spurii.

In eadem Gallia secundâ mensis Augusti legitur in curia Parisiensi præsentibus cunctis Regni principibus & proceribus (quibus in eo sedere tunc permissum est) Regis Ludovici edictum, quo filios suos illegitimo thoro natos Ludovicum Augustum Ducem Cenomanensem, & Ludovicum Alexandrum Comitem Tholosanum Magnum Franciæ Admiralem, ambos ex concubina Montespana, jam ab annis aliquot natalium maculâ purgatos, ad parem cum legitimis (in horum defectu) dignitatem & jus coronæ succedendi promovebat; sed Rege mortuo parlamentum edictum illud regni legibus contrarium non admittens irritavit. Quia nati de adulterio, ait *Can. Si gens. dist.* 56. Nec sunt in fide stabiles, nec in bello constantes, nec diis amici. Adulterium namque naturæ est injuria, ut dicit *S. Ambrosius lib.* 5. *Hexam.* Adeoque etiam feris, & barbaris detestabile. *Idem lib.* 1. *de Abrah.* O extremum malorum! & capitalissimam pestem vitiorum omnium largissimam sca-

Luxuria fœdissima.

ſcaturiginem incontinentiam! hæc omnium vitiorum mater fœcundiſſima in omnes ſcelerum formas ſeſe diffundit: qui cupit omnia vitia per compendium diſcere, in laſciviæ ſe tradat diſciplinam, & brevi ſe magiſtrum ex diſcipulo mirabitur. En ſpurciſſimos Mœchos Henricum VIII. & Annam Bolleniam; hæc poſt divortium Henrici à Catharina fratris Arthuris relicta, nupſit Regi, neque conquieſcere potuit donec ut altera Herodias etiam Thomæ Mori (qui tunc temporis Angliæ decus & columna erat) caput videret reſectum. Sed & ipſa ante anni circulum revolutum eodem loco, quo Morus paſſus eſt propter juſtitiam & innocentiam, decollata eſt Anna, propter adulterium & inceſtum turpiſſima lena; majorem verò eſſe libidinem infæminis, quàm in maſculis dicit *Gloſſa in L. Oratione.* 16. §. 1. *ff. de rit. nupt.* Unde & caſtitas in fæmina, quàm in maſculo eſt laudabilior, ut ait eadem *Gloſſa in L. Palam.* §. *quæ in adulterio* §. *de rit. nupt.* Adeoque econtra etiam in ea vitium carnis eſt deteſtabilius. *Abbas in cap. Paſtoralis de jud. Tyraquel. de leg. conn. in L.* 1. *n.* 42. *Mazarinus in pſ. Miſere. conc.* 50. *fol. mihi* 62. Ideoque lege Moyſaicâ & divinâ adulteræ lapidabantur *Levit.* 20. *& Deut.* 22. Antea ignis erat adulterii pœna *Geneſ.* 28. Jure civili Temeratio alienarum nuptiarum punitur gladio. §. *Item lex* 5*ta. Inſtit. de pub. jud. L. Quamvis.* 30. *in fin. C. de adult.* Macrinus verò Imperator adulteros vivos incendi jubebat. *Capitolin. in Macrino.* Parthos tradunt & Spartas nulla delicta adulterio gravius aut ſeverius

Th. Morus.

Bolena mulier. ſagatior viro.

Adulterii pœnæ.

vindicasse, testatur *Justinus lib.41*. Ad querimonias cujusdam stupratæ Ziricsææ Carolus Audax stupratorem nobilem adegit eam ducere, prævio contractu sponsalitio, quo eam quoque hæredem constitueret in casum superviventiæ, eoque facto capite illum plecti jubet, nil minus tale cogitantem. Ubi talis hodiedum Carolus, ubi Trajanus Imp.? qui magistratum seu judicem constituens, illique de more porrigens gladium, illo, inquit, pro me, quamdiu æqua mandavero; sin iniqua, contra me utere, intelligis, credo, quid velim dicere. Denique ad rem *Baldus in L. Cum legitimæ ff. de Sta. hom.* dicit: Neque bastardus quantumcunque legitimatus, sedere debet cum fratre legitimè nato, cui semper honorem & reverentiam debet: *Filii* namque *adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur. Sapient.* 3.16. *Et idem cap.* 4. 3. *Spuria vitulamina (alius textus habet adulterinæ plantationes) non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt. &c.*

Fornicator punitus.

Illegitimi abominabiles.

Veruntamen nasci de adulterio, non ejus est culpa qui nascitur, sed ejus qui generat, ait Canon *Nasci dist.* 56. Undecunque enim quis nascatur, dummodò virtutibus se dedat, non est ab aliis contemnendus. *Can. Nunquam. Can. Dominus. d. dist.* 56. Ex quocunque enim semine prodierimus, Dei ipsius opus sumus. *Can. Sicut satius* 32. *q.* 4. Quod autem legitur: Adulterorum filii abominatio sunt Deo, hoc de filiis adulterorum intelligendum videtur, ad quos paterna flagitia hæreditariâ successione descendunt, inquit *Canon Cenomanensem. in fin. dist.* 56. Quique

que paternæ incontinentiæ imitatores fuerint. *Can. 1. §. 1. d. dist. 56. Cap. Nisi. §. Persona X. de renuntiat.* Cæterum inter nothos spuriosque recenset Illustres *Gabriel Paleotus cap. ult.* Pontifices Max. Clementem VII. Dionysium I, Joannem X. Leonem V. Sicut & inter Imperatores Aurelianum, Alexandrum Severum, Arnulphum, Constantini Magni filium Crispum, Carolum Martellum, Galerium Maximianum, Heliogabalum, Pipinum Caroli Magni filium. Itemque Reges & Principes Clodovæum primum Christianum inter Reges Franciæ, Darium Persatum, Ferdinandum Neapolit. Alphonsi Aragoniæ filium, Gensalaricum Hispaniæ. Henricum II. Hispaniæ, Henricum Siciliæ, Joannem Portugal. Ferdinandi filium, Muregartum Hispaniæ, Manfredum Neapolit. Raimirum I. Aragon. Tancredum Siciliæ Regem. Joannem Austriacum, Alexandrum Medices Ducem Florent. Albanum Martyrem ex incestu patris cum propria filia, Demosthenem Oratorem, Erasmum Retorodamum, Gratianum Decretorum compilatorem, Homerum Poëtam, Henricum Episcopum Leodiens. Caramuelem Episc. itemque Jasonem & Joannem Andræam jurisconsultos. Hem quales viros! concludo cum Statio: Illustres nothi & spurii.

Vidi ego transertos alieno in robore ramos
Altius ire suis. - - -

Ludovicus XIV. Rex 28. Augusti misit ad eandem Parisiensem curiam testamentum suum septem sigillis obsignatum, quod ibidem custodiæ traditum, nec ante mortem suam quacun- Ludovici testamentum.

que ex causa aperiendum jubebat. Ut hæc custodia fieret firmior & diligentior, murus in intimo curiæ penetrali extructus est, & per eum secretum conclave, in quo testamentum sub triplici clave fuit depositum, in multis postea reformatum & irritatum.

Protestationes contra pacẽ Badens.

609. Contra prædictam pacis compositionem multi Principes & Status Badæ Ergoviæ sunt protestati: Nuntius Apostolicus Passioneus, Respublica Genuensis, Electores Palatinus & Bavarus, Duces Florentiæ, Parmæ & Modenæ, aliique multi Principes, Comites & civitates. Elector Palatinus, Princeps Sultzbacensis & Rex protestabantur cum reservatione propter Ducatum Bipontinum: & quia Bavarus in integrum, & in omnia debebat restitui, quæ tempore Josephi 1708. eidem fuerant ablata, Palatinoque tradita; hic pro superiori Palatinatu, & Comitatu Cham exigebat æquivalens, ab ipsis Gallis eidem adjudicatum, pro quo etiam Imperium Rom. fidejusserat. Vi pacis debebat Bavaro Dux Lambergus restituere Landgraviatum Leuchtenberg: Ecclesia seu Collegium Augustanum Ducatus Schonbeck, Schvvangenau, & Lech-Rhein, Dux Marleborugus Mindelheimium, quod Cæsar ipsi donaverat: uti & donaverat Duci Wurtenburgensi Wiesensteg; Dietenfurt & Riedeburg Imperii Vice-Cancellario Comiti Schônborn: Braunaviam, Schvvardingen, Altenheim & Rienden sibi Cæsar reservaverat: Mautkirchen, Wetthalter, Forst, & Burckhausen donata Comiti Lôvvenstein: Uttendorff & Mattekosen Cameræ Præsidi Starren-

renberg; Fryburgum & Wihtshut Baroni Seilern: Abersperg cum feudis Comiti Traun, urbs am Hof Ratisbonæ tradebatur, Wendingē Domui Ottingensi, fanum S. Nicolai Passaviensi Ecclesiæ: duodecim feuda Bohemica ejusdem Coronæ: demolitum castellum Rotenberg, & arx Hartenstein Norimbergæ, Donavverda pristinæ reddita libertati: dominium Hohenschöngau, & civitas Schôngau cum omnibus inter Lech & Wertha sitis pagis, & Lechhausen Augustæ Vindelicorum pro indemnisatione concessa. Præterea à Bavaria erant divulsæ quatuor Prælaturæ Reichenberg, Fahren, Sûben, & Rantzhofen; septem Comitatus Wartenberg, Tettenbach &c. decem Baronatus, Neuhaus, Paumgarten, Lutzelburg &c. ad quorum omnium & aliorum restitutionem Argentorati 8. Januar. 1715. convenerunt d' Arnan & du Burg Commissarii, & imprimis Palatinus minister Hundheim æquivalens adeo ibidem urgebat, ut militem suum ex superiori Palatinatu, etiam ad Cæsaris mandatum, noluerit revocare & educere. Alii Principes, Comites, Civitates &c. à Plenipotentiariis tunc non admissi, in Badensi tamen Cancellaria omnes dictabantur protestationes, & ad specialem alio tempore indicendam conventionem remittebantur, ubi singulis suas querelas, jura & prætensiones liceret proponere. Subscriptæ quidem, sigillatæ, & utrimque ratificatæ pacis permutatio 27. Octobris solemniter facta est; sed Evangelici unanimiter & constanter omnes tam hic, quàm in Comitiis Ratisbonensibus quartum tam Rysvvicen-

Heterodoxorū protestatio.

vvicensis quàm Badensis pacis articulum, Westphalicæ contrarium, nolunt admittere, urgentque planè aboleri, nec tamen hucusque abolitus.

Pacis causa & belli status. Factâ pacis compositione, Eugenius Viennam 21. Septembr. reversus, belli statum in omnem format occasionem, juxta illud: Felix respublica, quæ tempore pacis de bello cogitat; Sabaudus namque admodùm erat suspectus, Hispana successio admodùm adhuc controversa, jus ejus sibi Cæsar reservans: septentrionalibus bellorum turbis plures implicandi Principes videbantur, quod Imperio Rom. sine dubio periculosum erat futurum: multò minùs Ottomannicæ fidebatur Portæ, armistitio ad finem currente; quare exercitum centum armatorum millium paratum dividebat, 20. millia in Ungariam, 35000. in Bohemiam, 8000. in Silesiam & Austriam, 14000. Neapolim, 23000. in Belgium destinabat.

Turbæ Polonicæ. 610. Polonia intra quatuordecim annos gravissimas simul & periculosissimas militarium diversoriorum & contributionum convulsiones passa, ad extrema fermè est redacta; proinde Sendomiriensis, aliique Palatinatus arma induti, Regem coëgerunt Saxonicum militem remittere in Saxoniam, & contributionum onera dimidiare, & Rex facere sanctè promisit; quo Nobilium quoque minas, popularium lamentationes, & campestria comitia [Pospolite Rusczense dicta] compescuit, & 31. Augusti Kiovvskium, generumque suum Smiegilskium se Regi subjicientes in gratiam recepit; sed obstan-

stantibus & impedientibus aliis circumstantiis cùm Rex promissum dilataret, Poloni libertatis suæ servi, suis, & Turcarum etiam promissis viribus nixi, omnes omnino Saxones Poloniâ tumultuariè eliminare, & contributiones militares elevare ad effusioem usque sanguinis hucusque continuarunt, adeo ut iteratis invicem velitationibus & pugnis non-sine magnis & pudendis cædibus collideren tur.

Duodecimâ Octobris ambæ Cæsareæ Majestates Viennâ Presburgum in Hungaria ad novam Palatini electionem in locum defuncti principis Esterhasiii profectæ, Principem Eugenium Sabaudum substituere desiderabant: sed Hungari moris & indigenatûs sui assertores tenacissimi, Comitem Nicolaum Palffium, aurei velleris equitem strenuissimum in Palatinum, supremam totius regni in politicis dignitatem unanimiter eligunt, prætereaque in Curiæ Judicem Comitem Stephanum Kohari, quos Cæsar confirmando 18. ejusdem Octobris Imperatricem Elisabetham Hungariæ Reginam voluit coronari, quam omnium Comitatuum consensu Archiepiscopus Strigoniensis & regni Primas Christianus Augustus Cardinalis Saxo-Zeitz, in templo S. Martini solemnissimè, regio planè splendore, scapulas inungendo perfecit, & splendidissimo epulo consummata. Notandum hic breviter, quòd quando Imperator, aut Rex aut Regina inungitur, non chrismate, sed oleo catechumenorum vel exorcismorum apud Catholicos inungitur; Francorum autem Rex oleo miraculoso, seu divinitus accepto, atque cœlitus

Palffius fit Palatinus Ungariæ.

Kohari Judex Curiæ.

Imp. Elisabeth coronatur Reg. Ungar.

Quo oleo Rex Franciæ inungatur.

tus olim demisso, jam inde à primi Regis Francorum Christiani Clodovæi, à S. Remigio baptizati, temporibus inungitur, oleo illo sponte suâ scaturiente, quandocunque novus Francorum Rex est inungendus, ampullâ nimirum cæteris temporibus oleo destitutâ. Ita *Boëtius Ep. de regal. n. 46.* In hac, inquam, Imperatricis coronatione Carolus Cæsar liberali in Hungaros usus benignitate, restantes annorum 1713. & 1714. annuas contributiones remisit; liberam negotiationem extra regnum per Austriam, Bohemiam, aliasque provincias permisit: imo liberam novi Regis electionem, si fortè sine hærede masculo è vivis discederet, generosâ beneficentiâ concessit. Quâ Hungari admodùm contenti, se tunc Archiducissæ Cæsaris Josephi non immemores fore appromiserunt. Archiepiscopo denique Strigoniensi, Hungariæ Primati Christiano Augusto Cardinali, ejusdemque successoribus S. Imperii Rom. Principatum munificè indulsit. Comitia ibidem etiam pacificè conclusa & terminata sunt, nisi quòd heterodoxi Evangelici religionis suæ exercitium & libertatem nimis coarctatam protestarentur, & juxta formam ac modum añorum 1681. & 1687. à Jesuitis sub Leopoldo I. introductum, in quolibet regni Comitatu duo tantùm conventiculorum loca & exercitia illis permitterentur. Detecta interim occulta Rebellium conspiratio, & 36. belli officiales antehac Ragotzio militantes, sine strepitu capti, Cassoviamque deducti, vinculis sunt innodati.

Caroli in Ungaros liberalitas.

Protestantiũ in Ungaria conventicula.

611. Hoc tempore Carolus Rex Sueciæ relicta

Caroli R. Sue-

licto quasi exilio turcico, per Walachiam, Transylvaniam, Ungariam & Austriam Cæsare permittente, & per Cæsareum Generalem Steinvillum, aliosque ministros honorificè ubique exceptus rediit 22. Novembris in Sueciam, & citra omnium opinionem Stralsundam, cujus Viennæ Legatus quaternas offert Carolo Cæsari Regis sui literas: 1. Gratulatorias coronationis in Regem Romanorum. 2. In Regem Hungariæ. 3. Gratiosas pro Hungariæ transitu, & hospitalitate sibi præstita. 4. Denique petitorias cæsareæ mediationis in Brunschvvicensi congressu, cujus finem unicè desiderabat. Et quia per confœderatos Danum, Saxonem, Brandenburgum, Hanoveranum, & Moschum in absentia sua aliquot privatus erat urbibus & provinciis, subitam quamprimùm belli expeditionem parari jubet, adventante præsertim hæreditario Cassellensi Principe, egregio & generoso Belliduce exercitato, unicam ejus sororem deperiunte, qui militares regni copias sedulò perlustravit, & novas auctoravit, unde non exiguus invasionis timor confœderatos adeo invasit, ut Augustus Poloniæ Rex prætorianum suum subitò militem, ac decem præterea legiones in Saxoniæ defensionem dimiserit, cæterique omnes validum belli collegerint apparatum; eò vel maximè, quòd Borussiæ Rex Stetinum reddere, nisi debito prius soluto ære, omnino recusaverit; quamvis senior Dux Cassellensis, ejusque filius hæreditarius omnia compositionis media adhibuerint, & pacis consilia in adversis fortunæ suæ casibus Carolo suaserint: licet etiam Rex haud procul Lapola

(margin: ...ciæ reditus è Turcia.)

(margin: Bellum in Confœderatos meditatur.)

pola terrestri, & maritimo prope Aland conflictu non levi strage fuerit contritus; perstitit tamen in opinione, & cepta expeditione firmus.

Norvvegiam invadit.

Collecto igitur justo quatuordecim circiter millium exercitu Carolus Rex Norvvegiam ingenti Danorum consternatione invadens obvia quævis occupat, tribunum Krusen cædit, oppida Moos, Christianiam & Aggethum occupat; sed post aliquot frustraneos hujus arcis impetus quatuor millium cæde rejicitur. Mox deperdito Moos à Danis profligatur, & mutuis interim velitationibus sæpius collisi alternis victoriis concurrunt. Navalis autem Suecorum classis à Danico Architalasso Schesteth 24. & 25. Septembris in Nevvem-Tiefs collisa, & fœdè oppressa est. In inferiori Saxonia postquam confœderati Saxones, Dani & Borussi jam ante Wismariam deditione cepissent, etiam Stralsundam magni roboris urbem obsidione cingunt, in quorum castra 28. Octobris Cæsareus Legatus Comes de Virmond ad Borussiæ Regem veniens Cæsarem inter Confœderatos & Regem Sueciæ obtulit mediatorem; sed occupatâ Insulâ Rugiâ (sine qua urbs capi non potest) indesinenter ignibus, tormentis & impressionibus vexata, diruta, & obtento per ultimum 17. Decembris 1715. impetum opere cornuto, die alterâ 18. spontaneam urbis fecit deditionem, Carolo Rege vix Stralsunda [quam præsens fortiter defenderat] Carlscronam ægrè, sed feliciter tamen naviglo elabente. Et sic Septentrionnlis hujus anni expeditio est terminata, Saxoniaque firmiorem assecuta securitatem.

Cæditur terrâ marique

Amittit Wismariam, Rugam, Stralsundam.

Cæ-

Cæterum Rex Daniæ Episcopatus & Ducatus Bremensem & Verdensem, pactis Monasteriensibus sæcularisatos, & Sueco cessos, nunc jure belli eidem extortos, in Regem Angliæ Electorem Hanoveranum Georgium pecuniâ numeratâ transfert, & transcribit, eorumque possessionem postmodùm 15. Octobris 1715. Danis abscedentibus est adeptus, & confœderatis conjunctus bellum Sueco indicit. Quo emptionis pacto consequenter Elect. Hanoveranus mortuo sine hærede masculo Julio Franc. Ducei Saxo-Lavvenburgo ultimo possessore, territorium Hadelen in Bremensi Archiepiscopatu ad mare septentrionale situm, cum Suecis compossessionem cepit.

Bremâ, Verdâ, Hadelen.

612. Elector Palatinus Joannes Wilh. ante suum adhuc è vivis decessum jus emporii, Stapulæ & Geranii urbi Imperiali Coloniæ Agrippinæ ab immemoriali tempore à solis olim Cæsaribus, nunc simul & ab Electoribus impertitum, & tot Cæsarum Ferdinandi II. & III. Leopoldi I. &c. capitulationibus confirmatum, & nunquam infirmatum, prolixa in jure & facto deductione voluit facere controversum, aut quasi interdicere, & novum ad pagum Mulhemium inducere; quod Electorum unus & solus facere hactenus nequivit, nec cum Cæsare Electores simul omnes unquam tentarunt: talia namque privilegia ob singularia in Rempublicam merita à Cæsaribus concessa censentur irrevocabilia. *arg. l. 4. C. de fundis patrimon.* Et qui hoc jure gaudent ait *Vitriarius de jure publ. l. 3. tit. 2. n. 48. de jur. Imp.* habent faculta-

Stapulæ controversia Coloniæ.

temi gerania &c. extruendi, non Mulhemium, oppidum è regione Coloniæ, ut Palatinus ibidem sibi arrogare videtur, de quo *Lehmannus l. 4. Chron. Spirens. c. 22. p. 363.* Tales emporii seu Stapulæ urbes ad Rhenum sunt tres: Colonia Agrip. Moguntia & Spira: ad Mosellam Treveris: ad Danubium Ratisbona, Ingolstadium & Passavium: ad Visurgim Brema: ad Albim Magdeburgum & Hamburgum, ut scribunt *Vitriarius & Lehmannus ubi suprâ.*

Siculorũ in Amadeum odium.

613. Siculi peractâ Neo Regis Amadei coronatione, non adeo ejus regimine contenti, varias inquieta gens turbas concivit, in odium tandem versas, ob salis & panis defectum Palermi excitatas; tum etiam quòd ex Messanæ urbis armamentario 30. ænea tormenta bellica navibus abduxerit; tum quòd præteritâ Siculorum nobilitate externum, non sine indigenatûs sui contemptu Comitem Maffejum constituerit regni proregem. Prætorianam quidem cohortem Rex ex sola Sicula nobilitate sibi adlegerat, Turinum conducendam, non sine gentis decore & honore, ut quidam gloriabantur; sed politicâ fortè Rex arte eos conduxit obsides factionis & tumultûs coërcendi vindicandique causâ. Accedebant præterea jurium & privilegiorum sensim diminutio, & insueta variorum onerum impositio, à Maffejo exacta, magnum odii & tumultûs fomentum, flocci tam à Rege quàm Prorege ductum; quia regnare non vult, esse qui invisus timet, ait prudens *Seneca in Thebaide*, simul enim ista mundi conditor posuit Deus, odium atque regnum, quod metus quidem custodit,

ſtodit, periculo tamen conjunctũ, niſi amore ſimul connexũ; in hoc præſertim dubio regni ſtatu, quod citra Cæſaris legitimi hæredis mentem importunè Amadeus invaſerat, adeoq; Angli Bataviq; illi tam favorabiles eſſe non poſſent, ut illũ abſolutum adhuc Regem agnoſcerent, utpote quorum non erat erogare aliena. Demum Rex Anglicâ navi 28. Auguſti Meſſanâ diſcedens, multis maris tempeſtatibus diu jactatus, primâ tandem Octobris Turinum advenit, regiis exceptus honoribus, mox ingentem bellicum apparatum, & decem legionum auctorationem, Cæſaris ſine dubio metuens offenſam & invaſionem, fieri quamprimùm juſſit. Ibidem 26. Octobris Cathedralis S. Philippi Nerii Eccleſia funditùs eſt collapſa.

Turcarum Sultanus inter plurimos belli apparatus collecturus etiam nervum (qui ſanguinem ſolet elicere) Walachiæ Principem Byzantium citatum, quòd magnam auri ſummam in Tranſylvaniam & Venetias ad menſam collybiſtæ, ob inſatiabilem Turcarum cupiditatem, & inſidiarum metum transmiſſam ſubduxiſſe dicebatur & accuſabatur, inauditâ crudelitate Principem cum tota ſua familia, præter unicum nepotem, & alterum ſoceri filium Nicolaum Roſetum capitis condemnavit, & omnem illius ſubſtantiam ultra 30. milliones fiſco addixit. 15. igitur Auguſti manè circa horam nonam ante Sultani ad mare topiarium in ipſo Principis & uxoris ejus conſpectu decollati ſunt omnes primò nepotes, tum omnes ſoceri filii & filiæ, quatuor deinde Principis filii, quorum junior

Turcarum in Walachiæ P. tyrannis

horrore mortis, & spe vitæ Mahumetanam assumpturus fidem, à patre increpatus, & adhortatus, ne desertâ Christianâ fide abominandum indueret Mahumetem; sed fortiter & constanter præclaro fratrum, aliorumque exemplo mortem subiret, quam etiam generosè, & cum gaudio sustinuit. Demum Princeps ipse tot mortis ictibus, quot socios præmiserat, confixus, generosè ferro cervicem subjecit: ejus autem uxor & filia Bostango Bassæ velut mancipia sunt tradita.

Stanislaus Ex-Rex.

614. Ex-Rex Poloniæ Stanislaus ex Polonia profugus in Alsatiam propè Berg-Zaberen venationi intentus, à Gallis honorificè mense Octobri exceptus, Landaviam perlustravit, epulisque refectus, regio honore ex Galliæ Regis mandato dimissus est. Econtra 19. Novembris obiit Romæ Alexander Sobieskius secundo genitus Joannis III. Regis Poloniæ filius, ætatis 35. assistentibus ei in extremis, ejusque testamentum subsignantibus binis Cardinalibus Pauluccio & Sacripante, quem regiis Pontifex exequiis, uti antehac Christinam Suecicam illustravit hoc epitaphio: *Vermis in vita, pulvis in morte.*

Mors Alex. Sobieskii.

Solemnitas Ordinis Aurei Velleris.

Ultimâ mensis Novembr. Cæsar Carolus VI. Hispaniarum & Indiarum Rex tertiâ jam vice Viennæ festum S. Apostoli Andreæ, primi præ cæteris Apostolis à Christo vocati, & titularis Equestris Ordinis Aurei Velleris patroni, anno 1430. à Philippo Burgundiæ Duce instituti, illustrissimo splendore celebravit, qui ab illustrissimis octodecim ejusdem Ordinis Equitibus Comi-

mitibus & Principibus in consueto equestri habitu, aureâque catenâ & vellere indutis comitatus, aulicum Augustinianorum Discalceatorum templum pedes ingressus, auditâ Patris Jesuitæ concione, solemnissimo Episcopi Neapolitani sacrificio interfuit, ad cujus offertorium Cæsar cum Ordinis Equitibus suum quisque dedicavit oblatum, finitâque Missâ regale in equestri conclavi epulum hanc terminavit solemnitatem.

615. Catalonia interpositione Galliæ & Angliæ Cæsareo milite evacuata, iras & pœnas suæ Philippo Rege discessionis metuens, per Marchionem de Montenegro ad Angliæ Reginam missum antiquorum suorum jurium & privilegiorum impetrationem & confirmationem deprecatur; idque etiam abs Regina & Imperatrice Elisabetha Caroli conjuge inde Viennam abeunte enixè petierant Barcinonenses, ut miles Cæsareus eorum militans stipendiis ibidem remaneret, vitam & sanguinem pro privilegiorum suorum conservatione (gens seditiosa & tenax libertatis) effusura, quatuordecim armatorum millibus sub Generali Nebot, & quinque millionum nervo valida, sufficientique apparatu instructa. Sed nullis regum aut principum precibus Philippus ad condonationem commoveri potuit; novus igitur Cataloniæ Gubernator Dux Popoli gentis contumaciam fracturus, metropolim Barcinonem obsidione toto fermè anno circumcingit; sed irrito conatu, immensis sumptibus, & incredibili damno tam intra quàm extra urbem adeo afflictus, ut Philippus mense

Catalonia & Barcino à Philippo capiuntur.

Junio privilegiorum confirmationem illis, dummodò se submitterent, promitterent. Illi autem suis viribus pertinaciores, Neapolis ac Majorcæ subsidio & ope, tum etiam Caroli Cæsaris literis [cui fide obstricti] & adhortationibus confirmati generosius adeo urbem propugnant, ut Dux Popoli nec ferro, nec igne quicquam efficeret, donec tandem Bervvickus cum aliquot Gallorum millibus accedens, facto undecimâ Novembris generali in urbem impetu devicti, se hostium discretioni submiserunt.

Ingens Turcarum exercitus suspectus.

Post internecivam Pultavæ stragem à Moschis Carolo XII. Regi Sueciæ in Turciam fugienti illatam, ibidemque ob Moscorum Polonorumque insidias per tempus satis diuturnum delitescens, varia cum Turcis dicitur meditatus consilia & molimina, multis Europæ Statibus ob ingentem Turcarum exercitum in subsidium fortè Caroli collectum suspecta, & imprimis Venetis metuenda, qui rebellibus Sultano Montenegris consilio, nervo, & bellico apparatu subsidio esse dicebantur: eorum tamen occulta exercitûs, classisque expeditio vix penetrari potuit; ideoque Veneta Respublica diu non multum hac de re sollicita, quamvis turcica ad præfectum Smirnensem belli declaratio in Venetos divulgabatur. Plures tamen adhuc eorum arma in Septentrionales Principes fœderatos in favorem Caroli Sueci omninò profligati convertenda existimabant. En Carole, multùm hactenus victoriose, quem sæpe transit casus, aliquando invenit: victus hodie, cras pugnabis cautius: ducis artem, infausta prælia, quasi tristes fidique edo-

edocent magistri, atque ubi sit erratum, plagis admonent; errando discitur, nemo fermè res magnas gratis discit. *Petrarcha lib. 2. remed. dial.* 73. Victoria autem est semper anceps, sic sæpè tristis & sanguinolenta est, non habetur gratis, quod vitæ discrimine quæritur; carò emitur, cujus pretium est sanguis; cariùs, cujus morte fieri potest, ut pars victrix ducem perdat, quâ vincente adhuc vinci potest; quod sperans Carolus, multa & diversa, ut dixi, cum Turcis bellica machinatus est consilia, ipsis demùm Turcis admodùm odiosa & repudiata.

616. Vigilantior Venetis Magnus Melitæ Magister, ex fama Insulæ suæ metuens, omnes in Europa Ordinis sui Equites peremptoriè ad Melitæ defensionem conscripsit; qui magno illuc fervore & numero confluxerunt, non sine ingenti Magistri solatio & gaudio: & in subsidium mox vocati varii Reges & Principes tam ære quàm bellico apparatu succurrerunt. Ludovicus Galliæ Rex Melitensibus suæ gentis Equitibus Melitam, primariam sui Ordinis sedem abeuntibus, defensurisque, decem millia imperialium, centum optimos ballistarios, multum commeatum, imo copiosiorem, si urgeret necessitas, liberaliter donavit: Carolus Cæsar mille frumenti maldra Neapolis coëmendi impertivit licentiam, uti & respublica Genuensis ter mille pulveris nitrati centenarios, tormenta bellica, globos, & necessarium bellicum eisdem permisit apparatum, Insulamque indefesso studio & labore, magno ubique firmarunt robore, ne à potentissimo, immanique Christianitatis & sui

Melita sibi metuit.

Ordinis hoste, uti olim ex Insula Rhodo per Solimannum depellerentur.

Melitensis Ordinis origo. Hic nempe Ordo S. Joannis Jerosolymitani incepit anno 1104. Jerosolymis tempore Innocentii PP. II. & Henrici V. Imperatoris à Venerabili Raymundo, viro operibus misericordiæ dedito, qui in tempore admodùm crevit. Hi voverunt se non tantùm pauperibus servituros, (ideo etiam dicti Hospitalarii) sed etiam Ecclesiæ defensioni per probatæ integritatis viros & milites, quos propter Saracenos expugnandos habebant in armis, & postea dicti sunt Rhodii: qui anno 1310. in festo assumptionis Mariæ

Rhodus capitur à Christianis. Rhodus urbs & insula quatuor annis obsessa de manu Ottomanni Turcarum principis per eos in Christianorum devenit potestatem; atque ideo authoritate pontificis eorũ religio S. Joanni fuit dicata. Et quia hi Hospitalarii seu Rhodii tantâ fidem Christianam propugnabant generositate, Clemens PP. V. & Philippus Rex Galliæ magnam bonorum & possessionum partem, quæ Templarii possederant, Hospitalariis seu Rhodiis anno 1312. 11. Kalend. Aprilis attribuerunt: à Philippo apostasiæ, idololatriæ, aliorumq; obscœnorum & horribilium criminum Templarii

Templarii extincti. accusati, convicti, & coram Clemente spontè confessi ac condemnati, pontifex totum Templariorum Ordinem post annos circiter 184. quibus militaverat, & dilatatum divitiis, multis libertatibus & privilegiis Sedis Apostolicæ communitum suppressit, & planè extinxit. Quibus bonis & possessionibus ditati equites Rhodii, magnum insulæ robur contra Saracenos addiderunt, quam Mahomet Turcarum

Im p.

Imp. sæpius tentans turpiter est rejectus: maximè verò anno 1480. idem Mahomet pactâ cum Venetis pace, terribili armorum apparatu Rhodum oppugnat, jamque 7. Kalend. Augusti duo Turcarum millia signa in vallis & turri fixerant; at dum Rhodii signa Christi, Mariæ & Joannis Patroni sui in mœniorum ruinis defigunt, Turcæ videntes auream in aëre crucem, & Mariam sinistra clypeum, & dextra lanceam vibrantem, & Joannem cum innumera cœlestium acie, hâc territi visione aufugiunt; cæsis eorum 9000. Verùm anno 1522. Solimannus eandem Rhodum per Mustapham Bassam classe quadringentarum navium, & ultra 200. millinm exercitu arctissimè cinxit; sed tantâ fortitudine à Johannitis seu Rhodiis ultra sex menses defensa, ut Solimannus ipse ad obsidionem cum aliis centum millibus delatus, militem fugam & abitum jamjam meditantem suâ confirmaret præsentiâ, quâ dum vix quicquam efficeret, & secundò jam abitum pararet, Andreas Amarallus Lusitanus, Ordinis cancellarius, quòd spe magisterii seu principatûs per electionem Philippi Villerii dejectus, ex invidia Turcis in ipso Domini natali urbem prodit, sulphureo pulvere, & præsidio deficientem. Carò certè Solimannus hanc Rhodiam emit victoriam, nimirum sexaginta quatuor millibus violentâ morte cæsis, & 40. millibus morbis consumptis. *Raynald. hist. eccl. ad hunc annum. & alii.* Poterat fortè hanc Rhodi obsidionem (quæ totius orientalis est janua) Carolus V. Cæsar impedivisse, nisi gallico Francisci Regis bello, & germanis Lutheri turbis

Rhodus tentata à Turcis

Amarallus eam Turcis prodit.

adeo fuisset implicitas, ut vix Solimannum anno 1529. à Viennæ obsidione potuerit depellere: opem tamen anno 1526. Philippo Villerio Johannitarum magistro roganti, ut amissam Rhodum recuperaret, Melitensem insulam inter Siciliam & Africam jacentem ad comprimendos barbarorum impetus certis contulit pactionibus, ut in ea sedem poneret, quam hucusque equites nunc Melitenses inde dicti vigilanti semper generositate possident, & defendunt, ejusque nunc anno 1720. (dum hæc scribo) mortuo Magno Magistro Raymundo de Perillos successit electus Marcus Antonius Zandadatus Farnesius, Cardinalis frater; de qua electione vide supra *num*. 15. & 367. Evanescente tandem, ut ad priora redeamus, turcicæ expeditionis in Melitam metu, convocatos equites cum insigni promptitudinis & generositatis encomio Magister dimisit, quòd dubiâ semper famâ Turcarum expeditionem terrâ in Moschos & Polonos; mari verò in rebelles Montenigros, vel in archipelagi insulis tributa recusantes aut differentes esset directa; ideoque Venetis adhus vecordibus incredibili Turcæ studio & labore suum promovent apparatum, & Venetum legatum, seu Bailum magno tumultu in carcerem septem turrium non obstante jure gentium conjiciunt, contra protestantibus Cæsaris, Galliæ & Angliæ legatis: ceteri Smirnensis & Alexandrinus Venetorum consules, ut vocant, Gallorum & Batavorum ope fugâ sibi consuluerunt. Ex tunc Turcæ Dalmatiam & Moream seu Peloponesum

Melita à Carolo V. equitibus datur.

Ordo melitensis.

Turcæ Venetos invadũt.

sum

ſum inſano furore, pacis Carlovvicenſis tempore necdum terminato invadunt.

Annus 1715.

617. Initio anni 1715. Carolus Cæſar pacis jam feliciter confectæ; & utrimque ratificatæ fructus collecturus, per omnia regna, & provincias ſuas hæreditarias mercaturæ florem ſtuduit inducere, ut cujus ope cum barbaris conſuetudo, amicitiæ cum regibus conjungerentur, peritia multarum rerum pararetur, adeoque & nonnulli mercatores civitatum magnarum conditores extiterint, teſte *Plutarcho in Solone*, tam glorioſa & utilis non olim tantùm, ſed & nunc eſt mercatura; per quam inquit *S. Chryſoſtomus homil.* 21. *in Matth.* Omnem penè orbem, qui longis à ſemetipſo dirimitur ſpatiis, non ſolùm ſibi invicem notum, ſed ſocium quodammodò, & communicabilem facit, ut unusquisque parvum apud ſe poſſideat terræ ceſpitem, per iſtud mercandi miniſterium quaſi totius orbis per omnia dominus efficitur, & univerſæ terræ fructibus utitur. Et quid plura? univerſus orbis efficitur tanquam menſa una omnibus, nullo prohibente, ſumere, quod ubique eſt. Unde Horatius:

Cæſar argentariam, ſeu Banco inſtituit. Mercaturæ utilitas.

Impiger extremos currit mercator ad Indos.
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Hinc Carolus etiam Viennæ argentariam, vulgò Banco vocant, auctore Britanno, cum ſuis gubernatoribus, & præpoſitis &c. inſtituit.

De-

Tractatum Barriere Batavi impediunt.

Deinde Cæsar volebat in Belgio tractatum repaguli seu Barriere cum Batavis perfici: quod negotium ex parte Regis Angliæ, Comites Cadoganus & Stanhopius Viennæ, & ex parte Cæsaris in Belgio Comes Kônigseckius & Baro de Hems indefesso studio laborarunt absolvere; Hollandorum autem exacta auri & ingentium impensarum à se factarum restitutio admodùm retardabat, quas refundere Carolus Cæsar recusabat, tum quòd Batavi vi contracti fœderis, tum etiam ad suammet provinciarum contra Gallos defensionem ad illas tenebantur, haberentque nunc vicinum Belgii defensorem potentissimum, Principem Austriacum Cæsarem: qui præterea prætensam à Batavis Geldriam, simulque jus præsidii in Dendermund, demolitionem formalitiorum Leodiensis & Antvverpiensis, Perle dicti, quasi æquivalens quoddam, absolutè denegabat: jubebatque Cæsar militem suum ad Brabantiæ possessionem capiendam, urbesque Batavorum præsidio evacuandas eò procedere: urgente maximoperè hanc causam Gallo, à qua potissimùm pacis Badensis dependebat complementum; & Cæsar Bavarum in suas Bavariæ provincias non nisi hoc priùs absoluto antemurali tractatu volebat immittere. Quare decimo quinto Novembris 1714. hic Barriere tractatus 29. quidem articulis est compositus, & quodammodò conclusus, ante cujus tamen ratificationem varia adhuc Batavi à Cæsare postulata exegerunt, ut nimirum Electori Palatino pro Palatinatu superiori, Bavaris restituendo, non traderetur æquivalens Limburgum: & sicut

cut munitiones Leodiensis & Hujensis, ita quoquo Bonnensis & Trajectensis in monte D. Petri destruerentur. Quæ validis tamen à Cæsare refutata argumentis, in aliquot posthinc annos hic tractatus, Batavis nova continuò intricantibus, est dilatus, necdum anno 1718. dum hæc scribo, omnimodò completus, & ratificatus est.

Bavariæ restitutio.

618. Bavarus interea in totam restituitur Bavariam, die namque 8. Januarii Monachium pro Limburgo, 15. Februarii Ingolstadium pro Brisaco, & in Martio Palatinatus superior, & Comitatus Cham pro fortalitio Kehl extraduntur. Cæsar etiam ex singulari erga hanc Domum Bavaricam clementia, hæreditario Principi Carolo benignissimas propria manu scriptas literas, simul & aureum vellus tanquam equestris hujus Ordinis præses per Comitem Harrachium Græcium transmisit, propter eximias ejus virtutes, raras scientias, morum agendique dexteritatem, simul & auctorttatem, quibus tempore captivitatis suæ Clagenfurti magnâ Cæsaris sollicitudine & curâ adeo fuit imbutus, ut in philosophia, geographia, historia universali, ethica, politica, jure civili & publico apprimè versatus, plenam de his omnibus coram patre Electore, & tota aula Bavarica 18. annorum princeps disertissimè reddiderit relationem; adeoque plurimùm ab omnibus æstimetur & veneretur; id quod uni Austriacæ Domûs clementiæ acceptum referre debet. Magna certè felicitatis pars est, inquit *Menander*, filius bonâ mente præditus: filii namque, ut ait *Petrarcha* 2. *remed.* 12. non labor, sed requies sunt parentum

Caroli Bavari talenta.

Filii boni.

tum, lenimen laborum, atque omnis solatium fortunæ, si boni sunt; alioquin non de numero, sed de moribus est querela. Cornelia Africani uxor aliis pretiosiora sua ostentantibus, productis filiis, ornamenta, inquit, mea hæc sunt. Nulli omnia contingunt, aliis vagæ merces, aliis rigens tellus, exangue aliis metallum; vivæ tibi divitiæ obtigêre filii: an verò boves & pecudes, equi & cameli &c. in divitiis habebuntur, & soli filii excludentur? Filii si mali, fateor, sempiternus dolor, habes unde sæpius mori possis, felicitas anxia, felicitas misera, sollicitum, gaudium & sæpè mœstum. Neutiquam tamen de liberis in prima ætate discolis est desperandum, sicut mater Themistoclis ducis clarissimi ob hoc, teste *Plutarcho*, sese suspendisse fertur: & magnus philosophorum princeps Aristoteles, *Æliano* teste, in minore ætate perditæ vitæ fuit: & quid de viro secundum cor Dei æstimandum sit, Psalmus ejus 24. 7. suggerit. *Delicta juventutis meæ ne memineris.*

Filii mali.

Sed ut redeamus ad id, unde digressi sumus, istam, inquam, scientiæ morumque curam Carolus uni Austriacæ Domûs clementiæ, & raræ ejus virtuti debet. O novum vindictæ genus! nec mirum, cùm ex altero nobis orbe, & cœlesti regione pervenerit, unde omne donum optimum, & omne donum perfectum, quod Paulus in tertium cœlum provectus, ubi inter multa arcana etiam istud insolitum Carolo Austriaco contulit stratagema: Nobile (inquit *Hugo lib.3. de anima*) victoriæ genus ignoscere victo; nobile verè, ipsique victo etiam utilius, quàm si victor

Caroli Aust. Clemētia.

ctor evasisset. Sicut enim oleum calcem extinguit, quam accendit aqua; ita irati animum nullâ interdum vi frangas, sed charitate placabis. Augustus Cæsar Cinnam sibi necem machinantem sic apud *Suetonium* (*in vita Augusti*) affatur: Ego te servavi in castris hostium repertum: ego tibi patrimonium omne concessi, cur me occidere voluisti? ubi perturbato Cinnâ sic pergit: Vitam tibi Cinna do iterum, prius hosti, nunc insidiatori & parricidæ: ex hodierno die inter nos incipiat amicitia; contendamus utrum ego meliori fide vitam tibi dederim, an tu mihi debeas: & consulatum obtulit, & Cinnam habuit perpetuò amicissimum, & solus Cinnæ fuit hæres. Sic *vicit in bono malum*, *Rom.* 12. *Proverb.* 25. 21.

Familia Bavarica redit Monachum.

Tota demum Bavarica Domus, pater elector Maximilianus Parisiis, electrix Maria Kunigunda Venetiis, & quinque filii principes Carolus, Philippus (electus postmodùm episcopus Monasteriensis, cui Romæ 1719. defundo successit electus Clemens frater) Ferdinandus & Theodorus Græcio sub comitatu Cæsarei Consiliarii baaonis Pettschovvitzii, incredibili omnium gaudio Monachium conveniunt. Tum in aula Viennensi, connitente maximè barone de Hundheim, pro cessione superioris palatinatûs, Bavaro à Cæsare facta, Palatino Neoburgico ad dies vitæ reditus ducatûs Limburgensis, urbium quinque, & pagorum centum viginti trium, & partem ducatûs Lutzemburgensis, qui universim continet urbes viginti tres, & oppida 1168. permisit, & in electorali collegio in Thesaurarii di-

Reditus Ducatus Limburg. & Luxemb. cedunt Palatino

dignitatem, annuente, cedenteque electore Hanoverano, Bavarum reposuit. Hic denique Bavarus pro immensa Cæsaris in se, suosque clementia [quam vix speraverat] per aulicum ministrum suum Malknecht immensas illi agit gratiarum actiones, & sincerioris imposterum in Domum Austriacam affectûs, & fidei studium appromittit, uti olim Furnius nullo magis Augustum Cæsarem demeruit, & ad alia impetranda facilem sibi reddidit, quàm quòd cùm patri Antonianas partes secuto, veniam impetrasset, dixit: Hanc unam Cæsar habeo injuriam tuam, effecisti, ut viverem & morerer ingratus. *Seneca lib. 4. benef. cap. 21.* Frater ejus Joseph Clemens Elector Coloniensis etiam Monachium veniens fuit acceptissimus, utrisque sibi invicem restitutionem congratulantibus, suumque ibidem nepoti Clementi Augusto Ratisponensem resignavit episcopatum, sub cujus absentia duæ ejusdem legiones equestris & pedestris summo mane Bonnam à Batavo milite adhuc occupatam, iisque inadvertentibus ingressæ occupant; redeunte autem electore Monachio, inde dimissi Batavi. Hollandiæ Statibus contra protestantibus.

Bavarus Cæsari gratias agit.

Bona evacuatur Batavis.

Mense Martio octo Gallorum millia arcem palatinam Minfelden, cum vicinis septem oppidis ultra Queich fl. sui territorii propriam, simulque oppidum Germersheimium, ut Landaviæ dependentiam, violenter occupant: quod ægerrimè ferens aula Viennensis, electoribus Coloniensi & Bavaro denegat, aut saltem differt electoratûs investituram, ob eorum proscriptionem

Galli Menfeld & Germersheim capiunt.

nem repetendam. De quo *Plautus in Audular. act.* 1. At ſcio, quo vos (Galli) pacto ſoleatis perplexarier, pactũ non pactum eſt, non pactum pactum eſt, quod vobis lubet. Pactum fuerat de Landavia retinenda, non de dependentiis. Nulla verò clauſula, pactum, ſeu tranſactio refertur ad incogitata. *L. Cùm Aquiliana* 5. *& L. qui cum* 9. §. 1. *ff. de transact.*

619. Divulgabatur hoc tempore immenſus Turcarum bellicus apparatus in Venetam rempublicam effundendus, quam nunc ſufficientibus orbatam viribus exiſtimabant, nec per Cæſarem diuturno hucuſque bello gallico exhauſtum, & novo rurſus Hiſpanico & Sabaudico implicandum ſubſidio ſublevandam, & ſeptentrionales præterea ſinedubio motus illum ſint remoraturi. Et dum Cæſareus ad Portam Ottomannicam Reſidens Fleiſchmannus ſupremum Vezirium ab hac in Venetos expeditione, Carlowicenſibus tractatibus omninò contraria, dehortaretur, adderetque Cæſarem Venetis confœderatorum illis non poſſe deeſſe ſubſidio, repoſuit Vezirius Sultanum graviſſimas illos invadendi cauſas habere; & ne aliquam Cæſari ingenti ſuo terrâ marique apparatu violandæ pacis ingereret ſuſpicionem, Vezirius Ali Paſcià miſit legatum Ibrahimum Agam ab Eugenium Ducem, ut conſtantem partium amicitiam, & pacis conſervationem ſanctè appromitteret. Hic antequam Viennam veniret, Baſſa Temeſwarienſis mandato ejuſdem Vezirii Cæſareo Segedini præfecto literis ſignificat, Sultanum modo Venetis bellum indixiſſe, & Dalmatiam jam ho-

Turcicus legatus venit Viennã.

Firmaturus pacem.

 ſtili-

stiliter invasisse, referebant Cæsari Zane & Morosini Venetorum Viennæ legati, subsidium petentes. Ibrahimus legatus 13. Maji Viennæ festivè exceptus, pacis continuationem Eugenio bellici consilii præsidi exponenti, Cæsaris inter Sultanum & Venetos, ne pacis Carlowicensis fœdera, tempore necdum evoluto violarentur, offert mediationem; secus vi fœderis se Venetorum fore socium, & violatæ pacis vindicem. Ibrahimus hujus se rei provinciam asserens non habere, eam tamen per Cursorem Sultano proposuit; interim rerum tum septemtrionalium Suecum inter & confœderatos, tum Hungarorum statum funditus expiscatutus [ut interceptæ probabant literæ, & potior fortè illius adventûs fuerit causa] cautius deinceps observatus & custoditus, tandem consuetis donatus muneribus est dimissus Byzantium, Cæsar etiam pacis rupturam ex ingenti Turcarum bellico apparatu prævidens, finitimas Ungariæ urbes & arces communiri, granaria frugibus & commeatu compleri, legiones plures ad regni fines destinari jubet; præsertim quòd General. Herbersteinius ex interceptis literis triginta Turcarum millia transito Tibisco bassæ Temesvvariensis ad Savum fl. conjungenda copiis in Bosniam essent transitura: quare contracto quamprimùm milite & popularibus Herbersteinius hanc Turcarum conjunctionem impedire festinat: ipse adeo Eugenius mense Augusto perlustratis Jaurino, Comorrâ, aliisque finitimis fortalitiis Canisiam antehac valide munitam, sed proximis annis Cardinalis Collonicii consilio destructam jubet re-

Cæsar Ungaricam parat expeditionem.

reparari, & Styriæ in inferiori Ungaria propugnaculum validè fortificari: Tanta autem tunc temporis erat Caroli armipotentia, qualem antecessorum ferè nullus unquam habuit; numerabat enim in Imperio Rom. Regnis & provinciis hæreditariis, in Italia, Neapoli & Belgio centum quinquaginta armatorum millia, quæ per prudentem sui ministerii œconomiam ex instituto nuper generali banco alebantur, & rite stipendiabantur. Byzantii igitur nomine Cæsaris Residens Fleischmannus categoricum exigit responsum, an Sultanus Moream, ceteraque hoc anno Venetis perfidè ablata loca velit restituere? Cæsar aliàs pacis Carlowicensis fidejussor satisfactionem esset exacturus. Ad quæ ferocior Turcicus minister; cur hoc pacis tempore Romanus vester Cæsar Hungaricas urbes & fortalitia tanto robore, tanto bellico apparatu, tanto commeatu, tanto milite, & indies copiosiori instruit, nisi Portam Ottomannicá certo inde bello invasurus? sciat autem nos potentiâ non solùm pares, sed etiam quàm unquam aliàs formidabiliores, optimè adhuc viam Viennam versus nosse Ottomannos. Cui Fleischmannus replicat, ignorare se Cæsaris sui intentionem, muniendi Hungariam; scire autem optimè quam turpis, cruentissimusque inde fuerit Turcarum abcessus Viennâ & reditus in Turciam, hocque responsum futuræ vestræ expeditionis scopum & interpretem fideliter se Viennam relaturum promittit.

Fleischmannus repetit à Turcis ablata Venetis.

621. His Cæsari significatis, omnia in maturam & validam terrâ marique parantur expeditio-

Veneti amittũt prioribus

annis acquisita. ditionem, & contracto sequenti anno cum Venetis off. & defensivo fœdere hostem simul aggrediuntur. Veneti autem ad bellum hactenus imparati, omnia hoc anno infeliciter amiserunt, quæ præcedentibus tot annis tanto labore & impensis, ac tantâ per Europam gloria acquisiverant, immemores Ciceronis dicentis: Felix respublica, quæ tempore pacis de bello cogitat. Nam indicto illis ab Otomannis bello; tamen adhuc desides, sufficiente terrâ marique carebant malitiâ, petitaque ab aliis principibus, Melitensibus & pontifice subsidia emanebant opinione longius: classis interea turcica non solùm Insulas Tinos & Cerigo sine resistentia occupant; sed 21. Junii terrâ centum millibus militum Isthmum Corinthiacum resistentibus licet fortiter Venetis, & Pisano insularum providitore penetrantes, arcem in monte sitam tertiò frustra impetitam, tandem vi crudeliter occupant, captis præfecto Mineto, & extraordinario provviditore Bembo: atque ita Moream levi manu invadunt, à græcis ibidem prebyteris, jugi Veneti impatientibus provocati; unde Bassa cum primo exercitûs agmine Naupliam, seu Napolim di Romania missus eam cingit, jam tum à classe turcica circumseptam, quam probè bellico apparatu, commeatu & præsidio munitam præter omnium, fortiora sperantium opinionem decem dierum circulo armatâ manu 20. Julii immani tyrannide capiunt cum 147. tormentis bellicis, 14. mortariis, & copioso apparatu, commeatuque, atque in fuga prehensis loci præfecto Bonn, multisque aliis nobilibus supremo

Totam Peloponesum.

Vizi-

Vizirio transmissis. Tum civitates Modon, Coron, Patrassum, Napolim di Malvasia, Egenam portum & Otadam, aliaque Moreæ oppida & civitates, imo totam Peloponnesum 45. dierum spatio suæ faciunt potestatis, abductis Smirnam in miseram captivitatem 40. animarum millibus. Morlaci quidem ad fines Croatiæ inter Istriam & Dalmatiam ad mare Adriaticum siti iteratis in hosticum excursionibus haud exigua inferebant detrimenta, & insignia referebant spolia; sed Ottomanni numeroso propterea exercitu validi roboris arcem Zing quatuordecim furiosè impressionibus, à loci præfecto Georgio Balbo generosâ certè fortitudine rejectis frustrà multiplici strage impetunt; adeoque provinciæ provisor Emo collecto sedulo tumultuariè studio tum militum, tum popularium justo exercitu (cui Archiepiscopus Spalatrensis, & episcopus Mascassæ cum centuriis aliquot religiosis se animosè conjunxerant) 15. Augusti generosè sub Barone Spaar hostem aggressus, in fugam conjecit, cæsis eorum quindecim millibus, & captis omnibus tormentis & impedimentis. Venetorum etiam aliqualis classis Zazyntho provolat quidem in hostem, quem classe multò superiorem non ausa invadere, Zazynthum modestè remigat. Turcica verò adjunctis sibi Algiriensibus & Tripolitanis navibus, duo in Candia oppida Sudam & Spinamlongam occupans, finem expeditioni imposuit. Magna hæc Turcarum expeditio ingens Sultano, totique Portæ Ottomannicæ peperit gaudium, quod exitiosum urbis Constantinopolitanæ fœdavit incendium,

Turcæ à Zing rejiciuntur.

Et cæduntur.

Suda & Spinalonga.

cujus quarta pars 2600. Turcarum, & 7157. Christianorum domus, 13. Mosque, seu fana turcica, multæ tabernæ & merces incredibili mercatorum detrimento per quadriduum flammis sunt consumpta. Veneti deposito ob socordiam architalasso Delfino, quòd eo quasi spectante Morea sit occupata, Franciscum Grimanum supposuerunt, & in sequentis anni expeditione Saxonicum Generalem Comitem Schulenbergum virum militarem & exercitatum sub annuo 24000. ducatorum stipendio spe melioris fortunæ assumpserunt.

Legatus gall. de Luc. venit Viennam.

622. Interea temporis die 4. mensis Julii advenit Viennam legatus gallicus Comes de Luc, vir prudentiæ & politiæ peritissimus, ex Helvetia (ubi regis Galliæ cum catholicis Cantonibus renovaverat confœderationem, & paci Badensi interfuerat) mutuam Cæsarem inter & Ludovicum Regem Galliæ confirmaturus amicitiam, & Septentrionalem Principum diffidias mediatore Cæsare compositurus, quas Carolus ex certo policismo ne quidem digito cupiebat attingere: nec ullo se modo hispanæ successioni (cujus sibi jus semper reservabat) immiscere volebat, quam Ludovicus ob ætatis gravitatem nepoti suo Philippo legitimam & securam desiderabat; sed maximâ Cæsar apprehendebat offensâ tam subitam insulæ Majorcæ & vicinæ Yvicæ gallohispanico milite per Asfeldium 3. Julii 1715. occupationem, quarum jura & libertates, uti & oppidi Germersheim. Cæsar vindicata exigebat.

Majorcam rapiunt.

Helvetiorum simultates paulò post pacem Ba-

Badensem renovatæ haud leve in aula Viennensi facessunt negotium, Bernensium imprimis & Tigurinorum calvinistarum in Abbatem S. Galli molimina & iniqua oppressio, cui Cantones catholici, & Clemens Pontifex, Dux Sabaudiæ, & Bavariæ elector succurrendo, protestantesque Cantones impugnando, haud exigua promittebant subsidia; Gallus verò, utriusque partis discordias occultè fovendo, Helvetiam rempublicam (quæ Germaniæ est antemurale) satagebat evertere, aut ad suam etiam Protestantes quatuor Cantones attrahere confæderationem, quam hi Austriacis magis, ut Catholici Gallo, addicti fugientes adversabantur: Cæsar autem periculosis hisce non se immiscens consiliis & eventibus, Abbati amicæ semper compositionis media suasit, prævidens Ludovici Regis molimina, totius Helvetiæ mutationem & eversionem meditantis; omnibus enim undecim Cantonibus æqualem singulis provinciarum portionem attribui animo volvebat; ideoque Genevam, ad fines Sabaudiæ olim Allobrogum metropolim, nunc liberam rempublicam anno 1536. perpetuò Bernensibus confœderatam ex una parte à se, ex altera parte à Sabaudo, simulque Neocomum imperi, à Bavaro autem Basileam & Tigurum invadi moliabatur: Protestantibus verò secrota hæc consilia subodorantibus, copiosum ad suam conservationem militem auctorando omninò everterunt; nam consilium peritorum ex apertis obscura æstimat, ex parvulis magna, ex proximis remota, & ex partibus tota.

Helvetorum discordiæ.

Eversio eorum meditata.

Romanam inter & Sabaudicam aulam discor-

Romano-Siculo discordia.

cordiæ propter ecclesiarum in Regno Siciliæ immunitatem à Pontifice mordicus defensam, & à Siculis violatam, quotidie invalescebant; hi Apostolicæ Sedi non obtemperantes episcopos relegabant, Jesuitas, & alios religiosos proscribebant, seculares ære & carcere mulctabant, ideoque Pontifex eos excommunicationis fulmine perstricturus, multiplici Regis sui Ducis Sabaudiæ & Aurelianensis legatione, & variorum Cardinalium mediatione, ac intercessione vix contineri potuit.* Ubi Faucigni in Sabaudiæ ducatu ingens discissus est mons, tres ad radices ejus vicos & pagos totaliter homines, jumenta & omnia miserabiliter contrivit.

Mons discissus.

Mors Ludovici. XIV.

623. Ludovicus XIV. Rex Galliæ interea primâ Septembris 1715. vitam simul & imaginativæ monarchiæ scenam clausit, anno ætatis suæ 77. dolorosâ satis à medio Julii ægritudine, asinino quidem lacte quadantenus levata, sed intolerabili in dextero pede gangrænæ fortore extinctus, jam pridem fœdo venereæ inflammationis igne corruptus & consumptus, qui ubi videbat prostratas vires ad tumbam fatiscere, & jam moriturus Delfinum puerum accersens dixit astanti Duci Aurelianensi: ecce hî duo reges, unus ad urnam ascendens, alter è cunis thronum ascendens: memoriam mei, illius amorem & venerationem vobis unicè commendo. Delphino benedicens sic affatur: Magna fateor, subditis meis imposui tributa, & debitorum onera, quæ dissolvere hactenus impotens, tibi solvenda relinquo: pacem cole,

colel, & erga sudditos esto benignus. Cum assistentibus sibi Cardinalibus de Rohan & de Bissy (Cardinali de Noailles adversariis) de salute sua consulens, in voluntatem Dei, unici vitæ & mortis Domini, patienter se resignavit. Eo vix mortuo Dux Aurelianensis septennem Delphinum regni Galliæ legitimum successorem, ejusque se Regentem à regni Cancellario publicè declarari jubet: quamvis ille in Ludovici testamento regii solùm ministerii præses, & Dux Noviodunensis Regis tutor sint designati; sed quia contra leges pragm ticas hoc testamentum & codicillum Cancellarius Voison conceperat, & scripserat, hic officio depositus est; multique ejusdem articuli à parlamento irriti, & nulli sunt declarati. Hinc multæ sunt subsecutæ mutationes: Cardinalem de Noailles, quem Ludovicus in sua noluit infirmitate admittere, Dux Aurelianensis in majorem elevavit dignitatem & authoritatem; ob Constitutionem *Unigenitus* proscripti impugnatores sunt revocati; & gallicæ ecclesiæ libertas anno 1682. 23. Martii in provinciali concilio Parisiis asserta & decreta pertinacins est propugnata &c. En qualis in regno & rege mutatio! qui tot millionum hominum sanguine insatiabilis universalem irritò appetens monarchiam, nunc angusto contentus loculo, & unicâ terræ palâ satiatus, vermis, cinis, nihil est: qui continuus Austriacæ Domûs æmulus eam omni modo suppressurus, suâ demum depressione illam ad majorem immortalemque exaltavit gloriam. Cujus exequias Cæsar 17. Novembris solemnissi-

nissimè cum tota aula celebravit : quæ & obitum Electoris Trevirensis Caroli Josephi Ducis Lotharingiæ variolis affecti, & 4. Decembris Viennæ Austriæ confecti dolenter admodùm excepit. Ejus successor Trevirensis 20. Februarii 1716. proclamatus est Franciscus Ludovicus Dux Palatinus, Coadjutor Moguntinus, Episcopus Uratislaviensis, & Magnus Teutoniæ Magister. Osnabrugensis autem Episcopus ex pactis Monasteriensibus die 2. Mart. 1716. Ernestus Augustus Dux Brunschvvi-Luneburgensis est electus.

Et Caroli Elect. Trevirensis.

624. Hoc circiter tempore in Hungaria Comes Gabriel Ant. Erdodus Episcopus Agriensis, ejusdem Episcopatûs, & subjectorum comitatuum sumpsit possessionem; cujus metropolitanæ ecclesiæ pretiosissimum Cæsar donavit sacrum ornatum, & Imperatrix Elisabetha 35. desolatos catholicos orphanos, ab uno usque ad octavum ætatis annum Hamburgo Viennam accersivit, pio misericordiæ voto educandos, & in statum deinde honestum elocatura.

Erdodus Episc.

Imperatricis pietas.

Qualiter etiam in Transylvania General. Comes Steinvillus Claudiopoli episcopalem ecclesiam ultra sæculum arianam tradidit [ejectis ægrè Arianis] Catholicis, ritu Romano-Catholico consecrandam: qui idem Comes Albæ Juliæ muros ibidem jam biennali labore restaurans, novisque vallis & propugnaculis muniens, mutato nomine Carolopolim, à Carolo VI. Romanorum Imperatore ejus restauratore nominari imposterùm voluit; quam Dux Ragotzius olim ornavit universitate: Abaffius ducali residen-

Claudiopoli expellit Steinvillus Arianos & Albã Juliam nominat Carolopolim.

dentiâ, & antiquis temporibus episcopatu prædita, Archiepiscopi Coloczcensis fuit suffraganeus. Ibidem Segedini inter similes munitionum effossiones sub terra repertæ sunt tres insignis magnitudinis campanæ, argenteæ potiùs quàm æneæ.

Mauri à Ceuta & Melilla rejiciuntur.

In Africa Mauri Ceutam urbem & arcem à longo jam tempore cinctam, & continuis cruentisque impressionibus impetitam, sed ab Hispanis imperterrito semper animo defensam obtinere hactenus non potuerunt: cæsis igitur in ultimo ibidem incursu 3000. inde Melillam in regno Fez terrâ marique cinctam simili cruentissimo successu deserere debuerunt. In India Rex Cochin China, magnus Christianorum persecutor à Missionario P. Vasco Fernandez de Amêdo Jesuita ad humanam benignitatem inductus, religionis catholicæ libertatem in suo nunc regno permisit.

China admittit Catholicam religionē.

Oxoniensis & Ormontius proditionis suspecti.

In Anglia Comes Oxoniensis in punctis aliquot reus proditionis, & læsæ majestatis ab inferiori domo seu parlamento accusatus, & 27. Julii 1715. tanquam reus in captivitatem est abductus. Rex ipse Georgius coram utraque domo prætendentis Ducis Cambricensis insidias, & in Scotiam descensum patefecit; ubi dum quoscunque proditores ad carceres retrahendos unanimiter conclusum, Dux Ormontius sibi malè conscius in Galliam ad Bullingbrockium proditionis similiter reum effugit; unde ad defensionem sui ambo citati, ex catalogo Parium regni delentur. Interim Comes de Marri, & Marchio de Hundley citatis per circulares literas, &

col-

collectis in favorem Prætendentis haud exiguis copiis Edenburgum Scotiæ metropolim irritò invadunt; nihilo tamen minus Prætendentem Angliæ Regem proclamant; sed invocato militari sex millium Batavorum subsidio paulò pòst à Duce Argyleo Prestoni cæsi, 72. Comites Angliæ Nobiles sunt capti: prætereaque gravissima in urbis & regis, ejusque familiæ excidium detecta est 140. Comitum Anglorum conspiratio, 25. Octobris adimplenda. Cujus primarius regicida Nobilis Harcejus scalpello sibi in captivitate vitam ademit, ne proderet socios conspirationis. Prætendentis autem percussori licèt quinquaginta millia lib. sterlngotum sint promissa; 17. tamen Januar. Dondeum Scotiæ urbem publicè cum exercitu Comitis Marr eques ingressus. Perthii ejus proclamata sunt regia edicta: qui Argyleo eum persequente, relictâ Scotiâ rediit in Galliam. Sex autem nuper capti Comites Derentvvater, Widdrington, Nuhislade, Carnvvarth, Kenmure, & Nairn ab utroque parlamento, rege clam præsente, proditionis rei sunt condemnati, eorum uxoribus frustrà gratiam & veniam petentibus: quorum primus Derentvvater & Kenmure 6. Matt. securi sunt percussi: Nithislade in uxoris vestibus elapsus, illâ in carcere remanente, cum eximio conjugalis fidei encomio libera à rege demissa est; conjugis tamen percussori mille sterlingorum libræ sunt addictæ.

Edenburgum frustra Prætendens tentat.

Cæditur

Conspiratio in Regem Angliæ.

Prætendens redit in Galliam

Angli comites morte damnati

Fidei conjugalis exemplum

An-

Annus 1716.

625. Annus ſeptingenteſimus decimus ſextus plurimùm Cæſarem, totamque aulam Viennenſem inter ſpem & metum ſollicitavit, partus nimirum Imperatricis, & hungarica contra Ottomannicam Portam expeditio, utrobique fauſtam felicemque deſiderantes: pro illo ferventes per univerſas hæreditarias Auſtriacæ Domûs provincias & regna preces inſtitutæ natales, gallicusque Legatus Comes de Luc Imperatrici congratulabatur, optans ſi archiduciſſam ſeptenni ſuo Regi Galliæ aliquando maritandam; Romanum verò Imperium cum hæreditariis provinciis optabant ſperabantque Auſtriacum Principem Imperii regnorumque ſucceſſôrem, cujus in Auſtriaca linea defectu hæreditaria illa regna futura eſſent belli theatrum cruentiſſimum, & ut ſapientiſſimus Gancellarius Comes Uratislavus ajebat, ſpolia gentium fierent; meliora tamen ſperabant & promittebant ſanguineæ B. Virginis in Inſula Schut lacrimæ, quas in Franciſcanorum monaſterio S. Antonii icon B. Virginis, uti & alia in templo Mormoracenſi prope Huſt, atque adeo etiam Viennæ in templo S. Stephani miraculoſa illa icon Bitz ſimiles in multorum aſpectu lacrimas profudit, quales etiam hic anno 1696. ex utrisque oculis emiſit, omnesque tunc Ungariæ ruinam & excidium inde ominari videbantur; Mariani autem cultores inſignem illam anno 1697. ab Eugenio propè Zentam hiſce B. Virginis lacrimis impetratam propitiùs victoriam interpretabantur; ſic & nunc fe-

Imperatrix gravida.

Icon B. Virginis lacrymatur.

felicem Principis partum, & contra Turcas victoriam per supplicantes tot iconum lacrimas B. Virginis sperabant, tales hodiedum adhuc supplicationes pro successore masculo offeruntur per universas hæreditarias Cæsaris provincias. Ego quidem Austriacæ huic Domui, à Rodulpho I. Habspurgensi ortæ & propagatæ, atque ad 282. annos Imperii Rom. sceptrum tenenti felicissimam opto & voveo Comitis quondam Babonis ejusdem Habspurgensis familiæ fœcunditatem, qui triginta duos filios legitimos, & filias octo ex duabus uxoribus suscepit; quos omnes ad S. Henricum II. Imperatorem in comitiis Ratisponensibus deduxit. Sunt, qui addunt Imperatorem rei inscium, indignatum fuisse super amplo comitatu, & quidem contra pragmaticam super statu uniuscujusque formando, tunc emanatam, donec ejus quod erat, certior factus, nonnisi laudare potuit, ut referunt *Annal. Salisburg. Episc.* 30.

Filiorũ fœcunditas Habspurg. Babonis.

626. Alteram spei metûsque sollicitudinem auxit bellum turcicum tam in Hungaria quàm Italia, Venetorumque extraordinarii Legati Morosinus & Grimanus instanter admodum à Cæsare precantur subsidium, idem pontifice adurgente ob frequentem Olchinensium in mari Adriatico piraticam, & præsentissimum Insulæ Corsicæ à Turcis invadendæ periculum, quæ totius Italiæ clavis si capta foret, plurimis & gravissimis illa exscensionibus & vastationibus foret exposita; præsertim cùm jam sæpiùs incomparabili Domûs Lauretanæ thesauro inhiantes exscensionem tentarint; sed quia Cardinalis Imperia-

Clémẽs PP. metuit Turcas.

perialis novo illam roboravit propugnaculo, thesaurus jussu Pontificis ibidem remansit, Romam aliàs transferendus; hortatus tamen Cardinales Pontifex, ut pro suis quisque viribus ad imminens utrumque hoc bellum adeo periculosum contribueret, Cardinalis igitur Albanus tria scutatorum millia promptè obtulit, Acciajolus, & Marescotus singuli 2000. Paraccianus, Olivierius, Carracciolus, Scottus & alii 500. singuli scutatos.

Cardinales contribuunt.

Ab aliis præterea Christianis Principibus Pontifex sollicitabat subsidium; cui promptè Hispanus in defensioné statûs ecclesiastici 10. naves militares, & mille octingentos pedites appromisit; naves Pontifex admisit, militem verò propter Cæsaris cum Hispano simultatem ob Hispaniæ non tantùm, sed etiam Florentiæ & Parmæ ducatuum successionem, recusavit, ne Cæsari offensionis & diffidentiæ ansam præberet; qui Cæsar, quamvis initio offensivum cum Venetis fœdus nollet, aut saltem differret contrahere; sed omni studio & arte hoc Veneto-Turcicum bellum conaretur supprimere; quia verò Turcarum Sultanus, Moreæ victoriis insolens, nec omni modo tentatam Caroli Cæsaris, nec Regis Angliæ mediationem volebat admittere, & Cæsareum Legatum Fleischman interpellatorem contemptim rejiciebat,

Fœdus Cæsareo-Venetum.

Cæsar ad contermina Turciæ in Hungaria loca mox centum viginti quinque armatorum millia, 70. nempe millia sub Eugenio Sabaudo, 30000. sub Starrenbergio, & 25. millia Duce Heistero ablegat. Proinde datus est omnibus liber sine ullo vectigali commeatuum ad castra transitus, &

Cæsaris in Ungaria exercitus.

Apo-

Apoſtolicus Nuntius Spinola Viennæ publico ad eccleſiarum valvas mandato centeſimum redituum eccleſiaſticorum nummum exigit. Tandem etiam adnitente Comite Schulembergo off- & defenſivum fœdus Cæſareo-Venetum in domo Ducis Eugenii eſt concluſum & ratificatum, ut dum Cæſar in Hungaria Ottomannos fortius invaderet, Veneti Italicæ quietis fidejusſores (Italiæ enim Principes quidam Hiſpano faventes, turbas moliri dicebantur) aliquot in ære ſubſidiarios Cæſari milliones numerarent, quo peracto omnia in vegetam ſedulò & tempeſtivè diſponuntur expeditionem, ingenti Venetæ reipublicæ gaudio & emolumento. Id tamen fœdus eſſet pactum ſalis *Numeror*. 18. *v*. 19. id eſt pactum firmum & ſtabile: ſicut enim ſal à putrefactione carnes conſervat; ita pactum ſalis ſignificat pactum à corruptione & violatione alienum, fœdus firmum & inviolabile. Sic ſal fœderis *Levit*. 2. 13. eſt ſal firmativum fœderis, aut ſymbolum fœderis firmi & ſtabilis; unde & olim hoſpitibus ante alios cibos apponi ſal ſolebat, & ominoſum eſt habitum, ſi ſal in menſa contigiſſet profundi, quaſi per hoc amicitiæ everſio & reſciſſio portendebatur. Atque ita pactum ſalis, pacis Carlovvicenſis, in Divano turcico perfidè eſt diſperſum.

Sal fœderis.

627. Turcæ Peloponneſi recuperatione numeroſa maturè claſſe provolantes, ad invadendam Corcyram militem prope Marlette & Butrintum expoſituri à Venetis 8. Julii generoſâ aggrediuntur fortitudine; certamen ambiguum nox diremit, die autem 11. repertiâ naumachiâ

Veneti cædunt Turcas.

chiâ Turcæ in fugam coacti sunt, amissis pluribus navibus, & quatuor præcipuè magnis militaribus, eorumque tria millia cæsa, Venetorum tantùm 150. cum nobilibus Marcò Cornero & Cornaro. Nihilo tamen minus Turcæ Corcyram ad mare Jonicum urbem 35. armatorum millibus cingunt, & duos ad dexteram & levam montes St. Salvator & Abraham furioso planè impetu intercipiunt, & ad hospitale usque pervenientes, urbis deditionem postulant: Schulenbergus autem præfectus excursione feliciter factâ insigni cum strage illos rejicit, & ab exteriore muri acclivitate avertit. 19. deinde Augusti omissâ ulteriore & sufficiente murorum ruinâ per generalem impressionem insanâ furiâ ad vallares usque sudes, eas infringendo, & ad interiorem muri acclivitatem perveniendo excursionis portam irruunt; immo aggerem cornuto D. Antonii operi præstructum, & alteram excursionis portam jam tum occupabant, ut communicationis viam seu ostium haud difficulter potuissent, cum summo urbis periculo, perrumpere: tum ecce Schulenbergus quatuor præsidiariorum millibus excurrens, pyrobolis, sphæris incendiariis, aliisque ignitis missilibus, & optimi effectûs cuniculo tam ingenti illos cæde rejecit, & omni ubique loco expulit, ut relictis 30. vexillis, variisque novæ inventionis scalis, & aliis bellicis apparatibus nequicquam ultra ausi fuetint tentare; sed 22. Augusti post 25. obsidionis diem noctu præcipiti fugâ, relictis castris, 10. mortariis, 70. tormentis, impedimentis, & magno bellico apparatu Venetis spolio cessis,

Turcæ Corcyram obsident.

Eam deserūt.

ad maritimam se classem receperunt, ubi plures aquâ, multi rusticorum sicis perierunt: in ipsa autem obsidione 15000. eorum cæsa, præter ægros & læsos in servitutem ductos: præsidiariorumècontra tam cæsorum, quàm læsorum numerantur 1700. Egregia sanè urbis, Italiæ clavis, defensio, Antonii Loredani curâ & sollicitudine, Schulenbergii fortitudine, & S. Spiridionis Episcopi ibidem patroni tutelâ conservata, cujus sacras exuvias Veneti in tutiorem deportaturi locum, dimovere non potuerunt, quasi in certum conservationis signum; cui propterea argenteam mille unciarum lampadem perpetuò ejus venerationi arsuram devoverunt: Schulenbergo æream in foro Corsicæ hominis magnitudine statuam erexerunt, salariumque ejus 5000. ducatis auxerunt; Loredanum verò equitem S. Marci honoris & gratitudinis ergo declararunt. Econtrà cives Byzantini audientes architalassum suum à Corcyra tanta cum jactura tam turpiter in fugam rejectum, insano furore ejusdem non solùm domum expilarunt; sed totam funditùs igne devestarunt & everterunt, vix Sultanum ipsum strangulando abstinentes, nisi quatuor Bassas, bellum in Christianos persuadentes, laqueo sustulisset; & Vezirio suo non bellum, sed simultatis compositionem commisisset: capto postea Temesvvario suffocatus dicebatur, nisi fugâ Adrianopolim se proripuisset, adhuc salvus & incolumis. Tota sibi de hac insigni victoria gratulabatur Italia, & imprimis Roma ipsa, quam insana quædam capita Marchio de Langallerie, & Comes de Linange

Ejus patronus, S. Spiridion.

Sultani & Vezirii ob hoc periculum

nange nefandis suis consiliis, Turcarum ope, ex mutuo contractu Sultano moliebantur subjugare: quorum primus jussu Cæsaris Stadæ, alter Aurici Frisiæ orientalis ambo capti, & Viennam abducti sunt. Romanus Pontifex incredibili hujus Corcyræ liberatione affectus lætitiâ, tam præcipitis fugæ causam, & tantam turcicorum castrorum impedimentorumque jacturam Petrovvardinensi Cæsaris multùm adscribit victoriæ. Italiæ & Pontificis gaudium.

628. Dum hæc serventissimè peraguntur, nascitur 13. Aprilis Carolo Cæsari ex Elisabetha Christina primogenitus Leopoldus Josephus, Joannes, Archidux Austriæ & Astutiæ, qui 14. Aprilis in præsentia 23. Episcoporum & Prælatorum, Legatorum, & omnium aurei velleris equitum 20. à Nuntio tunc Apostolico, nunc Cardinale Spinola sacris Jordanis aquis [quæ in vase asservatæ nunquam corrumpuntur. *Radzivil. in hodæpor. Jerosol.* Et in Bethabara, ubi aqua Jordanis uno refluxu revolvitur, nunc leprosi mundantur, ut ait *Gregorius Turonens. lib. de glor. mart. cap.* 17.] baptizatus, & à Carolo Cæsare Aurei velleris eques consuetis solemnissimè ceremoniis, assistentibus cæteris aurei velleris equitibus est inauguratus, æmulatus primum hujus Ordinis 1430. institutorem Philippum Bonum Ducem Burgundiæ, statim baptismo initiatum filium Carolum Audacem fecit aurei velleris equitem; Cæsar namque facto ter gladii attactu hæc super filium Leopoldum ex Ordinis Rituali pronuntiabat verba: *Efficiat te Deus bonum & honorabilem equitem,*

Cæsari nascitur archidux.

Jordanis aquæ.

in nomine Domini nostri & S. Andreæ. Tum auream illi velleris catenam circumdando dicebat: *Ipse te hic Ordo in sodalitatem amicabilem suam recipit, ejusque rei signum torquem ego hunc circumdo; faxit Deus, ut gestare eum diu possis, isque simul ad divinam gloriam atque cultum, exaltationem Ecclesiæ cedat; simul etiam cùm ad amplificationem, honoremque hujus ipsius Ordinis in universum, tum ad tuam privatam laudem, & promeritam famæ celebritatem, in nomine Patris, & Filii & Spiritus S. &c.* Posthæc Cæsar tenerrimè filium complexus tradidit illum Eugenio Sabaudo, hic gerulæ suo loco deponendum, Nuntiusque Apostolicus Spinola Hymnum Ambrosianum *Te Deum laudamus* intonavit, cum incredibili aulæ, urbis, Imperiique Rom. gaudio & tripudio, quo Cæsareus imprimis Hamburgi Legatus Comes Fuchsius in templo honoris hac exultavit famæ inscriptione: *Numini Europæ in terris tutelari, Carolo VI. Imperatori, pio, justo, magnanimo, forti, constanti, tempora temporibus sagaciter temperanti, Galliæ nuper quietem sospitanti, Belgicæ tutamen fœderatæ flagitanti Germaniæ suæ pacem, nunc Augustissimam sobolem Leopoldum, Hispaniæ infantem, Archiducem Austriæ, Asturiæ Principem, felicissimis aquilæ alaudarum ex auguriis tot tantisque bonorum votis danti.* C. F. sed lætitiam trux Libitina brevi commutavit in tristitiam:

Nascentes morimur finisque ab origine pendet.

629. Gallia apostolicam Clementis constitutionem *Unigenitus*, contra Quesnelli propositio-

ſitiones & libros emanatam noluit adhuc admittere: quare Pontifex tria illuc direxit Brevia, ut vocant, ad Regni Regentem Aurelianenſem unum, ut ejus urgeret admiſſionem, alterum ad Cardinalem Noaillem, ut eam præſcripto tempore ſub pœna privationis Cardinalatûs ſimpliciter, & ut jacet, reciperet; & tertium abs regni Epiſcopis idem ſub depoſitionis interminatione poſtulavit; ſed vix quidquam apud eoſdem effecit: necècontra gallicus Legatus Amelot, nec Cardinalis Tremovillus, Papæ aliàs acceptiſſimus, nec plures alii Pontificem à ſua dimovere ſententia potuerunt, adeo ut Amelotus non aliter controverſiam, quàm nationali concilio decidendam judicaret, poſtularetque: conſenſit Pontifex, ſi illi concilio Legatus Apoſtolicus à ſe, & ſacro Cardinalium collegio denominandus præſideat, qui materiam tractandam regulandam diſponat, & non priùs inchoetur concilium, antequam prædicto Legato rei & diſceptationis communicetur materies. Hæc Amelotus Pariſios reverſus Aurelianenſi Regenti & Epiſcopis detulit: voluitque Pontifex hanc legationem nepoti ſuo Cardinali Albano imponere, ſed prælegiſſent alii Cardinalem Caſinum, in cauſa informatum & verſatum, aut Fabronum, acerrimum conſtitutionis defenſorem, &, ut quidam volunt, ejusdem auctorem. Sed nihil inde effectum, Pontifice in ſua conſtanter perſiſtente ſententia, nec velle, nec poſſe aliter, tot ab Innocentio X. prædeceſſorum ſuorum irrefragabili veritatis columnæ firmiter innitentium veſtigiis inhærente: imo Clemens lacrymis perti-

Gallia Clementis conſtitutionem non admittit.

nacem Galliæ contumaciam deploravit, dum Card. Tremovillus Galliæ Legatus enixè compositionem controversæ constitutionis, & Regalium in gallica Flandria indultum peteret à Pontifice: cujus hæc est origo.

Regalia Belgii.

Leo X. Papa anno 1515. 4. Julii speciali Bullâ Carolo V. Cæsari indulsit, ut nullæ imposterum in suæ jurisdictionis Belgio Abbatiæ, præpositurae, aut dignitates tam collegiatarum quàm episcopalium Ecclesiarum absque Cæsaris consensu, à Sede Apostolica, aut ejus Legato conferrentur: quo deinceps indulto Carolus, ejusque successores omnia prædicta beneficia & dignitates per suam nominationem exclusâ & & omissâ consuetâ capitulorum electione hucusque contulerunt; sed contradicentibus religiosis conventualibus, & antiquissimum jus electionis suæ multis argumentis & precibus diu defendentibus, tandem sub Caroli successore & filio Philippo II. ita res provisionaliter est composita, ut tres regni commissarii ex conventu seligerent religiosos, dignitatis capaces & dignos, ex quibus cæteri religiosi unum per majora vota eligerent, à Rege demum confirmandum; Episcopalium verò & collegiatarum dignitatum nominatio semper penes Regem permaneret.

Cæsar petit ab Imper. Roman. subsidium.

630. Rebus cum Ottomannica Porta sic constitutis Cæsar rem Imperii Rom. Statibus aperiendam, subsidiumque tempestivè petendum decernit, quòd hæreditaria Cæsaris regna & provinciæ hispanicæ successionis bello exhausta huic fœdifrago, potentissimoque Christianitatis hosti vix possint resistere, & immensum belli pon-

pondus sola sustinere; ideoque non ad commune tantùm omnium Statuum collegium Ratisponense commissionis mittit decretum : sed ad singulos etiam particulariter status & principes Comitem Kaunitzium pro exigendo sive nervi bellici, sive militis præsertim pedestris subsidio ablegat, & impetrat; ipsemet Cæsar lustratis 7. Maji aliquot legionibus, visisque admirabili arte per Hamburgensem naupegum Fockhe German constructis & laudatis Danubianæ classis navibus, ejusdem vice-admiralem Anderson ab Eugenio commendatum singularis spe gratiæ admittit & confirmat; ipsemet enim omnia regni bellique negotia indefesso semper studio, labore, & prudentissimo consilio investigabat, & dirigebat, omnesque auctoratæ legiones ad maturandam expeditionem in Hungariam ad castra & exercitum, cui interim usque Eugenii Principis adventum Generalis Com. Palffius campi mareschallus præsidebat, sine mora dimittebat: jamque in Majo omnes undequaque legiones ex suis quæque campimentis seu stationibus ad generalem exercitum confluebant Futacum, sex legiones sub Generalib. Lancken & Regal ex campimento Welsch, tres sub Hochbergo ex statione Inoch, duæ ex Petrovvardino sub tribuno Salsar, quatuor sub Comit. Bonneval ex statione Futaer, sub Gen. Montecuculo quindecim ex campimento Beth ; ex Segedino sub Gen. Veterano legiones undecim cum re tormentaria, ex Bohemia septem Essecko, quatuor sub Gen. Viardo ex Czongrad, octo denique legiones ex Transylvania illuc tumultuariè

Cæsar ipsemet omnia moderatur.

Legiones omnes Futacum confluunt

movebant stricto cum mandato, ne ullam Turcis primò præberent offensionis ansam: dicebatur namque turcicus Aga Viennam adventurus; cui Residens Byzantii Fleischmannus prædixerat, certum Turcis bellum Venetum continuaturis, ex parte Romani Cæsaris, Venetorum socii, militarem succursum, & terribile imminere bellum, adeoque ultima per cursorem Byzantium missum Ottomannicæ Portæ expectabatur resolutio; sed antequam ipse reverteretur, jam publicam ipsi fœdifragi inferebant hostilitatem.

Eugenii ad Vezirium; literæ.

Et quamvis jam pridem 2. April. ipse Eugenius belli præses dehortatorias ad supremum Vezirium literas scripserat, Turco-Venetum bellum sibi admodùm esse suspectum, regnisq; & provinciis Cæsaris hæreditariis ob vicinitatem periculosum, & Carlovvicensis denique pacis tractatibus contrarium (qualem Turcæ cum Venetis non Carlovvicii, sed Byzantii privatam contraxisse se non obligantem asserebant) proinde Cæsarem tum ad præsentissimum abs se avertendum periculum, tum ad defendendos singulari strictoque sibi fœdere 1684. Romæ perpetuò connexos Venetos, ad arma coactum, & nisi Ottomannica Porta ablatas nuper provincias & Moream Venetis restituat, armis & justâ aliàs violentiâ fore extorquendas. Nihil ad hæc responsi ab Ottomannis datum est, sed quia fortunâ jam sibi favente oppressis & devictis primū Venetis, Hungariam faciliùs invadendam recuperandâve moliebattur, Anselmo Franc. Fleischmanno indicarunt, & declararunt hostes omnes Venetorum socios & adjutores, simulq; in divano suo turcico, instigante maximè supremi Vezirii

Sultanus Cæsari bellū indicit.

zirii arrogante consilio bellum in Rom. Cæsarem decreverunt, & indixerunt, omniaque in tempestivam mutarunt expeditionem, dum miles turcicus & Janizari otii impatientes, & ingenti multitudine freti, bellum, bellum ininclamarent; Mufti etiam juxta Alcorani sui leges, Christianos, & suæ religionis adversarios ferro flammâque persequendos, & amissa recuperanda iteratò cunctis inculcarent: Sultanus ingentem bellicum collegisset nervum, telonia, vectigalia & merces augendo, Wallachiæ, ut dixi, Hospodarem, 56. turcicos dynastas seu Beys, & plures Bassas perimendo, eorumque bona fisco addicendo; græcorum etiam per omnia sua regna monasteriorum reditus corrogando &c. imo publico manifesto seu circularibus ad omnes regnorum suorum gubernatores & bassas literis Rom. Cæsari rupturam fœderis imponens, eidem bellum indicit.

Deinde Sultanus ut hungarica sibi feliciter succederet expeditio, severissimum bis hebdomadatim omnibus & singulis Ottomannici sui imperii subditis ad seram usque vesperam indicit jejunium, & longissimam aliquot millium hominum instituit processionem, quorum 6000. in sacco nudipides procedebant, 3000. flamines carnes suas cultris scindentes, & pectus percutientes, Mahometis gementes implorabant auxilium: sex mille deinde virgis & flagellis sese cædebant, & 30. flamines Mahometis sepulchrum circumferentes, 300. circumdabant custodes, sicas gerentes, omnes trucidabant, qui hoc sepulchrum incuriosius intuerentur: hos sequebantur 50. turcici principes detecto capite,

Turcarũ processio.

 Chri-

Christiano sanguine inuncto: agmen denique claudebant sex mille Janischari, loco armorum scuta super terram trahentes cum quodam Vezirio, qui asino insidens cucullum Christiano tinctum sanguine gestabat, & cum Janischaris Dei misericordiam, & prophetæ Mahometis sui auxilium lacrimabili voce Hala, hala bacha inclamabant. In mosquis verò suis & fanis ita stant semper immobiles, quasi in illo solo defixi, aut ibidem succrevisse videantur; nulla ibidem tussis, nullus screatus, nulla vox, nullus circumacti capitis, aut respicientis fit motus: nam Turcæ si vel digito scalpant caput, periisse sibi precationis fructum arbitrantur, ut refert *Busbequius, Cæsaris ad Portam Ottomannicam olim legatus epist.* 3.

Deprécatio.

Hisce itaque deprecationibus suis Turcæ confidentes, magno Belgradum numero confluunt, expeditionem temerè inchoaturi; Generalis autem Baro de Lôffelholtz mandato Cæsaris 15. Maji opportunum ad Savum fl. transitum Metrovvitzam ejectis Tûrcis, illud contra pacta protestantibus, occupat, quibus Lôffelholtzius reposuit, Metrovvitzam cum adjacentibus insulis juxta limitum dimensionem & conventionem Cæsari, adjudicatam, per conniventiam Turcis pro meliori commercii commoditate hactenus permissum, permittendam quoque deinceps, modò pax utrimque confirmaretur. Similiter Baro de Lancken cum aliquot mille peditibus munimentum & Savi insulam Ratzka sonantibus tympanis, & fistulis non sine Turcarum terrore capit. Interea circa ultimum Junii En-

Lôffel-holtz capit Metro-vvitzam

Lanckē Razka.

Eugenius Vienna cum multis belliducibus & tribunis, tormentis, & omnigeno bellico apparatu & impedimentis secundo Danubio venit Budam, inde 4. Julii tendit ad exercitum, quem mox illuc secuti Jaurino Heisterus, & Comorrâ Dux Brunschvvico-Beverensis: Antequam verò Eugenius discederet Viennâ (unde sine sufficiente bellico nervo nolebat abire) Cæsar illum Belgii constituit gubernatorem, amplissimam sanè dignitatem, quam primò Regum Hispaniæ exemplo Austriacæ cuidam Ducissæ conferre intendebat; sed majora illam Eugenii exigebant merita, & eximia tam bellica, quàm politica & œconomica prudentia; in cujus tamen absentia Marchio de Prie, intimus Cæsaris consiliarius, uti Plenipotentiarius illud interim moderaturus.

Eugenius vadit in Ungariã

Fit Belgii gubernator.

632. Declaratâ jam in Rom. Cæsarem hostilitate, diisque propitiatis supremus Turcarum Vezirius cum 2. Aprilis Constantinopolim misso Cæsareo cursore, & revocato Residente Fleischmanno venit Belgradum, ibidemque hos contra jus gentium aresto tenet, caventibus tamen Anglico & Batavo legatis (qui pacis mediatores sæpius, sed frustra intercesserant) ulteriori injuriâ non affecti, sed cum 40. spahorum, seu equitum millibus, 80. Janischarorum millibus, 30. Tartarorum, totidemque Arnautarum millibus, & aliis decem omnis generis millibus Belgradi collectis, aliquot legiones in Croatiam versus Castonowizam expedit, quæ multos pagos & circumquaque oppida tumultuariè disipiunt, septem incendunt, & plurimam hominum pecorum-

Turcæ Castanovvizam diripiunt.

corumque multitudinem in servitutem redigunt; & quia metuebant Belgradi obsidionem, validissimum illi diu noctuque robur adjiciunt. Tum reparato & perfecto 26. Julii ponte 27. die cum exercitu [in quo etiam Rebelles Ungari Berczenus, Forgatschius & Esterhasius, absque suo tamen milite degebant) Savum fl. transiens castra Semlinum inter & Wanokizum figit, inde 1. Augusti Salanckemenum, ubi anno 1691. à Badensi principe Turcæ internecivè cæsi, castra promovet, quæ 2. Augusti Carlovvitzium transfert, vallisque & carragine firmiter communita roborat; tum Petrovvardinum collatis scalis tumultuarié quatuor millibus aggressurus, oppidum primo Illoctum invadit, opprimit, diripit, pluresque cædit, & alios in servitutem abducit. Eugenius vero Futaci ultra Danubium necdum completo exercitu hostiles motus percipiens, copias aliquot adhuc Wolzovvarii ad Danubium consistentes in cornutam Petrovvardini munitionem immittit, & tormenta castrensia cum equestribus aliquot legionibus versus urbem Rascianam tam cis, quàm ultera danubium profutura jubet disponi: utque penitiùs Turcarum motus, vires & consilia recognosceret, Palffium Croatiæ Banum, & general campi Mareschallum spontè seipsum offerentem cum 1500. delectis equitibus & 400. Husaris seu Hungaris exploratorem 2. Augusti versus Carlovvicium emittit, ut eminentiorem ibidem locum occuparet: qui dum prope Capellam S. Mariæ de pace [ubi ultima pacis fœdera fuerant contracta] pervenit, ingentem hostium spectans

Et Illocum.

ctans multitudinem, sine mora duas adhuc equestres ab Eugenio petit & accipit legiones, Baireutensem dimacham, & Contrecourtensem loricatam, quas ad dictam capellam è dumetis & silvis quadraginta Spahorum millia erumpentia tanto licet furoris impetu Palffium su: quasi multitudiue oppressuri primi invadunt; sed tam generosá eos Palffius 4. horarum conflictu excepit fortitudine, ut duobus licet transfossis sibi equis (cui tertium General. Hauben equum turcicum, trajecto, à se primario balsâ subministravit & supposuit) & 400. suorum tum cæsis, tum vulneratis quinque hostium vexillis generosus in castra retulerit, amisso Comite Breuner generali campi propræfecto, qui trajecto suo equo prostratus, ab Ottomannis est captus.

Palffium speculatorem aggrediuntur.

Breunerus captus.

Eugenius expiscatis taliter hostium viribus & consiliis, exercitum 3. Augusti transito tumultuariè danubio in antiqua olim propè Petrovvardinum castra & sepimenta traducit, quæ anno 1694. Generalis Caprara, à Turcis quoque ibidem tunc circumdatus, extruxerat, majori ex parte destructa tunc & complanata, indefesso diu noctuque laborē reparata, foveis egestis, congestitiis utrobique aggeribus, & ericiis militaribus sunt restaurata. Eodem etiam die supremus rei tormentariæ præfectus Princeps Alexandex Würtenbergensis Segedino probè interea fortificato cum copiis venit in castra, ad quæ Vezirius 3. Augusti toto cum exercitu vespeti appropinquabat, dimidiâ solummodò hora ab eis distans, papilionēm suum in eminentioni statuit loco, castra verò circumquaque cingit car-

grediendus, formasset: tunc bellico convocato consilio proponit, an non potius expediret in patentem prodire campum, quàm tantâ hostium multitudine inclusum tormentis & pyrobolis turpiter impeti; quin tanta hostium multitudo se ipsam in confusionem facile adducens magnam spem tribuit victoriæ, cùm omnibus fermè bellis major semper exercitus succubuerit, & minor pervicerit.:.

Fidite, nam justi Comes est victoria belli.

Omnium igitur consensu pariter & consilio crastinus dies quinta Augusti decreta est certaminis, tantâ omnium belliducum, tribunorum & militum lætitiâ, desiderio & fervore, ut dici aut describi vix posset.

633. Dum interim Ottomanni indefesso labore ad Cæsareanorum sepimenta & castra propiùs adrepunt, prædicta die Princeps Alexander Würtenbergensis dextram decem agminum alam in hostem adeo generosè fortiterque educens, post cruentam utrimque velitationem, in fugam compellit, & ut Eugenius præceperat in eminentiori colliculo decem eorum bellica intercipit tormenta in hostem conversa, nec impigrè commilitonum suorum exemplo ala quoque sinistra Janizaros cædit, & agit in fugam; qui tamen animum & vires magno numero in fossis suis castrensibus recolligentes, in Christianos insanè irruunt; furiosè ad externa non solùm, sed interna etiam sepimenta & castra usque repellunt, pontes etiam occupare, & regressum impedire molientes, maximâque ordines confusione perrumpentes, non sine spe victoriæ obruunt & dissipant. Adest opportunè Eugenius qui

Eugenius cædit Turcas ad Petrovvaradinum.

qui dexteræ alæ equitatum submittens, finistræ alæ peditatum timidè dissipatum & contritum rursum erigit, congregat, fortiter animat, adeoque verbo & exemplo impellit, ut resumptis hostem animis & viribus non suis modò castris rursum ejecerint; sed carraginem eorum adorti in tantam adegerunt confusionem & fugam, ut relictis castris, omnibus impedimentis, 149. tormentis bellicis, 23. mortariis, 159. vexillis, 5. caudis equinis, incredibili apparatu bellico & commeatu, Christiano exercitui per hanc expeditionem sufficiente, & innumerabili boum & bubulorum numero, supra 30. Janizarorum potissimùm millia in acie cæsa sint (equitatu seu Spahis citius aufugientibus) præter eos, qui in fuga, Sylvis & Savo flumine sunt interempti. Supremus Vezirius amissæ victoriæ præmium metuens laqueum, desperatè inter medios hostes pugnans secundum tempora globo ictus cadit, Janizarorum Aga, Seraskierus, Mahomet, & Achmet Bassa Smitnensis, cum aliis novem bassis sunt trucidati, captivorum fuêre pauci, quia omnes internecivè cæsi sunt Cæsaris mandato. Cæsareanorum verò cæsi sunt 2108. læsi 2301. captum Breuneri corpus catenis illigatum, & crudeliter mactatum, adhuc calidum in Vezirii tentorio, & circum illud cæterorum legionis Palfficæ capita palis infixa inveniebantur. Armenus etiam miles Generali Steinvillo indusium præbuit, in quo lex turcica aureis impressa literis, cum duabus in utraque parte dimidiatis lunis, & prope circulus, in quo duplex transversim triangulus signabatur, totum sanguine ma-

madidum & globis trajectum: dicebatur à solo vel Vezirio, vel solo Janizarorum Aga in campo gestatum, & nulli alii permissum; quali etiam in liberatæ Viennæ obsidione 1683. inventum civilis Lipsiæ bibliotheca pro singulari conservat curiositate.

Vezirii indui ū cum lege turcica.

Devictis sic & fugatis gloriose Ottomannis, totus Christianus exercitus eorum castra ingressus diripit, & merita suæ fortitudinis spolia colligit, emissusque cum 1300. equitibus in hostium fugam generalis vigiliatum præfectus Comes ab Eck, ingenti terrore percitos, plurimos Savo absorptos, reliquos Belgradum tanta copia advolare reperit, ut nec omnes urbs capere posset, nec admittere vellet ejusdem præfectus Omir Ayech, quem in supremum conclamarunt quidem Vezirium, sed accisis Janizarorum viribus nil ultra tentare ausuri.

Varie cæsi.

634. Eodem quoque certaminis & victoriæ die supremus popularis in Transylvania militiæ Capitaneus Dettinus ad fines Wallachiæ Turcas profligavit: uti Comes Rabatte ad Parmam usque excurrens omnes internecive prostravit, equorum spoliis admodùm ditatus; Petraschius Perbienti ad Savum 14. vexillationes Baschlagi Bassæ contrivit, obtentis 2. Vexillis & tympanis, ac 3. pecorum millibus, liberatisque 2000. Christianis; qui Eugenium in Vezirii papilione prandentem miro affecerunt gaudio, & armipotenti Deo pro gloriosissima hac victoria Ambrosianum hymnum *Te Deum laudamus* intonavit. Videtis Mahumetis mancipia? petistis victoriam, & non accepistis, eo quòd malè contra

pacta, dolosè & perfidè periistis. Memineritis credo Amuratis vestri, qui cum Uladislao Rege Ungariæ decem annorum pacem & inducias inierat, quas uterque, hic coram S. Eucharistia, & Turca coram alcorano juramento firmaverat: sed Uladislaus temerario Juliani Cardinalis, aliorumque consilio & instinctu anno 1444. rupto fœdere inopinatè Amuratem bello ad Varnam aggreditur. Amurates oppressus primò & fugatus, promptis è sinu pacis juratæ tabellis in cœlum exclamavit: Christe si Deus es, ad te spectat te & me defendere, & vindicare eos, qui per nomen tuum jurati sunt. Mox etiam Uladislaò interempto victoriam Amurates obtinuit. *Bonfinius, & Raynaldus ad ann.* 1444.

Uladislaus perfidus cæsus.

Et vos ruptis perfidè pacis Carlovvicensis hoc in loco pactis victoriam sperare potuistis? etiam hosti fides promissa servanda est. *Can. Noli* 23. *q.* 1. Unde Germanus: Was Sultan hat am Fried zu Carlowitz gebrochen/das hat Eugenius zu Carlowitz gerochen. Hujus temerariæ violationis instigatores creduntur etiam fuisse rebelles in castris turcicis Hungari, Beretzenus, Lorgatsch, & Esterhasius &c, qui plenam & intimam regni ungarici habentes notitiam, pravis Vezirium consiliis ad invadendum Petrovvaradinum, fortissimum Ungariæ antemurale instigarunt, quo occupato ulteriorem facilè in regnum progressum non diffidebant: ad hoc enim tam immensum bellicum apparatum & commeatum contulerant, jamque Eugenio undique circumdato, & veluti sacco incluso, impugnatoque, dum nullus videbatur elabendi locus, victo-

Rebelles Ungari.

ctoriam jam in manibus habere videbantur; sed nemo pugnat acrius, quàm qui invitus ad pugnam pertrahitur *Sallust. in conjur. Catil.* Eugenius autem divino fretus auxilio & militari experientia noxia eorum dissipavit consilia, & tam exiguo suo exercitu Turcarum ducentorum millium exercitum vidit, vicit, triumphavit.

Felicissimâ certe hâc victoriâ dici vix potest quantum gavisa & admirata sit Europa universa; imprimis autem Italia, Venetiæ, Roma, in extremo periculo hostis potentissimi minas, per has sparsim provincias vulgatas, eorumque crudelitatem exhorrescentes, victoriosè nunc suppressas & feliciter contritas.

Clemens Pontifex quamprimùm ad aures suas hæc gloriosa simulque mirabilis victoria, in mirabili B. Mariæ ad nives die facta pervenit, cum toto Cardinalium collegio ad ejusdem Virginis ecclesiam Majorem ideo ædificatam processit, armipotenti Deo, & Christianorum auxiliatrici gratias acturus, simulque felices ulteriùs armorum Cæsareanorum contra Ottomannos progressus deprecaturus; tantoque gaudio Pontifex affectus est, ut cùm Cardinalis Schrottenbachius multis prælatis & Romanâ nobilitate inter continuos immensi populi congratulantis applausus comitatus, transmissa à Cæsare quatuor turcica vexilla, & prætoria signa equina publice prælata 31. Augusti ostenens, Clementi lacrymas elicuerit, qui in habito 2. Septemb. consistorio prævio encomio gloriosissimo Christianitatis assertori Duci Francis-

Eugenius donatur pileo & gladio benedicto.

co Eugenio gladium benedictum & pileum per nobilem Ratisponum, cum particula S. Crucis Christi auro inclusa, & aliis benedictis argenteis medaliis, ceteris belli heroibus communicandis in signum gratitudinis, fortitudinis & æviternæ gloriæ transmisit; easque in reditu Temesvvario Viennam in itinere Jaurini die 6. Novembris cum totius urbis, & militum in armis applausu accepit: cujus honoris quodammodo participem esse voluit campi Mareschallum Comitem Sibertum Heisterum Jaurini præfectum, omnium belliducum seniorem, qui hostium terror, ætate licet grandævus, Petrovvardinensi tamen prælio, & Temesvariensi obsidioni & dux & miles præsens hunc meruit honorem, & ab Eugenio existimationis affectum; qui gratulatoriis Pontificis literis mutuas gratiarum rescripsit actiones. Sic nempe gloriosissimis fidei catholicæ assertoribus & defensoribus primùm ab Urbano I. anno 1378. deinde à subsequentibus aliis pontificibus ad nostra usque tempora à Paulo V. Innocentio X. Clemente X. Innocentio XI. & Alexandro VIII. Duci Veneto Mauroceno factitatum fuit. Die 13. eandem gratiarum actionem Card. Schrottenbachius solemnissime in nationali germanicâ ecclesia dell'Anima continuavit, quam postmeridie Clemens ipse suâ honoravit præsentiâ: decimâ quintâ autem septembris tam in Quirinali quàm aliis passim ecclesiis pro defunctis tum Petrovvardini, tum Corcyræ militibus has victorias suo sanguine ementibus institutæ sunt plurium sacrificiorum exequiæ. Imo apud Patres Carmelo Discalceatos

in

in templo B. Virginis de Victoria, ubi celebris imago Virginis ad Pragensem in monte albo victoriam asservatur & colitur, triduanæ eucharisticæ preces cum plenariis indulgentiis,& magno populi concursu sunt celebratæ.

Eugenius admirabili hac victoriâ ad majus Christianitatis & Cæsaris incrementum ulterius utendum ratus, Palffium cum parte equitatûs, & Alexandrum Würtenbergensem cum parte equitatûs ad obsidendum Temesvvarium, clavem Walachiæ, Moldaviæ, Transylvaniæ, & provinciarum, ad dexteram danubii adjacentium, & ad mare usque nigrum tutissimum accessum demittit, præsertim quòd exercitus ejus 42. agminibus tam peditum quam equitum ex provinciis hæreditariis, Belgio, Transylvania, Hungaria & Neapoli esset adauctus, de quo infra *num. seq.* Temesvvariū.

635. Genuensis Princeps seu Doge, publico mandato omnibus Barcinonensibus,& Hispano-Austriacis (exceptis Castilianis) arma gestare prohibuerat; deprehensus & damnatus Barcinonensis centurio, Cæsareum se militem excusans, ostenso syngrapho viatorio Cæsaream rogat respici majestatem; sed lacerato contemptim syngrapho traditus est custodiæ. Cæsar læsam justè vindicans majestatem, omnes quamprimùm capi jubet & senatu ejici senatores, centurionis condemnatores, dignitate privari, & Neapolim remitti, adque triremes damnari lorarios &c. sed republicâ immorigera dicente: Trenta ò quaranta scudi, r'accomoderemo l'affare: Cæsar Generalem Zumjungen & Luc- Genuènses à Cæsare puniuntur.

Luccinum cum 2800. militibus, & 6. tormentis bellicis in Genuense territorium, & civitatem Novi immittit, qui sub discretione viventes, quotidie ter mille ducatos exigentes consumebant; re tandem compositâ debuit respub. Genuensis non exiguam solùm mulctæ summam solvere; sed & permittere, ut salis maldrum, 46. modios continens, per Genuense territorium Mediolanum &c. devectum, unum tantummodò imperialem pro vectigali posthac numeraret, quod antehac multò carius debebat persolvi. Illa est pœna peccati justissima, inquit *Augustinus lib. 3. de lib. arb.* ut amittat unusquisque illud, quo benè uti noluit, cùm sine ullâ difficultate posset, si vellet: id est, ut qui sciens rectè non facit, amittat scire quid rectum sit; & qui rectum facere cùm posset, noluit, amittat posse cùm velit. Ut nimirum pœna paucorum esset metus multorum. *L. 1. C. ad leg. Jul. repetund.* Ibidem Genuæ expiratis tribus regiminis laudabiliter defuncti annis Francisci Imperialis, eidem novus Doge, ut vocant, successit Joannes Antonius Justinianus, 27. Novembris infulatus: à qua repub. Cæsari Carolo hoc anno solutus est primus terminus 400000. Imperialium, pro vendita sibi 1200000. imperial. urbe, & marchionatu Finalo, ad mare Ligusticum, Savonam inter & Albengam in finibus Genuensibus sito, & optimo portu gaudente.

Justinianus Genuæ Doge.

Finale Genuensibus venditur.

5. Augusti 1716. Dusseldorpii solemnissimæ Electoris Palatini Joannis Wilhelmi 8. Junii defuncti & improlis exequiæ sunt celebratæ;

Carolus Palat. succedit fratri in Elector.

cujus

cujus vidua Anna Maria, Ducis Florentiæ filia inde Florentiam decessit, gubernatricem Sienensem actura: in electoratum successit frater Carolus gubernator Tyrolensis: qui Cæsaris-Insulam olim pro certa pecuniæ summa Coloniensi archiepiscopo hypothecatam, refusâ pecuniâ repetiit, dummodò cessas ab hinc adderet pensiones, hucusque non persolutas. Repetit Cæsaris-Insulam

636. Eugenius relicto Belgrado, quod copioso bellico apparatu, commeatu, & præsidio noverat abundanter communitum, toto cum exercitu 14. Augusti Petrovvaradino tendit Temesvvarium, sufficiente apparatu bellico præsidioque destitutum, cujus etiam præfectus, ejusdemque filius cum pleroque urbis præsidio in nupero prælio fuerunt interfecti, ideoque tumultuariè quantum potuerunt Turcæ ante Cæsareanorum accessum eidem providerunt: quorum decem millia Palffii in via copias infestantia, cæsis suorum aliquot sunt rejecta. Eugenium mox subsecutus est Heisterus cum pedidatu & re tormentaria, ita ut totus exercitus 26. Augusti urbem obsidione cinxerit, quam Eugenius pridie cum Palffio & duabus legionibus, Sabauda, & Würtenbergensi recognoverat. Temesvvarium urbs & arx celeberrima à fluvio Temesso, qui ex alpibus ad Severinum urbem haud procul ab Istro seu danubio sitis profluit, urbemque & arcem præterlabitur, nominata est, quam veteres Pannoniæ reges contra Bulgarorum, nondum Christiana religione imbutorum, qui à Pannoniæ finibus solo Istro dirimuntur, ac Cumanorum seu Cunorum, quos Temesvarii descriptio.

Poloni Poloucios, nos nunc Tartaros vocamus, crebriores incursus avertendos ædificaverant, ac postea invalescentibus Turcarum armis, ac ex illis ultrà Istrum regionibus, & utraque Valachia fines Ungariæ vastantibus, continuò militari præsidio muniverant. Habet duo contigua oppida, quorum alterum ab oriente Insula, seu Palancha vocatur; alterum verò septentrionale à fluvio Temesvarium dici solet: quæ quidem oppida simul cum arce fossa præalta aquis plena cinguntur; & majus oppidum tres habet portas, quarum duas propugnacula crassiora è terra materiaque jussu quondam Castaldi ab Hispanis constructa muniunt, & inter urbem arcemque turris aquaria egregiæ munitionis habetur. A meridie verò Uliciæ planicies, & campi patentes circumjacent, ut describit *Isthuanffius lib.* 18. *Hist. Hung. in princ.* ubi anno 1552. Turcis deditum, sed pactis crudeliter violatis occupatum, & hucusque detentum, nunc Eugenius magnanimiter summâ urbis consternatione invadit, & inprimis præfecti bassæ topiarium propè suburbium excultissimum occupat, unde mox Turcæ suburbium cum omni præsenti pabulo flammis consumpserunt.

Oppugnatio. Omnibus interim ad impugnandum acriter dispositis, inter primam & secundam mensis Septembris noctu castrensia valla adversus turrim Arrathensem propè suburbium seu Palanckam, foveâ aquariâ admodùm latâ & profundâ [solent communiter Ungari vastis eas quercubus humo interjectâ solidi roboris communire] cincta aperiuntur, & tormentorum suggestus eriguntur,

guntur, quam sex Janizarorum seu peditum, & duo spahorum seu equitum millia pertinaciter defendebant: & quamvis 9. Septemb. hæc palancka tam à dexteris quàm sinistris ab octava vespertina per totam omnino noctem usque ad alteram diem fuerit inflammata, alacres tamen præsidiarii, suam ut ostenderent vigilantiam, accensis facibus, ostensisque gladiis suis excursionem minabantur & exequebantur, sed tempestive sunt repulsi; die verò alterâ cùm nostri ad fossas castrenses duos erexissent suggestus tormentarios, & accessibus suis obsidionalibus vix sex passibus abessent palanckâ seu insula, ut vocat Isthuanffius, Insano Turcæ furore excurrentes, nostros cæde quinquaginta loco pellunt; mox tamen à legione dimacha Schonbornica rejecti sunt in palanckam.

637. Inter hæc variæ alibi intercessêre velitationes. 9. Septemb. Husarorum Capitaneus Theodorus Czuniz cum paucis 21. Husaris Petrovvardini præsidiariis ad oppidum Hunischa Turcarum pabulatores sub Aga nebulæ beneficio irruens cædit, ducentorum equorum & camelorum prædâ ditatus, quem dum alius Bassa in reditu multis cum copiis aggreditur, ipse cæsis 15. secum abductis captivis, dimissisq; equis fortiter generoseque se defendendo, Bassam aliosque 50. trucidat, & cum aliquot captivis & decem equis victor revertitur Petrovvardinum. Ignavia & timiditas animi è violentis casibus non eripiunt, nec quidquam de periculo turbatio detrahit; constantiæ fortitudo illud aut vincit, aut certè famosum efficit, ut verè dicit: *Saavedra*

Varia loca Christiani occupant.

vedra symb. pol. symb. 33. In Carlstadiensi generalatu tribunus Baro à Teuffenbach collectis tumultuarie bis mille vernaculis & limitaneis in Dalmatiæ hosticum excurrens, per capitaneum Bonazum oppidum Ostrochatz, & per subtribunum Hallerstein oppidum Perkovizam invadit, expilat, & incendit, perculsis terrore Turcis non prodeuntibus, 400. armenta, & 500. pecudum gregem feliciter abducit, postquam obvias campi fruges, fœnum & pabulum flammis consumpsisset.

Petraschii excursio.

Baro Max. Petraschius, in superiori Savi tractu tribunus varias emittens turmas, una versus Banjaluckam ultra montes ad cæduas silvas penetrat, quo Turcæ ex oppidis campi Livicensis omnes compulerant velut Christianos, indeque omnes in fugam agunt Ottomannos. Altera turma oppidum Leschram invadunt, diripiunt, incendunt, & aliquot centena mancipia christiana in libertatem vendicant.

Petraschius Derbentum occupat

Petraschius ipse in superiori Savi tractu Derbentum validam Bosniæ clavem, & frequentium turcicarum excursionum latibulum, bis mille peditibus & ducentis equitibus communitum invasurus, dum tria Turcarum millia tribus solùm Derbento abesse horis audisset, festinatione usus, angustum aditum Ukrin, dimidiâ Derbento horâ dissitum, Derbentenses Turcas præveniens præoccupat, quo hi frustrati, & terrore perculsi, simul cum sociis præsidiariis deserto oppido auffugiunt: quod quadrangulare munimentum non infimi erat roboris, & fovea alta crassis stipata quercubus, locoque sudium similibus quercubus communitum Petraschius totum

tum everti & funditùs exſcindi juſſit, nitrato pulvere & commeatu juſtæ quantitatis hinc aliò deportato. In inferiori Savi tractu præfectus in Razka tribunus Dillerus ab Kayſersburg non exigui roboris munitiones Parczkam, & limitaneum foveâ & vallaribus ſudibus probè communitum aditum Bellinam intercipit: Baro à Lôffelholtz Sclavoniæ præfectus per centurionem Vins Caſchnizam, Sabacium & Kupinivum, aliaque Sirmii loca inter Savum & Danubium occupat. In Croatia ſimiliter Comites Draskovvicius & Erdœdus, in Walachia Baro de Tinga varia capiunt loca: hunc Teſmanam uſque penetrantem omnes cum lætitia incolæ exceperunt, Cæſaris protectionem exorantes, & 18. vexillationes popularis ſuæ militiæ offerentes; ſed adveniente Buchereſtum Hoſpodoro Nicolao Mauro Cordato cum Baſſa & 1200. Turcis, mentem mutare ſunt coacti. Temeſvvarii 19. Septemb. dum ipſa jam etiam urbs muralibus indeſinenter quatitur tormentis & pyrobolis, Janizarorum Aga tranſmiſſo Visnizæ danubio cum triginta circiter millium Turco-Tartarorum exercitu Palffii caſtra, viginti ideò campeſtribus præmunita tormentis, 23. ſeptembr. irruens, inſano furore 500. Janizaris auro corruptis urbem fame laborantem tentavit irrumpere, ſed quadringentorum cæde fortiter rejicitur, & ultra Temeſum in fugam agitur.

Varia loca capiunt Cæſarei

638. Strenuè interim omnia ad decretoriam in palanckam præparantur impreſſionem, in 1. Octobris diem, Caroli Cæſaris natalem dilatam; quâ die poſtquam Eugenius pridie militariter

Temeſvvarii palancka occupatur.

riter sapienterque suum cunctis ordinem & assultum designasset, explosis circa horam octavam matutinam omnibus in palanckam tormentis & pyrobolis, Alexander Dux Würtenbergensis antesignanus heroicâ sane generositate foveas sex pontium subsidio, alii pube tenus per aquas valla transcendunt, aggerum & murorum ruinas irruentes, quas Alexandri maximè pyrobolarii difficulter poterant superare, ideo Macte germane miles, illis acclamabat, sequere me, ostendamus hic Germanorum fortitudinem æviternùm prædicabilem; sequimini fratres, hic vincendum aut moriendum: Deus justæ causæ adjutor noster erit: nec mora, hac voce animati, & principe præcedente perrumpunt strenuè, & Turcas desperatè per integram horam in vallis utrobique certantes ad sua depellunt sepimenta, inde succedente alio atque alio milite christiano turmatim ad urbem confugiunt, & à nostris ad portas usque persequuntur, qui deinde 50. vix ab urbe passibus stationem figunt, & terræ se infodiunt, Eugenio inter globorum & sphærarum nimbum inspectante & moderante: imo tertiò ex civitate Turcæ erumpentes multos nostrorum prostraverunt, & domos incenderunt, adeo ut Christianorum tam cæsorum quàm læsorum in solo hoc insultu fuerint 1942. Turcarum verò suprà duo millia, inter quos primogenitus Bassæ præfecti filius vulneratus, chirurgum ab Eugenio petit & impetrat, senos reciprocè generosos equos dono eidem remittens. Hunc insultum jam pridem ante octiduum Eugenius instituisset, nisi fovearum aquæ per lanas & saccos immissos altum

altum intumuissent. Captâ jam hac insulâ seu palanckâ, quæ magnitudine medietatem Viennæ attingit, igne tam à Turcis quàm Christianis devastatâ, mox admotis tormentis muralibus urbem ipsam continuò flagellant, *Bassâ* præfectò ob pyrobolorum & sphærarum multitudinem in crypta latitante, & per interceptas literas succursum instanter ob imminens urbis periculum, & Spahorum Janizarorumque discordias admodùm periculosas flagitante; quem etiam unâ & dimidiâ Temesvvario horâ duo Turcarum, & alter Tartarorum exercitus, sedulò & vigilanter, ubi commodè perrumpere possent, præparabant. Sed 13. die mensis Octobris urbem Eugenius 61. muralibus tormentis, viginti quatuor colubrinis, & centum duodecim varii generis sphærarum mortariis adeo arietavit, ut circa meridiem urbis præfectus Bassa Mehemed Aga Azebani Eduel albo vexillo exposito ultroneam obtulerit deditionem, his pactam conditionibus: ut sonantibus tubis & tympanis, volantibusque vexillis more militari cum suo præsidio præfectus, & volentibus incolis Belgradum liberè & securè deducerentur, relictis ibidem omnibus tormentis bellicis 136. bellico apparatu & commeatu. Judæi quidem Eugenio centum florenorum germanicorum millia offerebant, si illis sua 60. clausis vehiculis & curribus liberè & sine visitatione permitteretur educere, quod haudquaquam permissum; quia omnia ab exeuntibus Turcis pretiosa vili coëmerant pretio: Hanc Temesvvarii deditionem Eugenius per suum adjutantem Comitem de Wurmbrand

Urbis deditio.

brand Viennam Cæsari deferri curavit, qui summâ gratiarum actione armipotenti Deo in Ecclesia S. Stephani 18. Octobris hymnum Ambrosianum: *Te Deum laudamus* solemnissimè decantavit, cum omnium urbis campanarum compulsu, & civium jubilo Cæsarem felicitantium, quod Insula, seu palancka die Cæsaris natali, urbs verò Temesvvarium in ejus cesserint eo die potestatem, quo anno 1711. Genuæ in Imperatorem Romanum electus, eidem corona ab Electoribus per Ducem Palatinum Carolum primò est delata, & inde Francofurtum abiens ibidem est coronatus.

Temesvvarii robur.

639. Cæterum plures maturam urbis validissimæ deditionem, & militarem Ducis Eugenii prudentiam mirantur & deprædicant, dum necdum sufficiens & plena murorum patefacta esset ruina; duæ aut tres adhuc aquariæ satis latæ & altæ foveæ transeundæ; retro muros interni defensionis recessus, & usque ad arcem communicationis linea esset deducta: quæ arx tribus circum locis paludibus & stagnantibus aquis circumdata, & retro illam valida in mediis paludibus sita esset palancka, acerrimæ & longinquæ defensionis munimenta; Imo duobus adhuc Spahorum, & quatuor Janizarorum millibus esset communita, & nullibi nisi in uno tantùm latere accessibilis, paludibus & Beghæ fl. aquis latè circumquaque esset præcincta; quam, ut dixi, mutua præsidiariorum causavit simultas, & ab hominum memoria inaudita terræ siccitas. Metuebat autem præfectus urbis pœnam talionis, eò quòd anno 1552. Turcæ violatis fidei,

fidei, & promissæ securitatis pactis omne cum præfecto Stephano Lesontio præsidium, exceptis paucis internecivè mactaverint; sed Eugenius in verbis fidelis, non sanguine, sed gloriâ contentus, quòd urbem & 650. oppidorum Bannatum, annis 164. gravissimâ Ottomannicâ servitute oppressum, Hungariæ, ac imprimis Transylvaniæ propugnaculum, & Walachiæ accessum Carolo Cæsari & Hungariæ Regi gloriosissimè recuperaverit, crudelissimumque Sultani votum everterit, quo obtentâ contra Christianos feliciter victoriâ, omnia Christiana in Ottomannico imperio mancipia uno die victimas devoverat.

Bannatus quantus

Sultani votum.

Demum generalis equitum præfectus Comes Mercius, ut hujus bannatûs repagulum, seu antemurale ultra extenderet, & militum hibernacula magis dilataret, Pansovam 9. Novembris & 16. Vipalanckam deditione occupat: Orsovam autem haud exigui roboris oppidum, seu palanckam, montibus ferè inaccessis, foveis aquariis, aggeribus, quercubus & sepimentis probè munitam, & Danubii 250. solùm passibus ibidem lati aditum intercludens, quam ex adverso flumine etiam Orsova nova defendit, frustranee, ob curulium tormentorum defectum, & adversas aëris tempestates tentans, inque aliud dilatans commodius tempus, militem ad hyberna dimittit, Transylvaniæ Præfectus Comes Steinvillus cum suis legionibus Temesvvario reversus, aliquot in Moldaviam turmas emittens, Kasan, Bagdan, Finstrix, Tragonira, Susanitza, Koman, & Archirx, in Walachia oppidum

Varia loca Cæsarei occupãt.

pidum Niemsi, monasterium Sirai & Krimeni aditum intercipit: & 50. Husari ad urbem usque Bucherest excurrentes, ducentos obvios Tartaros imperterritè aggressi in fugam conjiciunt; illi vicissim in cujusdam Nobilis aula à mille Tartaris aulæ incendium meditantibus invasi, furiosâ perrumpunt audaciâ, septem tantummodo è suis amissis; Tartarorum verò cæsi centum octuaginta quinque. Similiter supramemoratus Petraschius mille peditum, & 250. equitum agmine superiorem Savi tractum rursus invadit, & validas arces Dobes, Minlom, Hodschack & Cohosno occupat, diripit & evertit: deinde robustæ arcis Doboi postulat deditionem, quæ sita ad fluvium Busnam in Servia orientem, & prope Arky Savo influentem, toti isti imperat tractui; hanc Turcæ sub conditione liberi & securi discelsûs offerentes excedunt, relictis pluribus æneis tormentis, 16. pulveris centenariis, 200. molis trusatilibus, & decem modiorum frumenti millibus, quæ omnia, quia comportari non poterant, cum arce & munimentis igne sunt consumpta & destructa. Turcæ hac spontaneâ Doboi deditione ita sunt consternati & furore perciti, ut ejusdem præfectum Bassam, quinque Agas, & duos Bolog-Bassas trucidaverint, & ob præstantiam loci arcem tumultuariè restauraverint.

Dettinus Bucherest & Mauro-Cordat. capit

640. Supremus insuper Rascianorum Capitaneus Stephanus Dettinus vernaculo suo milite ipsam Walachiæ vastam populosamque civitatem Bucherest, Hospodaris, seu Principis Walachiæ residentiam, cæsis 500. Turcis & Tar-

Tartaris feliciter occupat, ipſumque Principem Nicolaum Mauto - Cordatum, hominem ferum & tyrannum, celebris olim Mauro - Cordati filium, cum tota ſua familia, uxore, gynæceo, 4. filiis, & ultra 50. miniſtris captos Coronopolim primò, dein Hermanopolim Tranſylvaniæ, relictis ibidem ob equorum inopiam 17. tormentis bellicis, alioque apparatu, oblato ſed rejecto lytro conduxit. Qua felice audacique expeditione Dettinus ſingularem Cæſaris meruit gratiam, legionis præfecturam, & catenam auream cum Cæſaris imagine 5000. fl. pretioſam. Illud imprimis etiam notabile, ducatûs illius Bojaros, ſive Nobiles, ſine reſiſtentia Principem ſuum Nicolaum inde abduci permiſiſſe; ideoque Sultani iram metuentes, plures Bojari cum familiis ſuis in Tranſylvaniam cum cæſareo milite diverterunt; quia plures eorum ſuſpectos occiderat. Prædeceſſoris verò ſui Stephani Cantacuzeni Principis, Byzantii ſtrangulati (ut ſupra memini) uxor, à Britanno nauta clam inde pretio 7000. ſoldinorum in auro transvecta, 23. Septembris Meſſanam & Neapolim, inde Romam profecta, paternè à Pontifice excepta, Viennam abiit ad Cæſarem; quo etiam Eugenius impoſito urbi præfecto generale vigiliarum magiſtro Comite de Wallis, & cunctis Temeſvvarii prudenter diſpoſitis, triumphalibus coronatus palmis & lauris rediens, ſingulari Cæſaris benevolentiâ & gratulatione exceptus, ferales in aula à Libitina luctûs cupreſſos in pridie [4. Novembris] defuncti Principis Auſtriaci mortem expoſitas invenit, dolenter ab ambabus

Cantacuzeni uxor.

Mors Auſtriaci Principis.

Majestatibus deploratam; patienter tamen & magnanimiter cum Jobo dicentibus: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. cap.* 1. 21.

Moschi cæsis Suecis Finlandiam occupât

641. Moschi in Finlandia 7000. aucti copiis cum Suecis propè Travastehausium die 27. Octobris collisi ad internecionem fermè eos deleverunt, captis Suecorum tormentis, impedimentis, & signis totam subjugarunt Finlandiam, magna ubique transeuntes crudelitatis vestigia relinquentes, atque etiam in Borussia ab urbe Dantisco centum millia imperialium extorsecunt.

M. de Prie Belgii Gubern.

Decima Novembris Marchio de Prie cum suæ stirpis successoribus magno Hispaniæ Grandatu, ut vocant, decoratus, in Belgium decessit, vices Belgii gubernatoris loco Eugenii Sabaudiæ Ducis, cum plena potestate acturus; quemadmodum Maximilianus Carol. Princeps Löwvensteinius Wertheim Gubernator Mediolanensis à Cæsare auctoratus, 19. Decembr. Mediolanum ingressus, felicis & prudentis spe gubernationis cum gaudio & veneratione est exceptus. In cujus locum Ratisbonæ in principalem Cæsareum Commissariatum successit Augustus Christianus Cardinalis Saxo Zeitz Archiepiscopus Strigoniensis, & Primas Hungariæ &c. ubi legatus gallicus de Gorgi eundem dignitatis characterem, quem prædecessores sui Comites de Verne, Crequius, & Chamayus in comitiis habuerunt, exegit; sed cæteri abnuerunt legati, quòd prædecessoribus non jure debito, sed

Mediolan. Lövvenstein.

Saxo Card. Ratisbon. Commissarius.

sed connivendo talis tunc permissus sit dignitatis character.

Gallia in apostolica bulla *Unigenitus* admittenda adhuc admodùm difficilis, & sui sensûs pertinax, multos hactenus bullæ defensores Episcopos, metu Regentis Ducis Aurelianensis, & Cardinalis Noailli in alteram nunc partem adversarios traduxit, ideoque tria Apostolica Brevia, bullam hanc concernentia ad Regentem, regni Episcopos, & Collegium Sorbonicum à Pontifice transmissa, ne quidem lecta remiserunt, eaque admittere suspectus Aurelianensis omnibus & singulis prohibuit Episcopis. Ad indictam verò 20. Novembris Episcoporum synodum quia pauci convenerant, & inter Cardin. Rohanum, bullæ propugnatorem acerrimum. & Card. Noaillum gravis ob prærogativas intercedebat disceptatio, dilata est in annum sequentem synodus, seu congregatio, minatusque Pontifex Noaillo Cardinalatûs depositionem, nisi suam contra Bullam mutaret sententiã. Et tamen Noaillus Patribus Societ. Jesu munus in aula regia confessiones audiendi interdixit, eò quòd Card. Rohani jussu Pater la Ferre in festo Omnium Sanctorum coram Rege habuerit concionem, constitutusque regius imposterum Confessarius (contra Regis Ludovici XIV. Jesuitam jubentis testamentum) Abbas Fleury, exclusis omnibus imposterùm Jesuitis, apostolicæ fortassis bullæ defensoribus: qualem se semper etiam exhibuit Thomas Maria Cardinalis Ferrarius, ex ordine Dominicanorum, humilium natalium; sed doctrinâ & sapientiâ præstantissimus

Gallia Bullam *Unigenitus* nondum admittit.

mus, qui 20. Augusti summo Pontificis, & totius sacri collegii dolore defunctus est, quòd sperabatur bullæ *Unigenitus* controversiam cum gallico Abbate Chaveliero compositurus, qui hujus Cardinalis capacitatem suspiciens admirabatur.

Sicilia inquieta

In Sicilia gens inquieta, nimii impatiens tributi, & regi suo refractaria, sabaudicam quandoque militiam supprimens, meritam Regis sui extorsit offensionem, sub bonorum confiscationis, imo & mortis pœna seditionis motus prohibentis, & legitimam obedientiam imperantis; quo gens efferacior publicis scriptis regiminis statum exosa, facta est insolentior, novi proregis del Borgi prudentia, ut sperabat, moderanda, quemadmodùm paulò antè seditiosum Pedemontium Dux in causa neglectæ ibidem justitiæ & politiæ, capitationisque prorsus abolendæ benignè & prudenter composuit.

Poloni à Saxis cæsi.

Polonia suis adhuc æstuabat discordiis, concordiam sæpiùs tentans, continuo tamen aff- & refluxu inquieta, tandem 3. Novembris armistitium Regem inter & confœderatos est subscriptum: cùm paulò antè 4. Octobris Saxonum Generalis Bose cum 7. suis legionibus Regimentarii Gniadovvskii quindecim Polono-Lithuanorum millia propè Kovvelevvum acri utrimque conflictu internecive cæsa in fugam, captis tormentis & impedimentis turpiter conjecerit.

Leodiū redit ad circulū Westphal.

Episcopatus Leodiensis temerè aliquamdiu à Circulo Westphalico Imperii Rom abstractus, Josephi Clementis ibidem Episcopi approbatione non solùm ad illum reductus est; sed in Im-

Imperii Rom. matricula censum ad bellum turcicum contributurus. In fine denique Novembris, festo S. Andreæ anniversariam aurei velleris festivitatem Carolus VI. quintâ jam vice consuetis solemnissimè cæremoniis servavit.

Anniversaria aurei velleris.

Connubium Elisabethæ Parmensis cum Duce Andegavensi Rege Hispaniæ Philippo aulam turbavit Viennensem, res utique magnæ consequentiæ, quòd Parmensis familia masculo orbata hærede ducatus ille, & Placentinus in Elisabetham, ejusdemque utriusque sexûs hæredes devoluturi sint, nisi Antonius Farnesius successorem suscitaverit; quos tamen etiam stirpe deficiente sedes repetit Apostolica. Quæ Elisabetha jus quoque successionis in magnum Florentiæ Ducatum prætendit, hæredis etiam spe frustratum, ita ut Gordius hic nodus gladio dividendus videatur. Et quia hoc coñubium citra Cæsaris intentionem cum totius Italiæ discrimine contractum, Cæsar omnia Ducatûs Parmensis feuda tam in regno Neapolitano, quàm Placentino (utpote quæ in solos plerumque masculos transeunt) jussit occupari, in prædictum fortè Antonium Farnesium transferenda. Elisabetha autem Andegavensi copulata est 23. Decembr. Guadalaxaræ ab Indiæ patriarcha. Primo autem in aulam adventu Elisabetha vilioribus excepta ab Ursina Ducissa cæremoniis, immo correptionibus, adeo graviter tulit, ut Ursina tantæ in aula authoritatis & potentiæ, per prætorianum militem noctu extra regnum jussu Regis relegata fuerit. An non dum ascendimus, præcipitia comparamus?

Connubium Parmensis cum Philippo

Turcarum terror.

643. Tandem anno inclinante miles bona laboris sui suspirabat hybernalia, quæ Eugenius in vicina circum Temesvvarium oppida sensim occupanda distribuere meditatus; quia Turcarum exercitus viginti Tartarorum millibus auctus impendere dicebatur, qui tamen ob nimiam illis incussam consternationem & terrorem vix timebatur: quin & Cæsareus Residens Fleischmannus à Turcis adhuc Belgradi detentus clam literis adeo trepidum eorum significavit pavorem, ut præter cæsum in prælio Vezirium sex alios Bassas belli expeditionem in Rom. Cæsarem urgentes coactus fuerit Sultanus strangulari, Fleischmannus autem difficulter, jure tamen gentium mediatoribus Angliæ & Bavariæ Legatis Belgrado ad Cæsarem remissus, magnifico splendore 9. die Decembris Viennam ingressus, benignam Cæsaris impetravit audientiam, simul & aulico-militaris consiliarius renuntiatus, qui sine omni dubitatione referebat, Sultanum nec habuisse, nec adhuc habere pacis aut armistitii cogitationes; nec Angliæ & Hollandiæ legatorum mediationem voluisse admittere. Quare ad maturiorem anni sequentis expeditionem quadraginta stipendiariorum millia iterum auctorabantur, soli tantùm Germani, non Itali, Galli, Sueci, Alsatæ &c. viginti enim millia hujus anni expeditio tum cæde, tum morbis ex aquæ sitim caloris excessivam relevantis defectu miserè consumpsit, & novem in nervi bellici impensis abligurivit milliones; ideoque triennales ad hoc turcicum bellum à Pontifice permissæ indictæque per Italiam &c. decimæ eccle-

Fleischmannus Viennã redit.

Maturatur expeditio anni sequentis.

ecclesiasticæ continuabantur, & nulli præterquam Cardinales & Equites Melitenses inde excusabantur. Navalis præterea classis Danubialis auctore Eugenio est extructa flumini magis accommodata, & huic quàm præcedentibus expeditionibus utilior. Ædificabantur nempe naves ad modum Danicarum prope Insulam Rugiam usitatæ, atque Prame dictæ, quarum longitudo 133. pedes, latitudo 28. profunditas 20. pedes; quælibet plenè onerata septem in aquis subsidebat pedes; in cujus inferiori constrato seu tabulato quodlibet latus 12. utrimq; 24. bellicis muniebatur tormentis, in superiori autem constrato quodlibet latus 11. utrimq; 22. tormentis, quorum quodlibet octolibrem globum ejaculabatur. Eorum jam modò novem evocatus Hamburgo celebris naupegus Fockgersen sedulâ diligentiâ & arte confecerat, & Episcopus Viennensis 14. Octobr. navem prætoriam S. Maria nominatam magnâ publicè solemnitate (uti & alias priùs, scil. S. Carolus Borromæus, S. Franciscus, S. Joseph, S. Elisabeth, S. Stephanus, S. Leopoldus, S. Eugenius, S. Joannes Capistranus, S. Theresia indigitatas) adstante clero & nobilitate, inter sonantes tubas, aliaque musica instrumenta benedixit. Quælibet ejusmodi navis suam admirabilis velocitatis, adverso etiam flumine, habebat dromadem seu celocem, præter innumeras, onerarias, frumentarias, & ad pontes sublicios conficiendos aptissimas, ipsis adeo Turcis terrificas. Hac Danubiali quasi maritimâ quâdam classe Cæsar tantùm delectabatur, ut sæpiùs eam mirè

Classis Danubialis.

recreatus conscendens, Vice-Admiralem Anderson, pontium præfectum Joan. Paulum Gezar, cæterosque ejusdem officiales singulari prosecutus sit favore. Nec mirum esse debet, quòd Danubius militares ejusmodi naves possit sub- & transportare, quia ad certam septem pedum tantummodò immersionem artificiose sunt secundùm solidiorem aquæ danubialis naturam ædificatæ: quia post Nilum Africæ omnium fluminum est maximus & profundissimus, simulque velocissimus; cujus præcipuus ortus in Sueviæ oppido Donau-Eschingen (unde nomen sortitur) sub arce Furstenbergica, inferius circum quercubus, superius vero 16. pedum muro circumcingitur, qui inde paulatim crescens Ulmæ Ilardo & Blau fl. maritatus primùm fit navigabilis, & postea Sueviam, Bavariam, Austriam, Ungariam, Serviam, Bulgariam, Walachiam & Moldaviam percurrens, sexaginta auctus fluminibus, plurimùm navigabilibus, tandem in pontem Euxinum, seu mare nigrum septem ostiis copiosissimè devolvitur.

Danubii descriptio.

Annus 1717.

644. Inchoante anno 1717. utraque pars belligerans omni se studio & ardore ad sequentem præparabat expeditionem, eoque Romanus Cæsar ferventius, quòd Eugenius in campum nolit cum exercitu prodire, nisi omnia quoad nervum bellicum, commeatum &c. absolute essent prius expedita, ideoque omnes Austriacæ provinciæ, & Neapolis, Mediolanum, & Belgium simul in ære tredecim milliones contri-

tribuebant; Imperii præterea status in Germania, & decimæ pro hoc turcico bello ecclesiasticæ non exiguam addebant summam, & Genuensis respublica pro illata nuper Cæsareo capitaneo injuria loco mulctæ quadringenta imperialium millia persolvere, ac septem militares naves ad Toscanos Hetruriæ fines pro Cæsare conservandos ac defendendos mittere debebant, adeoque omnis gens Judaica per omnes Cæsaris hæreditarias provincias quingenta florenorum millia numerare cogebatur; deinde famosus ille Judæus Oppenheimer omnia granaria Budæ, Neosolii, Essecki, Petrovvardini, Temesvarii Segedini, aliisque limitaneis locis inde fesso studio & labore frumentis complebat, ne ullibi deesset annona: parabanturque artificiosè molæ trusatiles, seu manuariæ pondere solum ducentenariæ, quarum una 24. horarum spatio tantum farinæ conficiebat, quantum pro 1200. panis portionibus pinsendis sufficiebat. His annonariis domibus Turcæ admodùm per frequentes suos incendiarios sub vario ementito habitu, & constituto commissario emissos insidiabantur, & Dendæ unam in cineres redegerant; sed Esseci, Segedini & alibi deprehensi meritas dedêre pœnas. Universale insuper Viennæ bellicum tribunorum & bellliducum convocatur consilium, quorsum hoc anno Bellonæ expeditio foret suscipienda: & quia obtento jam Petrovvardino & Temesvvario patefactus jam esset in Walachiam & Moldaviam aditus, Belgradum ultimum Hungariæ repagulum, regno & Christianæ reipublicæ necessarium omnes in-

tendebant, quod priori anno Mercius occupatis circumquaque accessibus quodammodo incluserat, nunc ex quondam Ludovici Badensis consilio decretoriâ Turcas pugnâ prius provocandos, cujus frustratu Belgradum eminus ad Savi ostium militaribus cingendum navibus, & aliâ classis parte infra urbem, totiusque exercitûs castra prope Nissam figendo urbem taliter includerent, & contributiones quantum fieri posset extenderentur, & Mercius interim Orsovam post Belgradum primarium & validius oppidum terrâ & aquâ, vi & igne oppugnaret: Eugenius tamen formali urbem obsidione cingendam ex exploratoris relatione existimabat, ut postmodùm videbimus. Nec minus desides erant Ottomanni, cruentam prioris anni stragem insano vindicaturi furore: & quamvis plures eos armistitium petituros crederent, & legatus Britannicus Worlejus Montagne jussu Regis sui mediatorem se offerret, Sultanus eum repudians Batavico legato Colgero respondit, non pacem, sed bellum & arma in vindictam & ablatorum restitutionem se acuere. Multi etiam in divano turcico pacem cum Mustio suadebant, major tamen pars prævalens bellum persuasit, electusque in secundo Decembris divano in supremum Vezirium Numa Bassa Kiuperlus, cujus generosa antecessorum stirps bello famosa, ipseque non avarus aut crudelis, sed militari scientia apprimè præditus, quamprimum limitaneis urbibus, ac imprimis Belgrado 40. millium præsidium sub Seraskiero, Janizarorum Aga & aliquot Bassis imponit, fortificationes die nocteque

Turcarũ ad bellũ præparatio.

que reficit, commeatu apparatuque bellico copiosissime communit, Rascianorum suburbium novis aggeribus & sepimentis firmat, urbis portum navibus, danubianas insulas tormentis & munimentis roborat, Danubii ripam à Belgrado Orsovam usque militum stationibus, hancque copiosiore apparatu bellico, commeatu & præsidio fortificat, ex universo turcico imperio ingentem militum numerum convocat, & 5. seniores bassas, hujus belli tædiosos, strangulari jubet, eorumque thesauros opulentos in nervum bellicum adhibendos fisco addicit. Sed nulla est intolerabilior contumelia, quam quæ pro benefactis, & meritis laboribus rependitur.

645. Fervente itaque utrobique etiam brumæ tempore marte observant se invicem partes vigilantissimè: in Bannatu Temesvariensi Baro de Neuberg Vipalanckæ præfectus annonariis invigilabat navibus Belgradum, & adsitam in monte arcem Ram tendentibus, omnemque illis intercludebat aditum; interceptis enim decem navibus duas fundo immergens turcicam dissipat stationem, 90. equis & centum pecoribus ditatus: Belgradi præfectus vindictam meditatus aliquot naves vino onustas Danubio Pansovam dimittit vili pretio præsidiariis ibidem vendendo, quo inebriati & defensioni minus apti oppidum spetabat se facile obtenturum; sed Germani vino assueti Turcas nocte adventantes multò generosius excipiunt, fortiterq; repellunt; ideoque Mercius Vipalanckæ & Pansovæ præsidia octingentis militibus auxit. Hoc Stratagemate ad danubium fallente, alia Belgrado copio-

piosior ad Savum emissa turma Capitaneum Monasterlum opprimit, qui licet se cum suis fortitudine incredibili defenderit, & 14. sua manu Turcas prostraverit, multitudini tamen impar, & multis demùm vulneribus saucius occubuit; accedentes interim plures Cæsareani Turcas in fugam conjiciunt. Et quia Orsovæ adhuc occupatio liberum Turcis præbebat transitum, aliquot millenis versus Petrovardinum & infra Carlovvicium in Aprili excurrentes, regionem istam adeo diligenter recognoscunt, ut vigilantissimus Lôffelholtzius tria suorum præsidiariorum agmina, & dimacharum legionem in subsidii augmentum submiserit Illoco: non tantùm ad hujus loci conservationem, & motus Turcarum observandos, sed etiam pontis navalis danubio instrati defensionem; nam rerum vigilantia custos; initio tamen Maji capellam Pacis Carlovvicii (pax ubi ultimò ad certum tempus, sed necdum completum inita & subscripta) flammis subjecerunt, quas tamen ex parte Petrovvardinenses præsidiarii extinxerunt, eosque depulerunt. Mercius præterea 18. Aprilis Baronem Petraschum Petrovvardino cum classe annonaria ad complendum Pansovæ granarium pro instante Belgradi obsidione per danubium ad ostium Tibisci, inde per paludes Pansovam præmittit, quem Essecko præfectus Schvvendeman cum militaribus navibus sequebatur: vix Petraschius Tibisci ostiũ attigerat, ecce tibi turcica classis & multitudine,& magnitudine ingens illũ irruit, 19. naves Cæsareas partim occupat, partim aquis immergit, in unam incidens pyrobolus orcam

Lôffelholtz.

orcam pulveris nitrati incendit, & succenturionem ballistariumque in aerem vibrat, Petrascho in aliam subitò exscandente, sed à Turcis capto, qui quia Rasciana & Turcicâ loquebatur linguâ, tanquam Raschianus capitaneus honestè est habitus: quo infausto casu audito, centurio cum aliis navibus & duodecim mille farinæ centenariis, tredecimque mille avenæ modiis Petrovardinum, unde digressus, reversus est; accedente verò Essecko cum 4. militaribus, & aliis navibus Schvvendemanno, & aliis à Mercio ad ostium Tibisci submissis navibus Turcas ibidem observantibus, annonam feliciter Pansovam transportarunt: hæc multiplicata Cæsarea classis talem Ottomannis incussit terrorem, ut reductis suis è Savo navibus, paulo pòst copiosiore rursus classe, & quater mille classiariis, equitibusque ad litus ter mille quingentis Cæsareos invaserint, sed tormentis bellicis adeo sunt repulsi, ut demersis undecim eorum navibus Belgradum properè effugerint: inde ferociores 13. Maji validiore classe & gravioribus tormentis alteram Cæsaream cassem annonariam, præcedente multò copiosiorem aggredi molientes, quamprimùm id in castris Futaci Alexander Würtenburgensis inaudierat, sine mora ipse cum 18. dimacharum agminibus, 14. phalangibus, & totidem pyrobolariorum vexillationibus eo progressus, in itinere audit Turcas timoris alis Belgradum ad ejus adventum revolasse, & annonariam classem Tibisco usque Bezkeret ad granarium feliciter detulisse.

646. Convenientibus anni principio Parisiis in

in aula regia coram Regente Duce Aurelianensi episcopis, ad decidendam apostolicam Constitutionis *Unigenitus* controversiam, acrior intercessit discordia, inter ceteros quatuor præcipuè episcopi Mirapicensis, Senonensis, Monspessulanus & Bulognensis constitutionem rejicientes, ad proximum appellarunt concilium, eamque appellationem per expressum Durand nomine Romam missum, publicè ibidem ad Detariam, campum Flori, &c. affixerunt, datâ ei mercede 7500. lib. gall. & pro itineris expensis bis mille imperial. Cui etiam appellationi consensit non solùm theologica Sorbonæ facultas; sed plures etiam alii episcopi, collegia ecclesiastica, aliique religiosi, antehac constitutionem admittentes, tunc retractaverunt; ita ut 94. vota contra 12. illam appellationem approbaverint, scriptamque prædicti 4. episcopi per notarium Thouvenot Nuntio ibidem Apostolico 5. Martii insinuare sunt ausi: quo gravissimè ille offensus apud Regentem D. Aurelianensem, insinuationis inscium, effecit, ut episcopi ad suas remitterentur diœceses, notarius incarceraretur, & facultatis Syndicus Ravecher in exilium Britanniam minorem relegatus, Redonæ sit mortuus. Romæ autem Pontifex eorum, qui prius dictam constitutionem admiserant, & postmodùm rejecerant, retractationes publicè in area della Minerva tanquam hæreticas 20. Aprilis per carnificem comburi jussit. Noailles quidem appellationi tunc non consensit, sed admissis Quesnelli 25. propositionibus irreprehensibilibus, ut ajebat, ceteras 76. supprimendas, & li-

Gallia de Constit. *Unigenitus* adhuc disceptat.

tem ſic dirimendam proponebat. Verùm Cardinales Rohanus & Biſſius hanc compoſitionem Romæ non admittendam, & ipſi rejiciebant; urgebantque nationali concilio, præſide legato pontificio litem fore dirimendam. At renuit Gallorum pertinacia. Luſitanorum verò univerſitas Conimbricenſis 4. Martii ſolemniter cum aliis univerſitatibus hanc conſtitutionem apoſtolicam non ſolùm admiſit & approbavit; ſed contra quoſcunque oppugnatores eam parata eſt defendere. Quare Regens Aurelianenſis controverſiæ finem deſiderans, Ducem Fevilladam legatum Romam mittere conſtituit, pacem & tranquillitatem Galliæ, quantum ullo modo fieri poteſt, conciliaturus.

Nec levis etiam hoc tempore inter legitimos & illegitimos regii ſanguinis filios, Galliæ principes Bourbonios orta eſt diſcordia: nam Ludovicus XIV. anno 1714. menſe Julio publico edicto voluit & mandavit, ut deficientibus omninò filiis ſuis legitimis, eorumque deſcendentibus, in regnum & coronam gallicam ſuccederent illegitimi ejuſdem filii Ludovicus Auguſtus Dux Noviodunenſis, & Ludovicus Alexander Comes Tholoſanus à rege legitimati, eorumque deſcendentes ſecundum ordinem primogenituræ; eandemque dignitatem & locum in parlamento obtinerent: ſed mortuo vix Ludovico XIV. hæc, & plura alia ſecundùm pragmaticas regni leges à parlamento contra regis teſtamentum immutata ſunt, & omnino denegata. Lis inter Bourbonios regie filios.

Siciliam pontifex ob læſam eccleſiaſticam immunitatem, & repetita monitoria contempta inter-

terdicto ecclesiastico subjecit, vi cujus religiosi ordines solemnem regiæ coronationis natalem cum populo celebrare renuentes, regno proscripti Romam profugerunt, unde mense Aprili 50. Patres Capucini, & in Junio 52. Patres Societatis Jesu eliminati, à pontifice alimentari debuerunt. Februarii 24. Eques S. Georgii, sive Prætendens Angliæ Rex Jacobus III. paterno throno ob fidem Catholicam orbatus, per Angliam, Galliam, Hispaniam, Italiam, Lotharingiam, profugus, Turino Romam contendit, Clementis XI. pontificis beneficâ liberalitate meritò excipiendus. Quam fidem alter pontifex S. Gregorius anno 597. hoc modo Angliæ invexisse refert *Beda lib. 2. hist. cap. 1.* Dum pueros venustos Romæ venum expositos vidisset, quos Anglos diceret mercator, respondit Angelis vicini specie sicut & nomine. Cùmque è provincia Northumbriæ accepisset oriundos esse, quæ Deira dicitur, appositè, inquit, quoniam de ira Dei eruendi sunt. Sed per Regem Henricum VIII. anno 1535. Regno fides catholica expulsa divinitùs videtur armata vindictam hactenus sumpsisse, non solùm Lutheranorum &c. inter se dissidiis infinitis, sed famosa præsertim illâ Regis Angliæ truncatione, quæ annò 1649. contigit, ut in Carolo I. Stuarto successore apostasiam propriis Anglorum manibus puniret. Idem Pontifex Gibertum Borromæum apostolicæ Cameræ præsidem, & patriarcham Antiochenum 15. Martii in Cardinalatûs dignitatem evexit: uti & in Julio Hispanum abbatem Alberonem eâdem cardinalatûs eminentiâ decoravit, Hispanici & Tur-

Borromæus & Alberon Cardinales fiunt.

Turcici, & ajunt, contra Cæsarem bellici, ac intentatæ Galliæ Regi, vel ejusdem Regenti Duci Aurelianensi necis aut rebellionis auctorem; ideo biennio circiter pòst Hispaniâ proscriptus Genuam fugiens, jussu pontificis ibidem detentus, inde sive reipublicæ permissu, sive incuriâ & dolo elapsus in Helvetiam, quæsivit effugium, Gallo, Hispano & Britanno repetentibus ejusdem personam pontifici extradendam, cujus causa in habita Romæ quinque Cardinalium & fiscalis congregatione examinata, ejus processus brevi creditur proditurus,(ann.1722.necdum finitus)prædictis regibus interim à Genuensi republica satisfactionem ejusdem fugæ exigentibus.

647. Non segenes hoc anno desidebant Veneti; tribunus namq; Rossius intellecto Raviceæ, ad fines Ragusæ, præsidium diminutum, collectis subitò duobus Morlacensium aliorumque militum millibus validum aggressus oppidum, deditione sub discretione cum 12. tormentis, multo apparatu & commeatu capit, aliaque loca, interdictâ Ragusæ communicatione, occupans, triginta milliarium territorium Venetæ reipub. subjicit, quæ,& plura tempestivè oppida Scaplium, Vidum, Butrintum, & S.Mauram imprimis fortiori firmat robore, utpote Venetorum propugnaculum, à Waldeckensi milite Turcis prodendum; conspiratione tempestivè detectâ, duodecim Turcarum millia in opem accita, relictâ S. Maurâ vias suas relegerunt: at paulo post 6. Apr. Bassa Schwenicensis quinque peditum millibus & octingentis equitibus quino rursus impetu ferociter adeo aggreditur, ut plura modò vexilla

Veneti plura loca occupant.

Turcæ à S. Maura rejiciuntur.

vexilla vallis gloriosè infixerint; Antonius autem Lauredanus factâ generosè excursione eos repellit, & bassâ tormenti globo prostrato omnes timore pavidi ad montes refugiunt.

Cur Venetæ classis tardior expeditio.

Maritima hoc anno tardior fuit expeditio, multò fortè ex Schulenbergi conceptu felicior, nisi auxiliares Hispanorum, Genuensium & Neapolitanorum naves præter spem emansisset: Neapolitanos excusabant proditoria Hydrunti consilia, cautè observanda: Genuenses multiplex bellicus Ducis Sabaudiæ apparatus, in se fortè convertendus, terrebat: Hispani suam, sed fictam, causabant moram tum ob suam cum pontifice, abbati Alberoni cardinalatûs bullam seu Breve differente, discordiam; tum quòd navium suarum imperium nulli alteri vellent committere; utrumque elidebat inopinata Sardiniæ invasio, Cæsaris pro Christianitate Turcas oppugnantis progressus, plurium judicio, pessimè retardans.

Veneti Montenegrinos, Cuzziosque populos sub turcico hactenus jugo gementes in belli societatem & protectionem eâ conditione assumunt, ut copiis illuc missis commeatum providerent: cujus rei Turcæ facti certiores, sex millibus Montenegrinos aggredi tentant; hi omnibus aditibus probè oppessulatis fortiter illos rejecerunt, cæsis eorum 600. captis 200. mille equis, multis armis & commeatu ditati. Veneta autem 27. navium classis 13. Maji prope Imbro cum turcica 42. navium classe in seram usque noctem collisa in fugam turcicam conjecit; 16. & 21. ejusdem mensis iterato acriùs

Veneti turcicâ classem vincunt.

con-

conflictu certantes devicta rursus turcica turpiter fugiens victoriæ palmam Venetis detulit gloriosiorem, in hoc solùm infelicior, quòd architalassum suum Ludovicum Flanginum cum 444. militibus & 26. bellicis officialibus cæsis amiserit, læsi vero 800. quos inter 12. capitanei; Turcarum autem stragem copiosiorem indicat iterata eorum fuga: quamvis alii majorem Venetorum quàm Turcarum fuisse stragem asserant: illud indubitatum, Venetorum classem tempestate afflictam, multa tolerasse. Majorem hanc classem post conflictum inter capo Mattapan, & capo St. Angelo considentem accessit postmodùm Generalis capitaneus Pisanus cum auxiliariis pontificiis, Lusitanis, Florentinis & Melitensibus navibus Corcyræ minori Venetæ classi conjunctis.

2. Maji Oenoponti hæreditarius princeps Palatinus Sultzbacensis sibi despondit Elisabetham Augustam, filiam Caroli Electoris Palatini, qui ex Tyrolensi regimine Neoburgum 23. Maji cum neosponsis advenit, suum in propriis provinciis electoratum deinceps gubernaturus. Cui Ordines Juliaco-Montenses in censum 600000. Imper. consenserunt: debueruntque iidem & clerus ecclesiasticus in matriculam, seu contributionem expeditionis Imp. Romani condescendere, à qua tunc populares opifices & rusticos liberos esse voluit. Sic Borussiæ rex Elector Brandeburgicus sui territorii bona feudalia voluit imposterùm censeri allodialia: & stipulationem, seu fidem dexterâ sancitam juramenti

Nuptiæ Sultzbacensis.

loco habendam, cui 3. Maji nascitur filius Ludovicus, Carolus.

Archiducissa Aust. nascitur.

648. 13. Maji Imperatrix peperit Carolo archiducissam Mariam Theresiam, magnâ solemnitate ab Episcopo Viennensi comite Kollonitschio, assistentibus multis prælatis infulatis est baptizata: ubi 3. Januarii quinque Walachorum Deputati cum episcopo græco de Biro principis sui Mauri Cordati, Sultanique jugo ac tyrannide admodùm oppressi fastidientes, Romani Cæsaris tutelam & protectionem precabantur: simulque privilegiorum ac religionis confirmationem, aliumque sibi dari Hospodarum seu principem Georgium Cantacuzenum, Tertoani Cantacuzi filium suppliciter rogabant, ut unitis cum Cæsare armis eo fortius contra capitalem hostem se defendere & pugnare possint: deinde ut secundùm antiquas & christianas patriæ leges & consuetudines, rejectis impiis turcicis, commodiùs & pacatius gens illa gubernari queat, & ut demum multæ patrio solo extorres familiæ reducantur, vicinæque harum exemplo Cæsaris potiùs amplaxentur protectionem; id quod Cantacuzena stirps semper ambivisse, & meruisse testati sunt prædecessores, ultra 50. annos Domui Austriacæ addicti, in Transylvania tunc commorantes, sollicitatique antehac eam ob rem Dux Lotharingiæ, March. Badensis, Imperatrix Eleonora, & ipse Cæsar Josephus benigne annuentes appromiserunt. Quod prædicti Walachiæ Status pro Georgio Cantacuzeno Tertoani filio, hôc idem Viennæ præsens vidua principis Stephani Cantacuzeni turcicâ barbarie

Walachi Cæsaris protectionem petunt.

barie nuper decollati filio suo expetebat; verùm aula Cæsarea magis inclinare videbatur Walachiam uti Transylvaniam per gubernatorem regere, qui pro rerum ac provinciæ statu, ad-vel removeri posset. Alii Walachiæ subjugationem ob montium, sylvarum, & paludum multitudinem, & frequentes Turcarum ex Chozin excursiones, aliaque incommoda & pericula dissuadebant: suadebant alii Walachiam Transylvaniæ & Bannatûs Temesvvariensis fore antemurale, quorum aliàs futurum foret excidium & ruinam ex continuis Tartarorum & Turcarum irruptionibus & vastationibus. Bona tandem spe, & expectatione felicis nunc instantis expeditionis in Belgradum erecti & confirmati, Walachi, episcopus præstante cruce, aliique aureis catenis munerati abierunt. Jussus interea Steinvillus varias ex Transylvania in Walachiam turmas emittere, prædictusque Dettinus relicta ex equorum inopia Buckerest septem tormenta bellica ænea, duo equina signa cum non exiguo bellico apparatu inde Coronopolim feliciter deduxit. Alia emissitia turma ultra danubium Nicopolim usque progressa, tres vastas turcicas naves aggressa decem minora tormenta capit, navibus Vulcano datis: mox occurrentes 80. currus annonarios diripiunt. Sic & capitaneus Ernau Moldaviam irrumpens, quatuor Turcicas centurias invadit, dissipat, & mactatis trecentis ipsam Hospadari residentiam Jasse, ejusdemque domum occupat, multosque Christianos captivos liberat, Hospodarum in montense proximum mo-

nasterium effugientem ipse insecutus, dum mille quingentos Turcas & Tartaros in via obvios agit in fugam, Hospodarus interim in monasterio per æra martia ex locis vicinis sex turcarum millia tumultuariè convocans Capitaneum irruunt, quo in principio cadente ceteri ad paludes & devia continuo pugnantes & dissipati, variè errantes demùm plures ad suos redierunt. Hospodarus hanc invasionem ulturus, aliquoties Transylvaniam cum gravissimis comminationibus invasit; sed cruentis semper rejectus est capitibus. Interea omnia Viennæ, & in Hungaria in vigorosam maturamque expeditionem præparantur; quibus omnibus tam quoad commeatum quàm apparatum bellicum & classem navalem expeditis [ne ullus in exercitu inveniretur defectus] Eugenio 15. Maji in Hungariam abituro, Cæsar ipsum Principem & exercitum suum alii ipso superiori belli legato unicè commendabat; Duci admiranti quis se superior ille esset legatus, aureum tradidit crucifixum pretiosissimum, cujus potestate & auxilio hostem speraret devincendum; magni enim est Deo commilitone pugnare: libentissimè illum Eugenius admittens, sine cujus consilio & auxilio se nihil acturum appromittens, suum vicissim Cæsari offert testamentum ultimum, quo ex asse hæredem scripsit Emanuelem Principem Sabaudum, si forte mortis telum subiturus; unde quidam malè, sed vanè ominabantur: imo plurimi magni nominis viri ac principes voluntarii ultra 50. insigni ejus militari scientia addiscenda illecti, illum 22. Maji castra Futaci ingressum sunt

Eugenius castra petit.

sub.

subsecuti. Numerabat autem hoc anno 1717. Cæsar universim in Imperio Romano, regnis & provinciis hæreditariis, Italia, Belgio tam campestres, quàm præsidiarios milites 162514. quis prædecessorum tot numeravit stipendiarios? & ut peritos semper machinatores bellicos, Pyrotechnites, ballistarios & libratores haberet expeditos, eorum Bruxellis instituit academiam geometricam & geodæticam, Marchione de Prie imprimis accurante, quorum excellentioribus ad æmulandum datus in præmium nummus aureus 125. imperialium, Cæsaris imagine insignitus, & inscriptus: Carolus VI. Rom. Imp. Dux Brab. Com. Flandriæ: TVtCa eXterMInato, Cæsare Donante: in altero latere signa victoriæ videntur, cum hac inscriptione: Cæsaris auspiciis florebunt Palladis arma, & infra: ACaDeMIa brVXeLLæ. quales nummos ann. 1716. post strictum per Generalem Wrangel examen obtinuerant Joannes Simon, & Paulus de Bugel: & hoc anno italicus quidam machinator immediate ante obsidionem, Belgradum clam Turcis ausus ingredi, accuratam ejusdem ichnographiam, totamque roboris & munitionum delineationem cum præsentissimo vitæ periculo, non absque tamen insigni præmio obtulit Eugenio.

Miles Cæsareus quantus

Cæsar academiam geometricam instituit.

Mons Vesuvius duobus circiter milliaribus Neapoli, & uno à mediterraneo dissitus horrendas in Junio sulphureas flammas, lapides, & cineres adeo evomuit copiosos, ut Neapolim & circumcirca ad aliquot milliaria agros cineribus oppleverit, frugesque omnino grandi incolarum

Vesuvius furit.

detrimento devastaverit, donec 13. Junii humillimâ institutâ ad montem processione sacrum D. Januarii caput sua praesentia furibundas ejus mirabiliter compescuit flammas; quemadmodum sacrum Agathae velum flammivomos Ætnae ardores Catanae in Sicilia urbis saepius illis objectum extinxit; sed 11. Januarii 1693. eandem miserabiliter urbem horrendo terrae motu devastavit, & evertit.

Eum S. Januarius continet.

In Transylvania captus nuper feliciter Nicolaus MauroCordatus jussu Caesareo honestè quidem habitus, sed cautè custoditus, ansam dedit saepius in Walachiam & Moldaviam excurrendi (quae unus olim erat Ducatus, divisus nunc in Walachiam majorem, seu Cisalpinam, & dicitur Moldavia: & in minorem, seu Transalpinam, quae Walachia dicitur) & latius subjugandi. Praedictus Dettinus urbeculam rursus ad danubium Thurn alii Tumerasch scribunt è regione Nicopolis, levi manu opprimens, caesis 100. Turcis, captisque urbis primariis domum frumentariam aliquot millium modiorum incendit, adeoque potior Walachiae pars Caesari subjecta est, cujus alter à Soldano substitutus princeps, seu Hospodar, Joannes Mauro Cordatus, prioris Nicolai frater, cum Transylvaniae praefecto Steinvillo contraxit, ut Belgrado necdum à Caesare occupato pro securitate & quiete territorii 83333. florenos contribueret; Turcaeècontra Walachiae districtum cis fluvium Alt, à Caesare modo possessum, neutiquam invaderent; hi tamen inhumano crudelitatis furore arcem Krasovam aggressi, sed rejecti

Dettinus Walachiam invadit.

Joann. Mauro Cordatus Walachiae princeps

jecti centum ejusmodi Walachos in turcicam abduxerunt servitutem, quorum quidem aliquos Dettinus eripuit; Tartarorum verò ope multa non solùm Walachorum Moldavorumque millia servitutis vinculis manciparunt, sed ferro, flammis, & latrociniis in vindictam Cæsaris, & abstractivum aliorum terrorem immaniter devastarunt.

649. Legiones interea Cæsareæ ex Transylvania Futacum ad castra generalia, & inchoandam expeditionem abeunt: Quocirca Mercius Temesvvarii præfectus prima castra ad oppidum Depte & fluvium Tamesim, Pansovam inter & Temesvvarium in magni emolumenti angulo metatus est, eaque validis aggeribus & sepimentis communit: ingens præterea ibidem erigit granarium, & annonariam domum, quæ fortuitò tamen flammis consumpta prope Versetz, Temesvvario 6. Orsavâ 11. Pansovâ 7. Vipalancâ 5. germanis milliaribus est translata. Ea autem indefesso roborat labore non solùm ad Transylvaniæ & Temesvvarii contra Tartarorum ex Walachia excursionum vastationes defensionem; sed etiam, ut suis hostem motibus falleret: idcirco complanatis viis varios Tibisco, Beghæ & Tamesi pontes insternit, naves militares & alias infra Donavvizum usque Pansovam dimittit, pontem communicationis Viloraverum paludibus propter viarum ambages instratum perficit: quâ prudenti dispositione, & tam militari quàm politico Bannatûs Temisvvariensis regimine apud omnes, ac imprimis aulam Cæsaream meruit laudem & commendationem, Mercii laus.

quòd præter militaria stipendia militi exactè soluta, duos fisco Cæsareo milliones, absque ullo provinciæ seu Bannatûs gravamine intulerit. Tum 2. Jun. jussu Eugenii motis Versetz castris decimâ ejusdem transit cum exercitu pontem Viloraverensem, per totum veris tempus elaboratum, & prope Titulium, Tibiscum, quod exigui quidem roboris, sed magni ob situationem momenti arx est in monte ad ostium Tibisci sita, aditum in Transylvaniam, & inferioris superiorisque Hungariæ præbens communicationem, quatuor & medio germanicis milliaribus Belgrado distat: inde ad alia castra Sigethi, non ad Dravum, sed ad paludes inter Beghame & Thamesim consistentia tendit, ubi secundo danubio militares etiam naves S. Leopoldus, S. Elisabeth, S. Joseph cum aliis infra Donavvitzum oppidum appulerant, imo Pansovam usque modò transierant; nihilominus tamen ad conservationem & defensionem navium S. Francisci, S. Stephani, & aliarum, generalis vigiliarum præfectus Diesbach cum militum agmine ad ostium fl. Donavvitz congestitium aggerem erexit, quem fluvium, Danubii brachium, 40. tantùm Orgyis latum, & paludes pertranseuntem, danubium tandem infra Belgradum influentem Mercius effecit hoc vere navigabilem, eò quòd Turcæ supra danubii transitum milite, & in insulis occluserant sepimentis. Totus demum Cæsareus exercitus conjunctus 13. Jun. Tamesim transiens Oppavæ consistit, ubi pontones modò magno numero, & Mercii milite defensi morabantur; die verò alterâ unâ & dimidiâ horâ supra

pra Panſovam omnia ad danubii tranſitum prope oppidum Wüatſch præparabantur ; nam quia Cæſareus exercitus priori anno Savi beneficio Serviam invaſerat, Turcæ nunc Savi litora copioſo ubique milite, loricis, & aggeribus adeò firmiter obſepſerant, ut difficillimus & periculoſus daretur tranſitus, ideoque danubium minùs obſeptum tranſire fuit neceſſe. Primo igitur per pontones tranſitu 14. Jun. ſummo mane Mercius ſub uno tribuno & vigiliarum propræfecto 7. pyrobolariorum vexillationes, tum ſub generali vigiliarum præfecto, uno protribuno , & vigiliarum propræfecto 10. pyrobolariorum centurias, demum ſub uno vigiliarum propræfecto 7. pyrobolariorum cohortes & 6. campeſtria tormenta transfretabat, qui ubi alteram danubii ripam penè attigerant, volantibus vexillis, ſonantibus tubis & tympanis in litus ſine ullo impedimento exſcenderunt feliciter, invigilantibus interim ad litora cum bellicis tormentis Panſovam uſque quatuor dimacharum legionibus. Hoc inſperato danubii tranſitu Ottomanni tanto perculſi ſunt terrore, ut ad montes Belgrado adjacentes turmàtim fugiendo convolârint; utque noſtri ſecurius continuarent transfretationem, omnes Belgradum tendentes vias cervis & ericiis militaribus probè occluſerunt. Secundam deinde trajectionem eodem modo & velocitate Comes Heiſter , Princeps Alexander Würtenbergenſis , & Comes Regal continuarunt, & tertiam denique ipſe Eugenius [qui præſens priores admirabili prudentiâ direxerat] Bavari principes, & cæteri principes & volones

cum

cum 7. centuriis cataphractorum equitum, & aliquot vexillationibus sclopporum equestrium, ducentisque Husaris traducebant, ita ut horâ 7. totus fermè peditatus fuerit admirandâ remigando felicitate transvectus, & die alterâ trium insularum beneficio pons navalis 84. navium ad ostium Tamesis Danubio est instratus, quo res tormentaria, impedimenta, & reliquus peditatus & equitatus demum transivit.

Fuit hæc exercitûs omnium judicio valde notabilis transvectio; Christianæ namque naves Belgradum sine præsentissimo periculo transire non poterant, adeoque per alium canalem infra Belgradum erant deducendæ: transitus deinde factus in conspectu aliquot mille hostium, sine ullius viri interitu, quem Turcæ tam terrâ quàm aquâ, & classe in Belgradensi portu invigilante haud difficulter poterant impedire; atque ita Christianus exercitus & classis totum circumcirca Belgradum tam supra quam infra cum tota sua classe, & tot millenis præsidiariis arctè inclusit, & omnem cum Semendria communicationem Turcis oppessulavit. Nam 19. Jul. ala dextera ad Danubium, sinistra ad Savum sub Gen. Hauben urbem circumvallant, castraque uno & dimidio ab urbe milliari propè oppidum Visnizam metantur. Tum Turcæ quinquaginta navibus in dexteram ad Danubium & sinistram ad Savum alam irruentes, equitatum & impedimenta ad litus consistentia continuis impetunt ejaculationibus, sed directis eò nostris tormentis, illicò se receperunt. Conati quidem Turcæ sæpiùs ignivomis suis navibus Cæsareum

um Danubii 127. navium pontem, militaresque naves dissipare & subvertere; imprimis verò duas Semlini in anchoris hærentes naves S. Franciscum, & S. Stephanum pleno furore irruentes, non sine notabili cæde, & militarium suarum navium damno sunt repulsi. Iteratis quoque præsidiarii explosionibus prætoria Eugenii & Portugalliæ Principis Emanuelis tentoria petebant; quod is tamen non aliò transtulit, nec castrensia statim aperuit valla; quòd turcicum audiret approperare ingentis multitudinis exercitum, cui resistendo, simulque urbem oppugnando, ne temerè suas accideret vires, sollicitam ubique adhibebat curam & vigilantiam: nec minus castra omnigeno militari munimine circum- & contravallationis lineis, aggeribus, sepimentis &c. indesinenter adeò roborabat, ut 10. die Jul. interceptæ ex urbe ad supremum Vezirium literæ decretoriam Turcis dissuaderent cum Christianis pugnam, quòd tota Christianitas in Portæ Ottomannicæ interitum conspiràsse videretur, Christianorumque castra quasi robustissimum essent fortalitium & munimentum, formali acerrimâque impugnatione devincendum. dum interim in urbe haud exigua indies cresceret annonæ caritas, singulisque diebus ultra 70. portionum millia distribuerentur, & quadringenti equi fractâ dorsi spinâ ob pabuli penuriam fuerint urbe expulsi.

Jam Eugenius Haubeni ad Savum castra sive stationem lustrans, aggerem tumultuarie ad Rascianorum tabernam erigi jubet, tum contra hostilem sepimentis munitam insulam, tum contra mi-

militarium navium impetum sistendum. Hanc trabem in oculis Turcæ ferre nolentes sibi maximè noxiam, multis navibus furiose invadunt, Cæsareos milites à tergo irruentes confundunt & in fugam vertunt, simulque ex urbe sphæris incendiariis cunctos prostravissent, nisi Baro de Miglio Hasso-Darmstadiensis protribunus 300. suis equitibus, ignibus licet undique impetitus, magnanimâ generositate eos depulisset: quo in certamine Cæsareanorum tum cæsi tum læsi sunt 800. Cecidêre imprimis General. Marsiglus, protribunus Visconte de Torres, Fuggerus, Rudolph. Heisterus, (cujus cadaver sine capite & manibus Turcæ Belgradum comportarunt) & plures alii generosi milites; Turcarum autem 500. cum Bassa Romiliensi sunt trucidati. Octo deinde ignivomas naves pyrobolis, globis, aliisque incendiariis materiis onustas in destructionem pontis danubialis immittunt, quæ omnes à Christianis feliciter interceptæ, præterquam duæ, quæ sine ullo damno pontem pertransierunt.

Urbs aquaria arietatur.

650. Nullis hactenus urbs flagellata tormentis, 22. autem Jul. erectis tormentorum suggestibus, apertisque vallis trans Savum urbs aquaria 26. tormentis muralibus, 15. mortariis, & pyrobolis diu noctuque continuo quassata, incensa, & magnâ parte adeo destructa, ut defensionis locus vix superesset: eratque hac in parte citra hostis opinionem impressio fortior & acrior, quàm rus versus aut continentem, ubi omnia circumcirca cuniculis erant subfossa. Robur interim exercitus in castris quiescens varios emit-

emittit speculatores hostis adventum exploraturos, interceptusque opportunè turcicus Aga, plurima de moderno militari turcico statu, & ingentis multitudinis exercitu appropinquante referebat, in Ungariam nimirum contra Cæsarem 371000. (cum lixis credo & calonibus) educi: Anton. Esterhasium deinde, Berezenum, juniorem Forgatschium, & Czorlejum, Michaëlem Zachum, & Adamum Vagum, plures exauctoratas Polonorum aliorumque rebellium vexillationes Turcarũ copiis conjunxisse, Transylvaniam invasuras; atque ideo tardius eorum Adrianopoli & Nissâ adventare exercitum, ut accisis interea ad Belgradum cæsarei exercitûs viribus illum demum arctius Vezirius intercluderet; emisso interim alio in Transylvaniam & Temesvvariensem Bannatum exercitu, qui, quocunque vellet, posset sine negotio, maximo Cæsaris detrimento perrumpere; uti & Costanizæ in Croatiam, aliasque hæreditarias Cæsaris provincias (id quod Viennensis meritò metuebat aula) irruere, omnemque commeatum, & apparatum bellicum intercipere. Sed sufficiebat Sultano hac sua Belgradum expeditione liberare. Quare Vezirius Nissâ, superatâ prope Bassaroviam Moravâ fl. Balanckam, inde die 27. Semendriam, tribus à castris cæsareis milliaribus venit, & 30. Turcarum millia Orsoviæ Danubium transmissa versus Mediam arcem ablegat; quam etiam post ternum furiosissimum 3. millium suorum cæde impetum deditione capiunt, præsidiariosque 750. securè, & humaniter Temesvvarium conducunt; sicque liberum sibi in præ-

rebelles & Turcæ irruere volunt Transilvaniam.

Vezirius contendit Belgradum.

Mediã occupat

prædictum Bannatum aperuerunt aditum, ut Generalis Viardus legiones Montecuculi & Sultzbacensem Karansebâ coactus fuerit traducere Temesvvarium. Hæc Eugenius verosimilia audiens circumvallationis lineas curulibus tormentis communit, militi pulverem, glandes, & in 14. dies annonam distribuit, cunctaque in firmam disponit defensionem. Tandem 1. Augusti Vezirius cum suo adest numeroso exercitu, & semi horâ à sepimentis cæsareis sua metatus castra, cæsareum exercitum, præterquam ad Savum ac Danubium circumcingit, & continuis tormentorum ictibus, pyrobolis, & sphæris incendiariis, simul etiam ex urbe, & arce adeo castra infestat, ut vix ullibi securitas, plurimi etiam primarii perirent, principesque Bavari & alii volones in alteram Savi partem transire debuerint: dysenteria quoque invalescens multos afficiebat; ipse adeo Eugenius 52. vir annorum, ob diurnas nocturnasque curas & labores malè licet dispositus, urbis tamen modò agonizantis impugnationem urgebat acriorem; quintâ namque Augusti in ipsa feliciter, sed viriliter occupata urbis palancka 30. mortariis & 24. tormentis muralibus eam adeò pòst arietarunt, ut præsidiarii extremam suam radiis nitratis necessitatem iteratò significarent Vezirio, qui ex captivi Janizarorum Agæ relatione cæsareum nolebat aggredi castrorum sepimentum, nisi patefactis prius latè ruinis & lacunis. Jamque obsidionalibus suis accessibus ipsum attigerant Turcæ Christianorum sepimentum, scalas, aliaque instrumenta bellica jam applicaturi, quia Seraskierus

kierus & Tartarorum Chamus 12. Augusti die cum 30. millibus, totidemque millia occupatâ Mediâ arce Turcarum castra accesserant, ita ut Christianus exercitus inter ignem & aquam, inter continua hostilis exercitûs, arcis, & urbis fulmina (ubi decima quarta mensis Christianus pyrobolus pulverariam in urbe accenderat domum, & turrim, murosque destruendo tria Turcarum millia oppresserat) inter duo rapidissima flumina, inter frementes hostium circumcirca acies copiosissimas inclusus, nullibi tutus, hostilem omni horâ expectabat impetum; obsidionales enim Turcæ accessus suos ad vallata Christianorum sepimenta modò promoverant, scalas, aliaque necessaria impressionis instrumenta in promptis aderant, nullum in castris securè manendi aut elabendi effugium supererat; idque tredecim omninò diebus inter iteratas diu noctuque Turcarum ejaculationes ita continuarat, ut universus Christianus exercitus planè deperditus & pessundatus videretur, & Vezirius Christianorum tremorem interpretans hanc victoriæ palmam manibus suis eripi non posse existimabat. Sed nihil tam firmum & validum est, cui periculum non sit, etiam ab invalido, ait *Curtius lib.* 7. Eugenius haud ignarus non multitudine, sed fortitudine rem agi, minoribus sæpe copiis majores contrivit exercitus, Germanorum præsertim viribus & constantiâ suffultus, animo fortis & magnanimus id clam omnibus moliebatur, quod universam in admirationem traxit Europam: nam 15. Augusti die B. Mariæ assumptæ jubet militem cer-

Christianus exercitus arctè inclusus.

Eugenius modũ prælii instituit.

tamini accingi, atque per noctem, ne hostis adverteret, aciem disponit, unicuique Generali ac tribuno suam tam in campo, quàm ad urbem assignat stationem in scriptis; quid, ubi, & quomodo hostem aggredi, quo loco depellere debeat, &c. his omnibus admirabili ordine, studio, vigilantiâ & prudentiâ dispositis, circa medium noctis dexteræ alæ equitatûs legiones 6. Sabauda, Vehlen, Jôrger, Gronsfeld, Palfia & Fälckensteina in prima linea, in secunda Bavara dimacha, Mercia, Croja, Hautois, Zôllerana: sinistræ alæ equitatûs legiones Caraffa, Darmstadiensis, Hannoverana, Rabutina, Althana, Wurtenburgensis in prima linea; in altera Eman, Sabauda, Contrecourt, Lobkovvitz, Viard, Martignia & Batte: Peditatus pariter ad modum equitatûs dispositus, attributisque singulis campestribus tormentis, castrorum sepimenta egressus est quadraginta universim circiter millium exercitus, omnes ab Eugenio graviter suæ erga Cæsarem & Christianitatem admonebantur fidei, adhortabantur ad generosam constantiam, & fortitudinem hactenus semper victricem, quam hucusque tota suspexit & laudavit Europa: à quo conflictu totius non solùm Ungariæ, & hæreditariarum Cæsaris provinciarum; sed totius etiam Christianitatis salus dependeret. Itaque miles castrorum quasi captivitate exemptus; & victoriæ veluti certus, numero licet longè impar, animo autem superior exultans pugnam unicè desiderabat, reliquo in obsidione relicto exercitu.

651. Summo igitur mane horâ circiter quartâ

tâ Palffius cum equitatu dexteræ alæ tacitis tubis & tympanis densam inter nebulam hostem improvisò talia non opinantem, in ipsis suis sepimentis tumultuariè aggreditur, quem subsecutus est ad designatum locum peditatus, à Janischaris tumultuariè in suis fossis castrensibus collectis magnâ & consuetâ vociferatione aggressus, & circumseptus; sed à succurrente opportunè Starrenbergo rejiciuntur, & fossis expelluntur. Sinistræ autem alæ ductores Alexander Wurtenburgensis & Comes Harrachius à designato illis eminentiore loco, & tormentorum suggestu, propter nebulæ densitatem aberrantes, non tormenta, sed locum tamen pertinaciter obtinuerunt, donec circa 7. nebulâ dispersâ, succurrenteque Principe Beverensi tormenta illa capta, eisque magnâ vi & numero accurrentes Janizari sunt repulsi, & totus passim Turcarum exercitus ex sepimentis suis & vineis in fugam est conjectus; in qua rursum recollectus, se opponens Christianorum vim erat excepturus; sed generosæ eorum fortitudini cedentes, pavore imprimis adurgente [qui sæpiùs potentissimum telum est vincentium] Nissam & Semendriam relictis castris, firmâ carragine cinctis, militari cancellariâ, impedimentis, 131. bellicis tormentis, 35. mortariis, 59. vexillis, 9. signis prætorianis, seu caudis equinis, magno bellico apparatu, & ingenti Camelorum aliorumque pecorum multitudine, confugerunt. Turcarum in acie & fuga cæsa sunt 9000. Christianorum verò 5251. læsi etiam plurimi, Eugenius ipse leviter in brachio, ubique inter globorum nimbos

Turcæ prope Belgradum cæduntur.

bos & dux, & miles, & hortator vigilantissimus. Tutus est autem quem Deus propugnat. Ulterior autem Turcarum prohibita est persecutio, propter nemorum densitatem & latentes insidias, quodque hostilis adhuc exercitus Christiano quadruplò major, victus quidem vincere adhuc poterat.

Belgradenses tempore conflictûs ab omni abstinentes excursione (contra quam Eugenius cuncta prudentissimè in castris disposuerat) nihil de certamine, nihil de strage, nihil de fuga, nullas tormentorum explosiones propter palpabilem nebulæ densitatem, & venti vehementiam sonum & auditum [illegible]ò difflantis, audierant, intellectâ verò suorum turpissimâ fugâ & strage, 17. Augusti urbis deditionem offerentes, conditiones Eugenio transmittunt, quas hic repudians, urbem vehementiùs tota die flagellari jubet: die autem altera 18. Augusti expositis albis vexillis in has condescenderunt conditiones: ut præsidium salvum & liberum sonantibus tubis & tympanis, volantibusque vexillis more militari, relictis ibidem omnibus tormentis, mortariis & bellico apparatu, & navali classe, in turcicum deducatur territorium, extradantur omnes captivi, mancipia, transfugæ & rebelles Ungari; ac denique intra 22. Augusti urbs turcico evacuetur præsidio, & Cæsareo committatur militi: uti etiam juxta contractum Temesvvariensem omnia peracta sunt, urbeque 22. Aug. 30. armatorum millia excedunt, Nissam conducta: in hostilibus verò castris, & in supremi Vezirii papilione inter tubarum, tympanorum,

Belgradi deditio.

norum, tormentorumque ju[illegible]des plausus cantato *Te Deum*, gratiæ benignissimo Deo actæ ac sunt pro t[illegible] felici & admirabili prælii successu victoria, simulq; urbe fortissima absq; ullo formali impetu obtenta, affabrè prodiit chronosticon: EVgenIVs CæDIt TVrCaM, - & BeLLIgraDVM VI CapItVr - DeCIMa oCtaVa AVgVstI. De hac excellentissima victoria universa gratulabatur Europa, Germania, Austria, Gallia, Britannia, Batavia, & Italia; Clemens Pontifex in actuali illam audiens consistorio, suppiex in genua cadit, & in August. comitatus 18. Cardinalibus in Vaticano humillimas Deo reddit gratiarum actiones; Carolus verò Cæsar in S. Stephani metropolitana ad miraculosam Divæ Virginis statuam, inter victoriosas pyramides collocatam *Te Deum laudamus* summo cum jubilo intonavit.

652. Contremuitècontra Turcia hac victoriâ: nam terrore perculsi validissimæ arcis Sabaciæ in Savi insula præsidiarii, relictis ibidem 12. bellicis tormentis & 2. navibus Svvornickum aufugiunt, quam à Turcis olim extructam, commodum in Sclavoniam aditum Petraschius tumultuariè occupat; idem ille terror Turcarum agmina in Bannatu Temesvvariensi consistentia, & cum Wallachis Transylvaniam devastantibus mox conjungenda, inde subitò desertis Semendriâ, Ram, Widdino & aliis ad tractum Danubii oppidis expellit. Interim Simon Esterhasius cum 600. equitibus fugientes insecutus (quorum plurimos Serviæ & Bosniæ rustici trucidarunt, imo invicem in direptione propriæ an-

Turcæ desérunt Sabaciam.

Semendriam, Widinū.

annonæ & impedimentorum in fuga discordes, se ipsos multis cædibus contriverunt) 70. adhuc tormenta, & 143. bellici apparatûs & commeatûs plaustra cæsis custodibus intercipit; & alter eorum insecutor vigiliarum præfectus Splenius illis transitum Danubii, sed serius, impediturus, dum Orsovam petit, & adjacentem Insulam Poratzer, Turcæ utrumque deserentes, & pleraque incendentes ultra Danubium fugam capiunt, insignemque in Insula Spleni tormentorum, apparatûs bellici, commeatûs, & pecorum prædam relinquunt, qui & Orsavam, & eâdem terroris præcipitantiâ desertam Mediam, seu Meadiam, non exigui roboris oppida, multo alias sanguine devincenda, sine ullius hominis cæde, cum 50. curulibus tormentis feliciter occupat.

Orsavam & mediam.

Interea temporis aliquot Tartarorum millia, imo & Christianorum, Ungarorum, Polonorum, & Moldavorum universim 20000. 18. Augusti per concæduam prope aditum Radaver sylvam viritim penetrando, antesignanis Ungarorum rebellibus Antonio Esterhasio, Adamo Wog, Michaële Czhiko, & juniore Berezeno Transylvaniam incendiis, latrociniis, rapinis, contributionibus & captivitate ferme Claudiopolim usque tyrannicè devexant: imo superiorē invadentes Ungariam pro condonatione incendii ab urbibus Sragparia 16000. à Zatmaria 40 florenorum millia exigunt, & truculentissimè affligunt. Eugenius tyrannidem audiens quamprimum General. Mercium & Viardum ad eos compescendos submittit; Steinvillus, St. Amour &

Rebelles & Tartari Transylvaniam diripiunt.

& Caroli collectis subito copiis omnes Transylvaniæ aditus oppessulant; illi Belgradensem stragem intelligentes vias priores relecturi divisis copiis nunc in hanc, nunc in alteram se vertentes partem, omnes accessus & transitus obstructos cernentes, per Poloniam dilabi meditabantur; sed ab hac rejecti, passim à rusticis & persequentibus militibus justè trucidati, multa captivorum millia sunt liberata: captus autem & Hustum ductus Andr. Droschga, qui nomine Ant. Esterhasii ad novam ubique rebellionem suos sollicitabat populares, debita sibi mercede mactandus: Esterhasius ipse per montes, avia & devia cum paucis vix elapsus. Supremus autem Vezirius fugitivus cum 20. circiter armatorum millibus prope Nissam constitit, & Sultanus Sophiæ adhuc cum novo militum augmento hæsit obstupefactus. Repelluntur.

Tumultuariè igitur ruinæ murorum & intervalla Belgradi, accitis Viennâ & aliunde operariis sunt restaurata, & copiosus ibidem bellicus apparatus divisus inde ad alias urbes, quantum exigebatur, translatus est; in urbe namque reperta sunt 75. ænea, & 25. ferrea tormenta bellica, & 49. ænea mortaria; in navali classe & Danubii Insulis 150. ænea, & 184. ferrea tormenta, universim 434. tormenta bellica, insignis profectò præda: quorum quædam Semlinum transportata. quod Eugenii dispositione novo cornutò opere, & ad urbem aquariam debiliorem novo aggere & propugnaculo, circumducto Danubii brachio usque in Savum est roboratum. Cæsar deinde Belgradi pro adja- Bellicus Belgradi apparatus. Semlinum fortificatum.

centibus comitatibus provinciale dicasterium, & appellationis forum instituit; ita ut urbs opportunissimo sita loco, & mercaturæ ob confluentia flumina commodo celebre futurum sit emporium: nam & plures Itali Cæsaris decreto Neapoli in Ungariam remissi, Budæ, Pesthi & Belgradi, &c. erigebant domicilium, agris Turcarum & bonis immobilibus fruituri. Exercitus demum Cæsareus binis gloriosus victoriis in hybernia distributus est, & Eugenius magnus hostium domitor 19. Octobr. Viennam rediens, intimo cordis gaudio & congratulatione clementissimè à Carolo est exceptus, & gladio 100000. florenorum est muneratus: atque sic felicissimè hujus anni expeditio fuit finita, IesV ChrIsto generaLIssIMo Coronante, CaroLo Cæsare regnante, & eVgenIo prIncIpe Cooperante.

Eugenius redit Viennã.

653. Rex Borussiæ Cæsaris interpositione electam Ducissam Holsato Gottorfiensem in abbatissam Quedlinburgensem agnoscit, modò illa competentia Regis in abbatiam jura, ut scripto Cæsar promiserat, vellet agnoscere & observare. Est quidē hæc abbatissa & abbatia ducalis inter Halberstadium & Ermeslebiam ad Bodam fl. sita, immediatus Imperii Rom. Status, ab Ottone Magno in honorem S. Servatii, & filiæ suæ Mathildis, primæ ibidem abbatissæ an. 937. fundata & dotata; sed jam ab an. 1477. Electores Saxoniæ mero in civitate imperio. ejusque territorio exercent jus advocatiæ, & abbatissæ gaudent jurisdictione bassa, seu Erbrecht; & quoties Elector aut abbatissa mutatur, tenentur Electori, præter alia jura, homagium præstare.

Quedlinburgensis abbatissa à Brandeb. agnoscitur

Sprem-

Sprengerus pag. 440. *Maderus in Antiq. Brunsv. pag.* 504. *Pfeffinger ad jus pub. Vitriarii l.* 1. *tit.* 15. *num.* 18. *fol.* 345. Lutheranam ibidem religionem ann. 1539. introduxit abbatissa Anna com. de Stolberg. In eadem vicissim Saxonia Lipsiæ Fridericus Henricus Dux Saxoniæ Zeitz, frater Christiani Augusti E. R. Cardinalis & Archiepiscopi Strigoniensis, relicta protestanticâ in Misnia Naumburgensi sede, Romano-Catholicam assumpsit religionem, majorem & securiorem spem salutis, & promotionis expectaturus. Capitulum ibidem vi instrumenti pacis Westphalicæ *art.* 5. §. *Si igitur Catholicus*, alium eligere volens, prohibuit Elector Saxoniæ, & ad tempus vacare jussit. Conversio Ducis Saxoniæ Zeitz.

In Anglia nova rursus detecta conspiratio, qua Rex Sueciæ classe duodecim armatorum millibus, & magno bellico apparatu Angliam invadere intendebat; sed ex literis captorum Comitis Gollemberg, & Baronis Görtzii tempestivè detecta est. Conspiratio in Anglia detecta.

Agitatæ hucusque inter Archipiscopum Coloniensem & Generalium Ordinum status differentiæ, Bonnenses, scilicet, Hujenses & Leodienses, studiosa Cæsarei Hagæ Comitis ministri mediatione sunt compositæ.

Schulenburgus & Pisanus navali prælio triplici de Turcis victoriâ gloriosi, habito Corcyræ bellicò consilio classem Prevelæ in Epiro applicant, & eâ conditione capiunt, ut Voinizzam simul extradant: sub tractatûs hujus armistitio Prevesæ 600. præsidium deserta urbe in fossas castrenses Venetorum armatâ manu tumultua- Veneti capiunt Prevesam.

riè excurrens desperatâ velitatione, & multo utrimque sanguine perrupturum, internecivè cæditur, aut vulneratum cum Bassa capitur cum 30. insignis magnitudinis bellicis tormentis & apparatu; Schulenburgus & Pisanus urbem ingressi magnam nitrati pulveris & straminis apposito igniario copiam per urbem perfidè dispersam subitò extinguentes Voinizzam obsidione ad finem Octobris terra marique cingunt: Turcæ bino furioso impetu 2. Novembris subsidium illaturi non sine cæde repelluntur; ideoque præfectus deditionem cum 1800. præsidiariis, relictis 32. æneis tormentis, 6. mortariis, magno bellico apparatu, & 8. militaribus in portu navibus, in Corcyræ obsidione usis, cum libero, securoque militari discessu offert: quæ duæ urbes ad sinum maris totam possunt Epirum continere, ideoque forti præsidio, sufficientique apparatu & commeatu provisæ sunt. Capta denique Larta, populosum emporium, hujus anni clausit expeditionem; qualis in Dalmatia fermè fuit frustranea, vel exigui effectûs, nisi quòd militare à Mocenigo emissum circa Mostarum agmen, 150. Turcas prostraverit, & 60. in captivitatem ductis, quatuor vexilla, 6. majorum minorumque pecorum millia, & ducentas familias in fidem protectionemque Venetæ reipub. reduxerit; provinciæ etiam Arcegovinæ in Dalmatia metropolim Ismuchum cum 20. curulibus machinis, commeatu & apparatu bellico non exiguo, deditione interceperit.

Voinizzam.

Lartam.

Hispania mirâ classem bellicam adornat sedu-

dulitate, omnium spe & expectatione, imprimis pontificis, Venetorum classi contra Turcas conjungendam, in eundemque finem pontifex ecclesiasticas illi permisit in tota Hispaniæ & Indiarum monarchia decimas; sed sub fuco Turcarum eorum impugnatorem Cæsarem, ejusque Sardiniæ regnum invadit, orbe obstupescente & publico numismate Saulis Christianos persequentis declarante: *Actor.* 9. 5.

Philipp. V. Sardiniam occupat.

Sihe saVL DV VerfoLgest MICh.

in alio latere.

Höre Nachwelt! da der Käyser über Christi Feinde siegt/
Wird er selbst von andern Christen zu der Türcken schutz bekriegt.

Hispanam forte monarchiam integrè in aqua turbida Philippus piscaturus, & regni metropolim Calarim 17. Septembris deditione capit, fugientemque occultè Vice-regem marchionem de Rubi cum 150. equitibus intercipit, sub rustica tamen veste ignotus ille adhuc est elapsus. Calarim mox subsecuta sunt Sassaris, Largero, castellum Arragonesum, & totum passim insulæ in mediterraneo regnum Philippo V. subjectum: quo occupato architalassus Marchio de Castagnetta classem 23. Novembris Barcellonam reduxit, cujus, & simul Ilerdæ ambas universitates Philippus V. extinxit, & cum omnibus fundationum proventibus transtulit Cerveram; Oveti etiam in Asturia novam Audientiæ curiam, seu supremum dicasterium instituit.

Nova Cerveræ universitas.

Hujus in Italiam contra Cæsarem invasionis plures Italiæ Principes, atque adeo ipse Clemens pon-

pontifex suspecti dicebantur; quam calumniam variis pontifex literis apud principes refutavit, & gravissimis ad Philippum V. literis 25. Augusti datis falso collectas contra Turcas decimas prohibet; & si unus & dimidius ex India millio, & 500. ducatorum millia necdum deposita forent, nec extradita jubet retineri; ècontra ecclesiasticas Italiæ Cæsaris dominio subjectas decimas contra Turcas permittit; nihilo tamen minus Romanam inter & Cæsaream aulàs quotidie crescebant differentiæ, ut Viennensi Nuntio Apostolico aulæ aditus, & ministrorum cum illo interdicta fuerit conferentia: Neapoli 28. Novembris apostolica Nuntiatura non solùm urbe, sed & toto regno eliminata; quod idem in Germania & Tractu Rheni, & Bruxellis in Belgio futurum, dicebatur; sed quibus de caussis, aula Cæsarea subticebat secreta, quæ nunc arcana Jovis diphthera vix ulli inspicienda est; res tamen pòst composita, & Apostolici Nuntii locis & dignitati sunt restituti. Cæsar tamen & Veneti permittere noluerunt, ut fluvius Reu Comachio circumductus, illinc jussu pontificis abstractus, in Padum duceretur; quare agger à Bononiensibus illum in finem interjectus à Comachii præsidio est dejectùs. Eidem pontifici adolescentem Massiliensem Magno Melitæ Magistro Raymundo de Perillos ad ordinem admittendum commendanti, ob debitæ qualitatis defectum denegavit: jacturam gratiæ suæ minitanti reposuit Magister, opem & protectionem privilegiorum ordinis sui à Christianissimo, aliisque Catholicis Principibus se petiturum & impetraturum.

Differentiæ inter Pontificem & Cæsarē.

Comachium.

Ordo Melitensis.

654.

65 Moscorum Dux Petrus Alexowicius hoc rursus anno varia visitavit cum uxore sua regna, Reges & Principes, semper proficuo Ducatûs sui perficiendi emolumento intentus; in Gallia inito commercii tractatu, visisque ibidem rarioribus Hollandiam & Amsterodamum petit; inde Berlinum Regis Borussiæ residentiam, à quo regaliter exceptus Dantiscum, à suis copiis eminus circumseptum contendit, gravem auri vim à senatu eodem exigens; aliorum tandem Principum interventu res composita, pridie Ducis 1. Octobris in urbem ingressûs, ubi Polonis regni sui à Moscuiticis copiis evacuationem rogantibus eam quidem promisit, sed more suo abitum in hyemem differentibus, & aliquot interim epibatarum, classiariorum, naupegorum, opificum & aliorum operariorum millibus ex Gallia & variis aliis provinciis adhuc eò advenientibus & hybernantibus lauta in Polonia orta est fames, & in ejus finibus Uckrania & Podolia pestis. Tandem Czaarus 21. Octobris Petropolim (Petersburg) suam imposterum futuram residentiam venit, illam omnis generis mercaturæ emporium facturus, Patribus Societatis in suo quoque regno ad juventutem in moribus & artibus erudiendam collegia permisit: variorum deinde officiorum collegia, judiciorum, fisci, belli, commercii, &c. cum suis præsidentibus & vice-præsidentibus instituit, prout in aliis regnis & rebuspublicis benè constitutis viderat, & annotaverat. Mosci Ducis itinera & gesta.

In Saxonia inferiori Wismariam urbem ad sinum Balticum à Suecis armis antehac occupatam Wismaria Suecis adempta.

tam Rex Daniæ an. 1675. suæ fecit potestatis; quam pacis Westphalicæ instrumento Sueco restitutam ultimis hisce temporibus confœderati principes Septentrionales, Rex Daniæ, Borussiæ & Angliæ, seu Luneburgici Sueco capitali hactenus Imperii Rom. hosti, rursus cum aliis in Imperio Rom. civitatibus extorserunt, eamque miles Dano-Borussus (Luneburgicus omninò abstinuit) omni exteriori propugnaculorum robore, Cæsare licet inhibente, 4. Septembris ideo exuerunt, quòd Rex Sueciæ urbem illam absque Cæsaris & Imperii Rom. consensu, imo contra expressam eorundem protestationem, & in extremam Imperii Rom. ruinam jam pluribus illatam temporibus, talibus firmaverit munitionibus, ut liberum semper inde in Germaniam & Imperium Rom. vexandum, diripiendumque haberet aditum, & transitum: quare ducenta urbis bellica tormenta & mortaria ferrea, bellicusque apparatus sibi in divisione assignatus Rex Borussiæ Stetinum, suis quoque devictum armis, mense Novembri jussit transfretari: & tamen Rex Sueciæ ad pacis aliquoties frustra tentatæ compositionem nequaquam potuit adduci; & constituto licet terra marique generalissimo hæreditario Hasso-Casselensi principe Friderico, in re militari multùm exercito, omnes tamen ejus conceptæ in Daniam & Norvvegiam expeditiones fuerunt irritæ.

Constitutionē Galli necdum admittunt.

655. Varias adhuc Quesnelli à sede Apostolica per Constitutionem *Unigenitus* constanter damnatæ propositiones excitarunt in Gallia disceptationes & discordias, gravibus utrimque ca-

calumniis Novistarum, Jansenistarum, Semipelagianorum, hæreticorum & similium insectationibus mixtas, ut Regens Dux Aurelianensis & parlamentum Parisiense omnibus & singulis, cujuscumque statûs & conditionis sub pœna rebellionis, & inobedientiæ de his propositionibus disputare, scribere, typis imprimere aut vendere quicquam, quod Sedem Apostolicam, debitumque ei respectum lædere possit, graviter prohibuerit, Cardinalisque Noailli ad proximum concilium appellationem typis, sine ejus tamen scitu & consensu evulgatam, omninò suppresserit, & Cardinalem Rohanum acerrimum constitutionis defensorem è suo argentoratensi episcopatu Parisios, ad hujus causæ medelam accerserit. Voluit quidem prædictus Cardinalis Noaillus speciosis se literis apud pontificem purgare & excusare; sed hanc excusationem Clemens P. non admittens, acrioribus literis Cardinalis submissionem, & erga sedis Apostolicæ infallibilitatem obedientiam & reverentiam requisivit.

6. Octobris Fridericus Augustus filius Electoris Saxoniæ, & regis Poloniæ Venetiis venit Viennam, magnam hæreditatem ab avia sua Lichtenburgi nuper defuncta consecutus, ubi sub peracto à Nuntio Apostolico Spinola sacrificio, ejurato Lutheranismo (qui primùm in Saxonia anno 1517. exortus fuit) Romano-catholicam fidem professus est publicè, quam Anno 1712. Bononiæ in Italia secretò indutam, certis de causis hucusque occultavit. Hæc publica catholicæ fidei professio, quia pater ejus prævidebat, quòd ministros & subditos suos, totamque turbatura esset

Filius Saxoniæ fit Catholicus.

In Saxonia datur conscientiæ libertas.

esset Saxoniam, omnibus & singulis sui electoratûs subditis non solùm modernis, sed & subsequentibus posteris regiâ & sincerâ fide plenam & omnimodam conscientiæ & religionis suæ libertatem cum omnibus annexis, & in statu quo publico manifesto permittit & promittit 23. Octobris 1717. Disceptabatur autem hoc rerum statu, an penes Saxonem Patrem & filium ejurato Lutheranismo ad fidem catholicam conversos maneat Directorium Protestantium in Confessione Augustana? affirmabat Elector, & septemdecim rationibus confirmabat; negabat Rex Daniæ, & plures Protestantium status. In tota proinde superiori & inferiori Saxonia, Dania, & tota ubique Augustana Confessione, imo & Londini in Anglia in templo Danico 31. Octobris 1717. secundum Lutheranismi Jubilæum solemniter fuit celebratum.

656. Bruxellis bini Ducatus Limburgensis & Brabantinus, confirmatis prius eorum privilegiis, solemnissimâ pompâ & jubilo Cæsari Carolo VI. ut Duci Brabantiæ & Limburgi: 18. Octob. Gandavi ejusdem Status & Ordines ut Flandriæ Comiti: Montibus ut Hannoniæ Comiti: Namurci ut Comiti ejusdem Namurci: & Mechliniæ ut ejusdem Domino præstiterunt homagium: eandem clientelaris obsequii obligationem ab Agrippina Colonia urbe imperiali regio sane ritu & magnificentiâ 16. & 17. Novembris Cæsaris nomine Comes Franciscus Georgius de Manderscheid Blanckenheim; ab Aquisgrano 23. Novemb. & à Tremonia 15. De-

Cæsar inauguratur Dux Brabantiæ, &c.

Decemb. Comes Hugo Damianus de Virmund, bello togáque celebris, receperunt.

26. Octobris Rex Hispaniæ Philippus V. in monasterio S. Laurentii in Escuriali fatali oppressus morbo testamentum per notarium è proximo pago solerter aptéque conscriptum (ideoque in suum electum secretarium) ipse subscripsit, & per Grandes sigillo muniri fecit, delatus 29. Madritum pristinæ valetudini per hibernum medicum Joannem Hidgins restitutus, eundem ob fidelem præstitam artem & curam non solùm in suum & aulæ archiatrum, sed & universalem exercitus sui & Cataloniæ protomedicum constituit: quemadmodùm Abbatem Alberonem, belli hispani adversus Italiam & Cæsarem incentorem, Malagæ episcopum annuo 70. millium Imperialium reditu, & haud multò pòst defuncto 80. annorum Cardinale Emanuele d'Arias Seviliæ archiepiscopum centum millium imperialium censu annuè gaudentem creavit. Philipp. R. Hispaniæ morbus & liberalitas. Abb. Alberon.

19. Novembris Viennæ in festo S. Elisabethæ Cæsar non solùm festivè congratulabatur conjugi suæ Elisabethæ Imperatrici, sed & sorori suæ Mariæ Elisabethæ, cui ligaminis loco ducalem comitatum Tyrolensem obtulit, ejusdemque fecit gubernatricem. Ubi plura tormenta bellica Turcarum spolia, & unum imprimis 23. pedum longitudine, 130. libras ejaculans, Belgradi in urbe aquaria terra suffossum & erutum, sunt refusa & renovata. Elisabeth archiducissa fit gubern. Tyrolis

Inter 24. & 25. Decembris tam sæva maris & procellarum orta est tempestas, ut ru-

ruptis aggeribus in Holsatia, Frisia, Hollandia, Dania, Suecia, Norwegia, Anglia, &c. multa hominum, & pecorum millia submerserit, oppida, domos & agros incredibili damno inundarit.

Annus 1718.

Academia mathematica Viennæ

657. Anno præterea 1718. 7. Januarii novam Cæsar erexit academiam mathematicam machinarum bellicarum, sub directore Leandro Comite Anguissola, & Jacobo Masinone subdirectore architecturæ militaris. Novam deinde argentariam, seu mensam collybisticam Viennæ cum stricto exercendi permutandique modo instituit.

Helveti Cæsarē Regem Hispaniæ agnoscunt

Helveti Catholici post multas inter se deliberationes tandem Carolum VI. Cæsarem venerati sunt titulo Regis Hispaniæ. Tigurini autem & Bernenses Aquis Helvetiis controversiam inter se, & Abbatem S. Galli Imperii Rom. Principem decreto 5. Januarii die composituri, inopinatâ abbatis morte concordiæ negotium & compositio differtur; monachorum autem capitulum futuri abbatis potestatem communi suo imposterum consensu constringens, in successorem & abbatem elegit P. Josephum de Laibach Subpriorem, ex Carinthia virum prudentem & pacificum. Pax tandem in Junio singulari Cæsaris hortatu Badæ, seu Thermis Helvetiis utrimque est subsecuta, subscripta & ratificata.

Pax inter illos & Abbatem S. Galli.

In Æthiopia missionarii Patres Liberatus Weis præses apostolicus, Michaël Pius de Zerbe, & Samuel à Biumo, Austriacæ provinciæ alumni benignè à Rege Justo in metropoli Gunthar cum magna spe messis religionis catholicæ pro-

propagandæ admissi; sed gravissimis falsis criminationibus innocenter ab inimicis delati, eorumque catholicos ritus idololatriam (sic vocabant) detestantes, 3. Martii 1716. à vulgo sunt lapidati, quorum Rex Justus, quia illos excusabat & defendebat, furioso impetu throno est dejectus, & adolescens David nomine Rex est inauguratus.

Martyres in Æthiopia.

Chinarum quoque Imperator omnibus & singulis in suo regno Christianis sub pœna capitis abitum & egressum, cum mandato nunquam redeundi indixit, ob conceptum Mandarinorum, seu Nobilium Chinensium in Jesuitas Patres odium. In Chinam autem P. Provana Soc. J. cum socio Chinensi Româ rediturus, pontifici Clementi valedicens jurare debuit, se strictè decretum contra superstitiosas Chinensium ceremonias nuper emanatum observaturum.

Chinâ Christiani expelluntur.

Idem pontifex Alberoni Cardinali expeditionem bullæ archiepiscopatûs Seviliensis, maximæ post Madritum in Hispania urbis & ditissimæ, denegavit, quòd ejusdem studio episcopi Tarragonensis, Calariensis & Vicensis exilio essent damnati. Imo publicis evulgabatur libris ejusdem Alberonis consilio & instinctu Madritensem aulam fœdus cum Turcarum Sultano, Ludovici XIV. regis exemplo, contra Cæsarem iniisse: id quod Cæsareus Romæ legatus Comes de Gallas 16. Martii originalibus Pontifici literis demonstrasse, totâ obstupescente Europâ perhibebatur, meritam exigens ultionem. Cardin. Aquaviva Hispanicæ nationis protector econtra inter-

Alberoni papa bullam Archiep. Sevienf. differt, quare?

tercessionales & obedientiales Capituli Sevilienſis literas pro Alberone Pontifici obtulit, ſimulque publicato Madritenſi decreto omnes cujuscunque conditionis Hiſpani ſub gravi pœna Româ diſcedere jubebantur, & plusquam 4000. inde abierunt, pontificiſque legatus Aldrovandus Madrito debuit excedere.

Philippus Andegav. militem colligit.

Andegavenſis interim Dux ad ingentem belli expeditionem terrâ marique magno ubique fervore militem, commeatum & bellicum apparatum colligebat, debebantque Hiſpaniæ Civitates & archiepiſcopi Saragoſſenſis, Valentinus, Tarragonenſis, aliique Cataloniæ epiſcopi pro limitum ſuorum defenſione ſufficientem auctorare militem; adeoque Luſitani, Neapolitani, Mediolanenſes, & Sabaudi ſibi metuentes, vigilem ubique, fortemque ſedulò præparabant defenſionem contra hos multiplices Hiſpanorum apparatus.

Rejicit medium compoſitionis cum Cæſare.

658. Alii verò Europæ Principes, Cæſar, Reges Galliæ & Angliæ indefeſsè laborabant Europæ tot hactenus annis cruentiſſimis humani ſanguinis bellis miſerè inundatæ pacem & tranquillitatem reſtituere, quam Philippus Rex Hiſpaniæ priori anno Sardiniæ occupatione, & nunc Siciliæ invaſione (à Sabaudo Duce nuper etiam cum regio titulo involatæ) contemerat, Cæſaremque, ejus poſſeſſionem ſibi vendicantem, ad arma provocat, & pacificæ compoſitionis medium, ſeu projectum à prædictis regibus propoſitum (quo illum legitimum regni Hiſpaniæ poſſeſſorem, & filium ejus primogenitum Ducatuum Florentiæ, Parmæ & Placentiæ, deficiente

ciente eorum progenie, (successorem agnituri) rejicit; & præter prædicta suæ subtracta monarchiæ regna Neapolitanum, Sardiniæ, Siciliæ, & aliquot Toscaniæ portus & loca, ab Anglis Gibraltarium & Majorcam repetit, armorumque vi à Cæsare & Sabaudo recuperare conatur.

Hispana classis Siciliam invadit.

Hispana igitur classis 20. Maji copiosum quà peditum, qua equitum militem Barcellonâ transtulit in Sardiniam, quam 18. Junii subsecuta & appulsa est ad Calarim præsidiaria 300. omnis generis navium classis, cum 30. classiariorum millibus, ingenti armorum, tormentorum, apparatûs & nervi bellici copia sub architalasso March. Castagnetta, & archistratego campi March. de Leydena. Inde Siciliam invadens Panormum 5. Julii spontaneâ deditione, & arcem 14. Julii capit, marchionemque de Leydena proregem inaugurat, com. Hannibale Maffeo Sabaudo cum tota familia sua & archivio Messanam, inde Genuam fugiente. Panormi deditionem plures aliæ Siciliæ civitates & oppida præter Siracusam, Trapanam, Salvatorem, Messanam & Milazzum, tota ferè Sicilia ejectis Sabaudis subsecutæ, Hispanos admisit. Tum Messanam regni metropolim omnium validissimam, archiepiscopalem maximam, & nobilissimam aggressi, quamvis generosam ipsa primò meditaretur defensionem; ex innato tamen inconstantiæ genio brevi se subdidit. Inde constituto ad interim prorege March. Pio, March. de Leydena Milazzum invadit, quod probè munitum victoriarum cursui frænum aliquamdiu injecit.

Fœdus quadruplex Cæsareo-Gallo-Anglo-Batavicum.

659. Europæ principes visa tot modis per Comitem Stanhoppen Angliæ legatum frustra tentatâ Ducis Andegavensis pertinaciâ, quadruplex fœdus Cæsareo-Gallo-Anglo-Batavicum pro pacis conservatione, Europæ tranquillitate, Italiæ neutralitate, & mutuo partium subsidio contra Hispanos 18. Julii 1718. Parisiis & 3. Augusti Londini confirmarunt & subscripserunt, contranitentibus frustrà Duce Vidunensi, & Comite Tholoso, Hispano faventibus, & Batavis aliquamdiu, metu interrumpendi cum Hispanis commercii & negotiationis, differentibus: ad quod postmodum admissus est Sabaudus, & ambivit Rex Daniæ. Hispanus hujus rei certior factus, pacis rupturam, significavit, concessaque Anglis commercii & navigationis in Occidentalem Indiam privilegia revocavit, Angliæ autem Rex quia in pactis Ultrajectensibus & Badensibus neutralitatis Italicæ sponsor & stipulator esset, navalem 20. militarium navium classem cum 8605. classiariis & 1360. tormentis bellicis instructam sub architalasso Georgio Bings in Italiam cum expresso hoc mandato dimittit, ut Gades transiens suum mitteret Madritum secretarium, repetentem omnes Britannicas sub Hispanis militantes naves, deinde ab omnibus in Italiam dehortaretur hostilitatibus, secus se Hispanorum hostem bellumq; indiceret; sed quia Hispano durum fuit contra stimulum calcitrare, Georgius Bings aliis in Portu Magone auctus navibus & classiariis, 1. Augusti Neapolim attingit, ubi sufficientibus cibariis, Cæsareo milite, aliisq; necessariis instructus, 4. Augusti in Siciliam velifica-

Anglica classis petit Italiam.

ficavit, & 11. Augusti ante lucem veniens Messanam duas procubitores naves insecutus, hispanam 26. navium classem inter montes instructâ acie hærentem circa meridiem invenit: quâ visâ Hispanorum architalassus Castagnetta in altum provolans omnium tormentorum suorum ictibus Anglos aggreditur; fit acris naumachia; sed cùm hispana navis correpto in pyreo pulvere igne tota in flammas abiret, omnis Hispanorum classis in confusionem adducta fugæ se committit; quam Angli persecuti 5. Hispanorum naves incendunt, 4. mari demergunt, undecim captivant cum supremo architalasso Castagnetta, Chaco & magna pecuniæ summa: aliæ Maltam dilapsæ captivitatem non subterfugerunt: Anglicæ naves ab Hispanis conductæ fervente pugnâ ad Anglos sunt reversæ, aut alio dilapsæ; nullaque Anglica navis periit, unica tantum exiguum passa est detrimentum: adeoque hispana classis igne, aquâ, & captivitate periit fermè universa, ingenti Hispanorum 80. millionum damno, & morte Castagnettæ, ex vulnere Catanæ defuncti. Cujus etiam prætoria 90. tormentorum navis capta, Hispanorum postea proditione vulcano est tradita; nec tamen Marchio de Leydena ab arcis Messanensis oppugnatione desistit; sed 90. tormentis & pyrobolis continuò impugnat, fortiter hactenus à Cæsareo Sabaudo præsidio & præfecto Marchione de Susa defensam. Cæsar quidem post conclusum & utrimque ratificatum cum Turcis armistitium varias ex Servia & Hungaria in Italiam & Siciliam destinavit legiones; sed nimiâ

Numachia Anglo-Hispanica.

distantiâ, maris tempestatibus, & viarum difficultatibus detentæ, iteratis licèt Pro-regis Neapolitani Daunii literis & cursoribus ad festinandum postulatæ, succurrere nequiverunt; ideoque post 35. dierum obsidionem 29. Septemb. arx Messanensis in lapidum reducta cumulum, Hispanis spontaneâ deditione se tradidit, præsidiumque absque militari honore, liberè tamen dimissum, Cæsareum Rhegium Julium, Sabaudicum Siracusam.

Messanensem arcem capiunt.

Et Milazzum obsident

Hispani relicto Messanæ 2500. præsidio Milazzum contendentes, civium auxilio urbem occupant, Sabaudis ad arcem confugientibus: Cæsarei autem Generales Caraffa & Veteranus Hispanorum ibidem castra invadentes binis vicibus repelluntur; resumptis tertiò animis Hispanos demum ejiciunt; sed dum spolia cupidè, incautéque colligunt, tormenta perclavant, vallaque destruunt, hispanus equitatus in illos à latere irruens confundit, & castris exterminat, cæsis & sauciis 1247. Cæsareis, & captis cum Veterano 130. Hispanorum autem præter vulneratos cæsa 2000. & ducenti cum Com. Severgeno & General de Silva capti sunt. Hispani ne iterum abs Cæsareis improvidè obruerentur, sua castra triplici, imo quadruplici fovearum, loricarum, vallorumque munimine adeo circumvallant, ingentique militum augmento adaucti defendunt, ut supremus copiarum ibidem Cæsarearum mareschallus Baro Zum-Jungen, licet multiplici pariter militum incremento [qui duplici maris tempestate diu, non sine magna pānis in exercitu penuria hinc inde dispersi

Pugna Cæsareo Hispana ibidem.

dispersi & jactati, demum castra accesserant) roboratus, ex senatûs tamen bellici consilio non ausus illos aggredi, nisi cum præsentissimo ingentis stragis periculo. Cæsareanus igitur exercitus sua ex adverso contra Hispanos castra probè pariter firmata opposuit, & quasi inclusit, ut mutuis continuò tormentis se invicem peterent: & Hispani continuis aëris pluviis & imbribus genuum tenus immersi, castra sua Cæsareanorum imminentium metu non audent immutare: in arcis tamen oppugnatione ferventes.

660. Rheinfelsia ad Fanum S. Goaris in superiori rheno, alto monti insidens arx, roboris non contemnendi, ideoque in ultimo bello gallico à Gallis impugnata; sed à præsidio Hasso-Casselensi fortiter est defensa, à cujus etiam succurrente milite Galli in turpem fugam sunt coacti, & Casselensis hucusque Princeps Carolus arcis possessionem retinuit, invito & reclamante Principe Wilhelmo, quondam Canonico Coloniensi metropolitano, legitimo ejus hærede, restitutionem pleno jure urgente, & per judicialem Wetzlarii, Ratisbonæ, & totius Imp. Rom. & Cæsaris denique sententiam sibi adjudicatam exigente. Nolenti cedere Carolo Hasso-Casselensi Cæsar & Imperium sententiæ executionem indixerunt, eamq; per circularem Imperii exercitum Generali campi Mareschallo Iselbachio perficiendam imposuerunt, qui jam tum octo armatorum millibus ad Hassiæ limites prope Golnhausen fixis castris, plures expectans copias, vi Hassiam invasurus: quamvis amica quidem sperabatur compositio; Cæsar tamen prudentiâ & ar-

Rheinfelsiæ restitutio.

armis potens absolutam jubebat restitutionem, ob periculum fortè Regis Sueciæ, Rom. Imperii semper hostis, cujus improlis morte (qua etiam in Dania ad hujus anni 1718. finem in oppugnatione Fridrichs-Halle globo percussus periit) successorem in regnum fore prævidebat hæreditarium Principis Hasso-Casselensis filium, Ulricæ Regis sorori futuræ reginæ nuptum, qui firmum hoc casu in Germania ad rhenum pedem esset fixurus. Sed per subdelegatos tandem Cæsareos & Hasso-Casselenses res amicè composita, & Rheinfelsia omni Hasso-Casselensi præsidio, tormentis, & bellico apparatu evacuata, legitimo hæredi Principi Wilhelmo Viennâ Rheinfelsiam reduci, cum toto illo Landgraviatu hoc anno est restituta, novoque Cæsareo - Palatino 900. militari præsidio, bellico apparatu & commeatu optimè instructa & communita est, Iselbachius autem cum copiis ad Hassiæ limites subsistere jussus est, usque dum retardatæ executionis expensæ solverentur.

Eugenius expeditionē in Turcas pro- m[illegible]t.

Cæsar ad maturam hujus anni in Hungariam contra Turcas expeditionem iteratis consiliis & conferentiis adornatam, vel ad majus provinciarum augmentum armis extorquendum, vel ad firmam pacem Christianitati proficuam stabiliendam adurgens, legiones ad armilustrium, & fixa Semlini castra jubet properare, bellicum apparatum, sufficientem commeatum cum magna pistorum & operariorum copia, omniaque expeditioni necessaria tempestivè illuc destinare, ne quid moræ expeditionem hoc anno spe feliciorem, &, ut sperabatur, ad ipsa usque Turciæ visce-

viſcera auctiorem & terribiliorem retardaret : Turcæ namque Cæſareæ impares potentiæ, & terrore exanimes, Boſniam jam tum Chriſtianis fore cedendam prævidentes, jubebant eam evacuare, & convaſata ſua in ulteriorem Turciam transferre, aut ignibus incendere; imo totam Boſniam montoſam devaſtando Chriſtianis inutilem relinquere. Dux itaque Eugenius 8. Jun. Belgradum veniens viſa, & probata urbis ampliatione & fortificatione à præfecto Odvvirs aſſidua cura ingeniosè perfecta, inde mox Semlinum ad caſtra contendens, expeditionis maturavit initium, quam plures ſubſecuti Principes ſummâ ambigebant generoſitate.

661. Turcæ autem pacem ſuſpirantes, ad locum congreſſus Paſſarovvitium, in Servia à Cæſare deſignatum, eorum mòdò Legatus Achmet-Han advenerat; quo etiam Legati Cæſarei Comes Hugo Damianus de Virmond, Michaël de Talman, & Venetorum Ruzzinus paulò pòſt accedentes, mediatoribus Britanno Roberto Sutton, & Batavo Comite Jacobo Colyer ſtudiosè adnitentibus, ſuas illicò conferentias ſub amplo Cæſareano papilione inchoarunt. Examinatis autem primùm fidei literis, ſeu plenipotentiis, Turcicæ à ſolo ſupremo Vezirio, non à Sultano ipſo (ut moris apud illos eſt) ſubſcriptæ, nec ullam Venetorum huic paci includendorum (quod Eugenius omnibus ad Vezirium literis ſeriò præmonuerat) mentionem facientes, ſunt rejectæ : emendatas Sultanus Imperator latino charactere has formales remiſit : *Articulis in hac mea perfecta Plenipotentia contentis &* Congreſſus Paſſarovvicius.

ſpe-

specificatis consensus meus integer imperialis concessus est: juxta ejus tenorem procedatur; atque ita admissæ, & conferentiæ sedulò sunt continuatæ. Eugenius dispositis interim castris, & in omnem nutum parato exercitu ipsum adiens Passarovvicium, mediâ horâ à conferentiæ loco dissitum, à primario Cæsaris Legato Comite Virmondo seorsim expiscatus est, utrum futura pacis spes esset juxta clausulam; *Uti possidetis, ita possideatis*: an Veneta Respublica hisce pactis cum rationabili ejusdem satisfactione includenda, extradendique rebellium Hungarorum antesignani? (qui illud subodorati fugâ sibi tempestivè consuluerunt) quibus à Virmondo probabiliter affirmatis, Turcasque ad pacem unicè inclinare audiens Eugenius, eousque expeditionem continuit. At quia Cæsarei arcum initio nimiùm extendebant, pacis tractatus disrumpi planè dicebantur, volueruntque Turcæ non ad 25. sed 15. tantùm annos pacem concludere: mediatoribus tandem Britanno-Batavis victoriosam Cæsaris per Eugenium potentiam, per totam nunc Turciam terribilem, & Sultaniècontra impotentiam nupero magis prælio debilitatam, factionisque imminentiam demonstrantibus res feliciter est transacta, pacisque tractatus viginti articulis 21. Julii 1718. utrimque præsentibus Principibus Bavaris, Sultzbacensi, aliisque ejusdem ceremonias curiose spectantibus subscriptus & signatus, per Comitem Budianum in lingua turcica à Cæsare ratificandus. Viennam est transmissus, hujus tenoris:

Pax Cæsareo-Turcica Passarovvicii.

Ejusdē articuli.

662. In Walachia, Transylvaniæ vicina, regni

regni utriusque terminus erit Alautha fluvius ad ostium Danubii, orientemque versus Imperatori Sultano, occidentem versus Rom. Cæsari cum Temesvvario, &c. permaneant: & Bojari, seu nobiles Walachi ad Rom. Cæsarem transfugæ, in sua recipiantur. Præterea decem horis supra, ubi Timock fl. maritatur Danubio, Isperlekhan cum suo ambitu Ottomannus; Resllova autem usque Parakin, Belgradum, Istolatz, Schahack, Bedkoa & Belin cum suis dominiis Rom. Cæsar, Tokol èContra & Rasna cum suis dominiis Sultanus possidebunt. A Drina fl. usque Unnam fl. omnia loca, oppida, arces & munimenta, à Rom. nunc milite occupata, Savique tractus cum utroque litore eisdem Romanis permaneant. Jassenovitza, & Dobitza, aliæque munitiones & insulæ cum suo territorio ab Unna fl. ubi Savo conjungitur, usque antiquam Bosniæ Noviam Turcicam cedant Rom. Cæsari. Similiter à territorio novæ Noviæ usque ad occidentale Unnæ litus omnia loca & dominia antehac pactis Carlovvitziis Portæ Ottomannicæ cessa, Cæsari Rom. restituantur. In Croatia haud longè à Savi tractu dissita loca possideant, sed non fortificent possidentes. Et utriusque partis Commissarii intra bimestre ubique certos & fixos territoriorum limites designent, & statuendo firment. Religiosis Ordinibus, cæterisque Christianis juxta priorum Sultanorum privilegia, indulta & edicta liberum christianæ religionis exercitium, ecclesiæ & domicilia, peregrinationesque Jerosolymitanæ, &c. permittantur, & confirmentur. Captivi utrim-

utrimque dimittantur, aut uti & mancipia rationabili pretio aut lytro redimantur. Mercatoribus & negotiatoribus liberum per utriusque partis regna terrâ marique permittatur commerciũ, piratæque Dulcignotenses, seu Olcninenses, Algerienses & Tunetenses arctè includantur & coërceantur. Ragotzius, Berezenus, Ant. Esterhasius, Forgatzius, Voy, Otschkey, cæterique Rebelles Hungari in Turcia latentes (quos Turcæ extradere recusabant) in suis contineantur latibulis, ne propius cæsareos accedant limites. Eidem huic armistitii tractatui Poloniæ Rex & Respublica includantur, & 24. annis firmiter continuabitur. Acta hæc sunt Passarovvicii sub papilione cæsareo 21. Jul. 1718.

Convivium post armistitiũ.

Peractâ utrimque armistitii tractatûs subscriptione, latinus cum turcico collatus, & Venetus in lingua Italica est revisus, tum Virmondus Comes ambos principes Bavaros, Sultzbacensem, Nassavium, aliosque præsentes principes, ambos mediatores Anglo-Batavicum, Generales & tribunos militares lautissimo excepit convivio, frequentissimo tormentorum boatu inter tubas, tympana, & musicos concentus jovialiter resonante, & in vulgus bos totus assatus, vinumque album & rubrum liberaliter effusum est: quod etiam post absolutum & subsignatum commercii per omnes Cæsaris Sultanique provincias tractatum dapsiliter est repetitum, quem cæsareus legatus Fleischman cum turcico Nissangi Seiffulach Effendi non sine insigni Christianorum emolumento prope Clodich sub papilione conclusit.

663. Magnum Rom. Cæsar Carolus hoc bello turcico territorium acquisivit, majus florentissimo suo Germanorum exercitu hoc anno obtinuisset, & ipsa Turciæ viscera penetrasset, nisi hoc armistitium, & Hispanorum monarchiæ suæ recuperandæ cupiditas victoriarum cursum interrupisset. Bosniæ quidem Bassa acriter repugnabat turcicum ultra Savum territorium Christianis cedendum, quod turcicus modò Plenipotentiarius concesserat, ideoque Eugenius in hosticum castra jam jam promoturus, Bassa debuit permittere, quod jam cessum erat Christianis, & pactis insertum permansit. Ruzzinus Venetorum legatus singularem exigens cum Turcis tractatum, multas proponebat prætensiones, à Turcis denegatas; sed juxta præliminaria: *Uti possidetis, ita possideatis*, retinebant Turcæ Moream & reliqua ultimo bello capta, Venetorumque limites Prevesæ, Lareæ & Voinizæ, aliquot milliaria, & in Dalmatia antiqua linea ultra unam tantummodò horam latiùs extendebantur, palamque turcicus profitebatur legatus, quòd Ottomannica Porta invictissimi Romani Cæsaris Caroli potentiæ libens cedat, quæ suâ etiam interpositione impedivit, ut tota modò Italia & Venetia Ottomannicæ non sit subjecta potentiæ, eò quòd illa cruentissimo ad Petrovvardinum prælio fuit graviter accisa, proinde Venetia totaque Italia perpetuas Cæsari Carolo assertori suo agat gratias, in cujus solius consideratione & respectu hæc armistitii pacta cuduntur, Venetique socii includuntur; non igitur necesse particulares cum Venetis inire

Latum Cæsaris in Servia & Bosnia territorium.

Venetorum conditiones armistitii.

Carolus Italiæ & Venetorum assertor.

re conditiones: imo graviter conquerebatur, quòd Schulenbergus piraticam ad mare Adriaticum Olchinum tempore tractatûs armistitii invaserit; quo audito tamen illicò abstinuit, hujusque vi armistitii, graviter Olchinensibus, Algeriensibus, & Tunetensibus à Sultano Turcico piraticam imposterum exercere graviter est inhibitum [non sine ingenti Christianorum gaudio, qui in continuo captivitatis & mancipatûs periculo versabantur] sed mercaturæ & negotiationi sedulò nunc incumbunt. Triduana denique inter Turcarum Venetorumque classem prope Capo Matapan 20. Julii peracta naumachia Turcis pessimè cessit; nam cæsa fugæ se commisit amissis undecim militaribus navibus, & aliis fœdè afflictis; nec Venetis etiam fuit incruenta, quorum plures etiam naves miserè laceratæ, & architalassus Diedo tormentario ictus globo periit, morte sua gloriosam lucratus victoriam.

Piratica prohibita.

Triduana naumachia Christiano-turcica.

664. Dicant nunc, & exprobrando Austriacis Valesii & Bourbonii objiciant, quòd domûs & familiæ potentiam conjugalis magis & latius amoris quàm Martis auxerint armis; nequaquam verò armatâ gloriose manu & gladio quicquam sicut ipsi acquisierint; sed acquisita potius amiserint. At quantum hæc scommata sunt insipida, tantum christianæ repugnant charitati, & juri naturali: christianum, & multò gloriosius est suam incruente potentiam sine sanguine, sed suavis amoris nexibus, & sancto sanguinis connubio propagare, quàm violatis barbarè juramentis, iniquissimis armis & latrociniis inno-

Austriacorum propagatio & laus.

innocentis sanguinis eluvie suæ terminos potentiæ extendere, & aliena contra Dei, naturæque legem rapere; quod non humanum, sed barbarum, immo diabolicum est. Rudolphus Cæsar primus Austriacæ Domûs & stirpis auctor, exiguæ primùm, & Cæsareæ Majestatis insufficientis potentiæ, ad ejusdem augmentum Taciti Politicorum coryphæi usus consilio, & Moguntini tunc Archiepiscopi Werneri Com. Falckensteinii adjumento (cujus etiam & Friderici Palatini potissimùm suffragiis anno 1273. Octobr. 4. Francofurti electus est Imperator) potentium familiarum connubiis & suam auxit, & firmavit armis potentiam: principes namque filias suas potentioribus Rom. Imperii Ducibus & Principibus, Mechtildem Ludovico Bavariæ Palatino, Agnetem Duci Saxoniæ, & Hedvvigem Ottoni Marchioni Brandenburgico maritavit. Cæsar autem Maximilianus Austriacus acceptâ in conjugem Mariâ, unicâ Caroli Ducis Burgundiæ filia, Burgundiæ, cæterarumque provinciarum ex asse hærede, factus est Belgii, Burgundiæ, & 17. provinciarum dominus, cujus postea natus ex Maria filius Philippus anno 1496. Johannæ Regis Ferdinandi & Isabellæ Regum Hispaniarum & Indiarum hæreditariæ principi connubio junctus, monarchiæ hispanicæ coronam jure successionis sibi gloriosissimè imposuit, in secuturam Austriacam posteritatem derivandam. Cujus filii Carolus V. & Ferdinandus I. Austriaci quanti viri majestate! quanti virtute & pietate! quanti prudentiâ & generositate! quanti heroes armis & potentiâ! Caroli sceptrum adora-

Rudolphi.

Maximiliani.

Caroli V. & Ferdinandi I.

bant Oriens & Occidens, armatam & victricem ejus manum metuebant Indi, Africani, Turcæ, Galli, Itali, Germani, Saxones, Sicambri admirabantur rerum gestarum felicitatem, quam æmulabantur Bourbonii & Valesii, & neque tunc, neque nunc omni marte & arte, neque raptu & fraudulentiâ suâ sunt assecuti. Quid dicam de Magno Leopoldo I. Josepho I. & Carolo VI. ejusdem filiis (ut alios præteream) quorum felicitati, regnis & vitæ, heu quoties nequissimè & impiissimè insidiata est Bourbonii ambitio! nec tamen suâ, nec Suecorum, nec Turcarum sociorum suorum potentiâ & fraudulentiâ potuit eam supprimere, sed multò gloriosior per Germaniam, Italiam, Hungariam, Belgium, Transylvaniam, Dalmatiam, Bosniam, Serviam, Austriaca ubique armis & prudentiâ victrix emersit familia, Gallorum, Turcarumque hostiũ fortissima simul & gloriosissima triumphatrix. Verissimè divinus Plato: *Neminem invenies alienæ famæ invidere, nisi qui omnibus probris contaminatus desperat suum apud posteros celebre nomen futurum.*

Leopoldi I. Caroli VI.

665. In Gallia quamvis omnes Rom. Constitutionis *Unigenitus* declarationes, explicationes, & interpretationes regio edicto ad Regni tranquillitatem essent prohibitæ; novas tamen heteroclita capita cum Noaille Archiepiscopo Parisiensi comminiscentia actis appellationis ad proximum generale concilium à Sorbona approbatis inhærent, constitutionemque pertinaciter rejiciunt; adeoque Pontifex Noaillis declarationes & scripta tanquam famosa, temerari-

Constitutio *Unigenit.* adhuc rejicitur

erro

erronea, & hæresi proxima damnavit. Archiepiscopus autem Rhemensis Fr. de Mailly literis ad Ducem Aurelianensem datis multis rationum fundamentis & exemplis, ex historia ecclesiastica desumptis doctè probavit, nullum hactenus Regum Galliæ decretum tam fuisse regno perniciosum & damnosum, quàm hanc contra dictamConstitutionem *Unigenitus* declarationem. Has Archiepiscopi literas Parlamentum Parisiense 19. Mart. damnavit, & 22. ejusdem laceravit, flammisque tradidit consumendas; nec tamen Archiepiscopi illius zelum extinxit; sed magis inflammavit, gavisus cum Apostolis, *quoniam dignus esset habitus pro nomine Jesu contumeliam pati*, & proinde circularibus per suam Archidiœcesim literis congaudendum & congratulandum sibi, sanæque constanter doctrinæ insistendum adhortatur; pro qua semper defendenda, & Jansenistarum, Quesnellistarumque hæresi extirpanda vitam & sanguinem libentissimè fundere semper paratissimus. Quæ literæ typis Romæ impressæ summis laudum encomiis sunt publicatæ, decretumque ibidem inquisitionis contra appellantes ad proximum generale concilium publicis locis est affixum; illud verò omnia Galliæ parlamenta supprimere debuerunt: èContra Archiepiscopus Arelatensis Episcopali habitu indutus cum infula & pedo cathedram ascendens profitetur se partes & societatem eorum episcoporum deserere, qui à pontificia Constitutione *Unigenitus* ad generale appellant, provocantque concilium, quem alii quoque imitati sunt episcopi; ideoque Card.

Noallii scripta damnantur.

Alii Episcopi ad mittunt.

Rohanus, qui in martio Argentoratum reversus fuerat, in Junio Parisios ad episcoporum conferentiam, 30. Jun. in aula regia instituendam, rursum est revocatus, si quo modo periculosum illud controversiæ dissidium componi & consopiri possit, dum alibi novum in regni perniciem exurgeret malum. Pontifex autem Clemens XI. infallibilis suæ auctoritatis assertor octavâ Sept. 1718. omnes universaliter Christi fideles, & imprimis Gallos paternis adhortatus est literis, ut noxias, & variis censuris à Sede Apostolica notatas, proscriptasque Quesnelli propositiones rejiciant, & detestentur: quod idem 6. Jul. 1719. Joseph Clemens Archiepiscopus & Elector Coloniensis pastorali suâ epistolâ ad clerum populumque Coloniensem, Hildesiensem, Leodiensem, & Berchtesgadensem sollicitè fecit, omnesque ad Clementis Constitutionem *Unigenitus Dei filius* secum admittendam, defendendam & venerandam paternè admonet & hortatur, quam postea audio Noaillum & alios Galliæ Episcopos admisisse.

Proditio in Regem & Regentem Galliæ.

667. In Aquitania namque Britannia minore, Normandia, & Pictavia ex interceptis 7. Decembris 1718. literis detecta est in Regem, ejusque Regentem Ducem Aurelianensem conspiratio, qua proximo mense Februario aut Martio 50 armatorum millia regio occupato fisco & milite prætoriano captum Regem sisterent parlamento, illudque cogerent ad extradendam tempore minorennitatis potestatem regiminis Duci Andegavensi; adduntque alii bina Galliæ & Hispaniæ regna conjunctim in Andegavensem,

ſem, ejuſque ſucceſſores transferenda: auctores jam modò plures quàm 30. (quos inter tres duces, magnis antehac à Rege affecti beneficiis) captivitate innodati, aliique per totum regnum à provinciarum gubernatoribus ſedulò inquiruntur; quare Gallicæ undequaque legiones verſus Hiſpaniam, Cataloniam nempe & Navarram, tum propter conſpirationem, tum propter quadruplex fœdus deſtinatæ, indicant bellum Pariſiis in Hiſpanos publicatum, Britannique bello jam antè eiſdem indicto navalem expediunt claſſem gallicæ conjungendam.

Galli & Angli Hiſpanis bellum indicunt.

Nec deſides cum Alberone fuêre Hiſpani, quorum 23000. ad regni ſui fines defendendos jam appropinquaſſe, & Regem Sueciæ Moſcumque in ſubſidium advocaſſe dicebantur, & cum illo per principem Pozzobonum fœdus oblato auro petiiſſe plures exiſtimant. Pontifex autem Hiſpaniæ epiſcopis Brevi apoſtolico ſub pœna excommunicationis prohibuit eccleſiaſticas deinceps decimas Duci Andegavenſi perſolvere, quas antehac ad bellum turcicum permiſerat, malè huic bello applicatas.

Hiſpaniæ defenſio.

In Mexico provinciæ Biſcayæ ruſtici ob vectigalium augmentum tumultuantes in Nobiles, aliosque cives conſpirarunt, & metropolim Bilbaum involantes quotquot intercipere poterant, etiam violatis monaſteriis, crudeliter occiderunt, in quibus plures dominæ ſub monachali habitu cruentas eorum manus effugerunt: telonariis omnibus clam elapſis, cuidam ſecretario evulsâ linguâ oculos prætereà eruerunt. 11. Septembris totam in templo familiam, & quin-

Rebellio Biſcayæ

que nobiles cum unius uxore immaniter trucidarunt; omnes extraneas in agris nobilium, & civium officialium domos, arces & viridaria incenderunt, neve alteram 3. Novembr. urbis tentarent irruptionem, omnes cives & incolæ à 6. Septembris diu noctuque in armis, omnes viarum aditus obstruunt, & tormentis bellicis communiunt, usque dum misso illuc Hispano milite Alberonius suorum privilegiorum illis restitutionem appromiserit.

Mecklenburgi oppressio nobilium.

668. Dux Mecklenburgo - Schvverinensis immoderatam Nobilium suorum oppressionem adhuc continuat, & quos non potest capere, sicut rebelles, præsertim deputatos Ratzeburgi congregatos persequitur, illorum bona fisco addicit, vultque eos juramento adstringere, ut suam ex aula Cæsarea causam & processum contra se remittant & revocent, sicque sint suo principi ac domino obedientes subditi & vasalli. De hoc iniquo procedendi modo Rex Angliæ Georgius literis Kensingtonii 17. Maji 1718. datis amicè & paternè Ducem dehortatur: quis enim sensatus homo approbet, quod Princeps Imperii Rom. membrum, externum sine necessitate militem in Imperium Rom. introducat, eoque solos Nobiles, & non alios subditos aggravet, justitiam temerè impugnet, & expressas cæsareas rejiciat constitutiones? quòd authenticas prædecessorum suorum litteras, sigilla, subscriptiones, pacta & recessus cæsarea confirmatione munitos evertere, annullare, & propria auctoritate se æque obstrictum velit eximere: quod contra pragmaticas Imperii Rom. constitutiones supre-

ptemum ejusdem caput, & judicem Cæsarem nolit admittere, sed armatâ manu contumaciter resistere: an æquum & justum Nobilibus exulibus, & in externis provinciis injustè proscriptis denegare refugium? At paternæ hæ regis reflexiones nihil effecerunt; sed omnium Nobilium in comitiis non comparentium bona mobilia publicè vendidit, solâ Regis Sueciæ ope fretus & subsidio; quo etiam Cæsareæ contra Ducem latæ sententiæ executionem illudebat. Quod dissidium & oppressio nunc sine dubio Regis Sueciæ morte mediabitur, qui undecimo anni hujus 1718. Decembri in Dania Fridrichshalii obsidione globo mediâ nocte, dum propugnaculum recognosceret, trajectus periit, vir bellicosus, sed temerarius, & ultimis regiminis sui annis infelix, multis à vicinis principibus orbatus urbibus & provinciis: Wismaria nempe divisis inter Danum, Brandenburgum & Luneburgum curulibus tormentis, cæteroque bellico apparatu, omnia ejus munimenta, propugnacula & urbis robora funditùs eversa sunt & dejecta, soloq; æquata. Regis autem mors per dies novem celata, postquam publicata fuit, Suecus miles celeri fugiens præcipitantiâ, incensis granariis & castris, 18. ænea tormenta, 6. mortaria, cæterumque bellicum apparatum Danis spolio reliquit. Generalissimus autem archistrategus Princeps hæreditarius Casselensis regiæ sororis Ulricæ conjunx Stockholmiam properavit, tum ad ordinandam Regis sepulturam, tum ad Ulricæ successionem testamento regis Gustavi 1604. ordinatam & debitam sedulò promovendam, quam

Caroli R. Sueciæ mors.

Ulrica ejus soror fit Regina.

quam etiam paucos post dies omnes Sueciæ status juxta leges regni pragmaticas reginam ubique proclamaverunt, speraturque nunc brevi inter septentrionales principes pax secutura: quam Moscus inire dicitur noluisse, nisi Suecus totam illi Livoniam, Ingriam, Finlandiam cum urbe & portu Revel, Narvam, Petropolim & Wiburgum perpetuò, aut longissimis saltem induciis cederet. Hac regis Caroli morte in ducatum Bipontinum successit Gustavus Samuel Leopoldus palatinus Bipontinus, 6. Januarii anni sequentis publico veneratus homagio: animo autem nimiùm dejectus fuit Stanislaus Lesinckius, quondam à rege Sueciæ Carolo in thronum poloniæ armana manu intrusus, nunc in Germania circa Bipontum vagabundus omni spe regni potiundi dejectus est.

Moscus.

Ducatus Bipontinus.

669. 7. Maji in Gallia mortua est Maria Beatrix Alphonsi II. Ducis Modenensis filia, Jacobi II. Angliæ Regis vidua, non sine Galliæ & Angliæ emolumento; hæc quotannis pro vitalitio censu 50000. Sterlingorum libras solvere tenebatur, Gallia donabat annuè 60000. lib. Mediolani obiit Maximilianus Carolus Princeps Lôwensteinius-Wertheim, gubernator Mediolanensis, in cujus locum successit Hieronymus Comes Colloredo, ab ipso Cæsare in alloquio insperatè nominatus & declaratus. Imperatrix econtra 14. Septembris genuit Carolo filiam Mariam archiducissam, eodem die à Nuntio Apostolico baptizatam. Cardinalis Czackius, episcopus Colozzensis Cardinalitio bireto Cæsaris manibus 20. Aprilis ipsi imposito suum archiepisco-

Mors reg. Angliæ.

Lôwensteinii Colloredo.

Cardin. Czackius.

episcopatum Colozzensem, & episcopatum Waradinensem hoc eodem tempore sedulo magna diligentia visitavit, & omnia more catholico non sine singulari zelo & fervore disposuit, majorem Dei ubique quærens gloriam & honorem promovendum. Cardinalis Saxo-Zeitz autem nomine Cæsaris Ratisbonæ 21. Julii civium excepit homagium. Ratisbonæ homagium.

Dux Lotharingiæ, Leopoldus Josephus (cui Rex titulum Regiæ Celsitudinis adjecit, propter Cæsaream & regiam ejus progeniem) cum conjuge sua sorore ducis Aurelianensis 18. Februarii venit Parisios, salutatisque Rege & Regente restituta sunt illi aliquot urbes, oppida & pagi suo ducatui antehac iniquè abstracta, cum parlamenti approbatione & subscriptione, literis etiam & sigillis confirmata; pro quorum imposterum præsidio tres auctoravit legiones, illis imponendas. Inde effusâ in aulicos liberalitate rediit in Lotharingiam. Duci Lotharingiæ ablata restituuntur.

Tandem tanto tempore dilatus limitum in Brabantia inter Cæsarem & Batavos dividendorum tractatus repaguli, seu *Barrier* vocatus, mediante Comite Cadogane, Angliæ legato, 22. Decembris est nocte conclusus & subscriptus, quo Cæsari in hac ultima conventione 20. decempedarum millia plùs quàm in priori conventione sunt attributa & assignata. Barrier tractatus conclusus.

670. In Polonia uti communiter, ita & hoc anno comitia Grodnæ 22. Augusti convocata dissidiorum adeo fuêre plena, ut Rex ea in majum sequentis anni senatorum consensu transtulerit: præcipuæ autem in Moscorum Imperatorem Poloni Moscos eliminari volunt.

rem omnium senatorum & praefectorum erant querelae & expostulationes, quibus Livoniae, & tormentorum curulium restitutionem, milliónum aliquot promissorum solutionem, omnium in Churlandiam praetensionum remissionem, & primariò Mosci militis admodùm gravis & molesti evacuationem absolutè adurgebant, armatâ aliàs manu, & universali polonae nobilitatis & militiae evacuatione eliminandam; quam tandem legatione, & Caesaris praesertim interpositione ab Czaaro hac conditione obtinuerunt, ut Rom. Caesar Polonae reipublicae libertatem, ab aliis ut ferebatur potentiis opprimendam, salvam & incolumem manutenendo conservaret; ad quod etiam Tartarorum Chamus expressâ ad regem & rempublicam legatione sua offerebat aliquot millium parata subsidia; & nisi Russi Poloniam vellent evacuare, se Russiam infestaturum.

Moscus filium mortis damnat.

Hic Moscorum imperator filium suum Czaarowitz Alexium haereditarium principem ob turpem ejus & principe indignam vitam, quam publico particulatim manifesto exposuit, successione privavit, & secundo genitum Petrum Petrowitzium regni successorem declaravit, quam etiam exhaeredationem Alexius juramento debuit confirmare; sed cùm postmodum patris sui vitae insidiatus esset, criminis laesae majestatis reus, 24. Junii mortis est damnatus: quâ sententiâ tactus apoplexiâ brevi quidem tantùm convaluit, ut ab accedente patre profusis lacrimis delicti veniam 26. Junii demisse petierit, cui etiam Pater in mutuo amplexu non sine uberrimis

mis utrimque lacrimis libentissimè omnia condonavit commissa & abiit, quem post meridiem secundò vocatus pater in via audit clausisse jam vitam, & honestè in templo jussit sepeliri, ceteri complices vivi assati ignibus, & immanibus puniti sunt tormentis.

Jacobus III. Rex Angliæ, passim Prætendens dictus exul adhuc patriæ 9. Octobris cum Duce Ormuntio & Comite de Mar venit Bononiam ditionis pontificiæ, & 14. Novembris Romam pervenit, benignissimoque paterne amplexu à Pontifice postridie est exceptus, qui gratuitum illi donum centum scutorum millium, & annuam 80. millium librarum pensionem, liberamque Romæ in Gandulphi castello habitationem appromisit; subito tamen paulò pòst in Hispaniam profectus à rege illuc postulatus. Jacobus R. Angliæ in Italiam inde in Hispaniam tendit.

In Brabantia Bruxellis, Lovanii & Gandavi exorti sunt civium tumultus, qui juramentum fidelitatis recens à Duce Andegavensi per Comitem de Bergyck introductum nolebant Cæsari præstare; utpote eorum privilegiis contrarium, quod quia unus ex deputatis subscripserat, ad mortem quæsitus, feliciter clam effugit: quamprimum verò illud à 60. annis usitatum cum privilegiorum confirmatione est prælectum & præstitum, animorum motus sunt sedati. Tumultus Brabantiæ.

Batavi arcem Leodiensem educto suo milite deserentes, Episcopo Leodiensi locum & possessionem tradiderunt; & Archiepiscopus Coloniensis Joseph Clemens Bonnensia circum urbem terrea munimenta à Gallis antehac extructa dejicere, & solo æquare permisit. Arx Leodiensis traditur episcopo.

Index

INDEX
RERUM & VERBORUM
PARTIS TERTIÆ,
Cujus numerus paginam indicat.

A.

Are-

Bethu-

Dussel-

Chi-

D.

F.

Fri-

I.

Ille-

Ille-

M.

M.

&

Quod-

Re-

Seba-

T.

Ty-

W.

W.

X.

FINIS.